3 1761 08154034 6

PURCHASED FOR THE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

FROM THE

CANADA COUNCIL SPECIAL GRANT

FOR

MEDIEVAL STUDIES

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/chronicanobiliss03dynt

ACADÉMIE ROYALE

DES SCIENCES, DES LETTRES ET DES BEAUX-ARTS DE BELGIQUE.

COMMISSION ROYALE D'HISTOIRE.

MM. Le baron de Gerlache, Président.
Gachard, Secrétaire et Trésorier.
Le chanoine de Ram.
Le chanoine de Smet.
Du Mortier.
Bormans.
Borgnet.

CHRONIQUE

DES

DUCS DE BRABANT,

PAR

EDMOND DE DYNTER,

(EN SIX LIVRES)

PUBLIÉE D'APRÈS LE MANUSCRIT DE CORSENDONCK, AVEC DES NOTES ET L'ANCIENNE TRADUCTION FRANÇAISE DE JEHAN WAUQUELIN;

PAR

P. F. X. DE RAM,

Recteur magn. de l'Université cath. de Louvain, membre de la Commission royale d'histoire.

TOME III,

Comprenant le livre VI.

BRUXELLES,

M. HAYEZ, IMPRIMEUR DE L'ACADÉMIE ROYALE DE BELGIQUE.

Bruxelles, Gand, Leipzig, Ch. MUQUARDT, libraire.

1857.

LIBRARY
JUN 5 1969
UNIVERSITY OF TORONTO

DH
801
B7D9
t.3

CHRONICA

NOBILISSIMORUM DUCUM

LOTHARINGIAE ET BRABANTIAE

AC REGUM FRANCORUM,

auctore

MAGISTRO EDMUNDO DE DYNTER.

IN SEX LIBROS DISTINCTA,

AD FIDEM COD. MS. KORSENDONCANI COLLAT. CUM ALIIS CODD. MSS. EDIDIT AC GALLICA JOHANNIS WAUQUELIN VERSIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS FRANC. XAV. DE RAM.

TOMUS III,

Complectens Librum VI.

BRUXELLIS,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA M. HAYEZ, ACADEMIAE REGIAE TYPOGRAPHI.

MDCCCLVII

EDMUNDI DYNTERI CHRONICON.

LIBER SEXTUS.

INCIPIT EPYLOGUS LIBRI SEXTI CRONICORUM NOBILISSIMORUM DUCUM BRABANCIE.

In supradicto vero libro quinto taliter qualiter scripsi de gestis nonnullorum sancte Romane ac universalis ecclesie summorum pontificum, necnon de regibus et imperatoribus Romanorum, incipiendo ab Alphonso rege Castelle et Richardo comite Cornubie, fratre regis Anglie, per imperii electores in discordia electis, ipsorumque successoribus, Romanorum regibus et imperatoribus, continuando usque ad dive memorie quondam dominum Karolum quartum regem Romanorum et Bohemie regem, ipso Romanorum rege existente, inclusive, et quousque in imperatorem fuit coronatus, exclusive. Pari modo scripsi eciam in predicto libro quinto de Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducibus sacrique imperii marchionibus, Johanne scilicet primo, Johanne secundo et Johanne tercio, et de gestis eorundem, inclusive.

In sequenti libro sexto, gracia michi annuente divina, intendo aliqua scribere de summis pontificibus atque imperatoribus et regibus Romanorum, incipiendo a dicto Karolo quarto, postquam imperiali infula fuit coronatus, continuando usque ad serenissimum principem dominum Fredericum ducem Austrie, hujus nominis Romanorum regem tercium; necnon de Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducibus sacrique imperii marchionibus, incipiendo ab inclite memorie domina Johanna ducissa, filia seniori et herede legitima quondam Johannis ducis tercii sui genitoris, et domino Wenceslao de Bohemia, duce Lucemburgensi, ejusdem ducisse Johanne conthorali et marito legitimo, continuando usque ad metuendissimum dominum meum graciosum, dominum Philippum, Dei

gracia Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem modernum, cum diversis occurrentibus incidentibus, sub correctione cujuslibet melius sentientis.

Explicit epylogus, incipiunt capitula sexti libri hujus cronice.

[1] Cap. CXLV bis etiam in textu exstat.

INCIPIT LIBER SEXTUS

CRONICORUM ILLUSTRISSIMORUM DUCUM LOTHARINGIE BRABANCIEQUE.

Qualiter, mortuo Johanne duce tercio predicto, domina Johanna, ejus senior filia, tamquam ejus vera heres, et Wenceslaus dux Lucenburgensis, tamquam ejus legitimus maritus et mamburnus, fuerunt in duces Brabancie intronizati et recepti. Cap. I.

1356. Mortuo autem Johanne hujus nominis duce tercio supradicto, Johanna ejus senior filia, tamquam vera heres et domina, et Wenceslaus dux Lucenburgensis, ejus legitimus maritus et mamburnus, primo in Lovanio, die tercia mensis januarii, anno Domini M° CCC° LV° juxta stilum curie Cameracensis[1], et deinde successive aliis certis diebus, in omnibus aliis oppidis et locis consuetis ducatuum Brabancie et Lymburgis, ac eciam in oppido Mechliniensi, in duces Brabancie et Lymburgis et dominos Mechlinienses fuerunt recepti et solempniter more solito intronizati, et juramenta fidelitatis et obediencie inibi receperunt.

De capcione regis Navarre et decapitacione comitis de Harcourt. Cap. II.

1356. Anno Domini M° CCC° LVI° rex Navarre capitur per regem Francie, circa medium quadragesime, in civitate Rotomagensi, ipso rege Navarre cum filio Francie ibidem hora prandii sedente in mensa, et vinculis man-

[1] Itaque lege an. 1356.

cipatur. Et eadem hora ibidem eciam captus comes de Harcourt, et in eodem loco decapitatur et postea suspenditur.

De guerra mota duci Wenceslao et Johanne ducisse Brabancie per Ludovicum comitem Flandrie; et dieta tenta Mechlinie sub spe pacis inter ipsos tractande; et qualiter Mechlinienses resilierunt ab obediencia ducis et ducisse, et dictum comitem in eorum dominum admiserunt. Cap. III.

Postquam autem, juxta ordinacionem et disposicionem prius per dive 1356
memorie dominum Johannem ducem Brabancie de suarum partificacione filiarum desuper prehabitam, et per Karolum quartum tunc Romanorum regem confirmatam, ut premittitur[1], ducissa Johanna, tamquam vera heres, et dux Wenceslaus, tamquam ejus maritus et mamburnus legitimus, cum solempnitatibus debitis et consuetis in ducem et ducissam in oppidis patrie Brabancie, ac in dominam et in dominum in oppido Mechliniensi recepti fuerunt et intronizati, juramentisque fidelitatis et obediencie ipsis prestitis: et quia hec facta fuerunt dicto Ludovico comite et ejus conthorali, domina Margareta comitissa Flandrie, sorore ducisse Johanne predicte, inconsultis, non vocatis neque consentientibus, et antequam debita porcio sive partificacio occasione tam ducatus Brabancie et aliorum dominiorum, quam subsidii sui matrimonii atque suppellectilis sive rerum mobilium sibi competentium, ipsis foret persoluta seu assignata, ut asseruerunt, ideo ipsi comes et comitissa, egre ferentes de suprascripta ordinacione per prelibatum quondam ducem Johannem super partificacione filiarum suarum facta, que ipsis pro parte ducis et ducisse liberaliter fuit oblata, de qua non contenti, sed divisionem sive partificacionem filialem, tam de principatibus et dominiis quam rebus mobilibus, habere contenderant, quam quia tantam sicut habere voluerunt ipsis dare refutabatur, predictum ducem Wenceslaum et ejus patriam Brabanciam dictus comes diffidavit: licet Reynaldus dux Gelrie fuit contentus cum bonis matrimonialibus sibi datis et assignatis cum domina Maria sua conthorali, filia juniore ducis Johannis predicti : quare de hujusmodi guerra, licet ex parte dicti comitis de assistendo sibi fuerat requisitus, se noluit intromittere, quod ipse Ludovicus comes de ipso duce Gelrie eciam egre tulit.

[1] Lib. V cap. 194, tom. II p. 687.

Quod videntes barones et nobiles partis utriusque, tantum procurarunt apud partem utramque, quod una dieta amicabilis fuit ordinata per et inter ipsos dominos, certa expressata die tenenda in oppido Mechliniensi, sub spe pacis et concordie inter eosdem dominos perpetrande, ad vitandum scandala et guerrarum discrimina, que alias inter ipsos dominos et patrias ipsorum, que vicine sunt et contigue, verisimiliter essent eventura. Qua die advenientes memorati dux et comes in dicto oppido, propriis in personis applicuerunt ad dictam dietam, et, quia per consiliarios ipsorum dicti dux et comes per quamcumque viam ibi oblatam concordari non poterant, fuit per et inter consiliarios partis utriusque tractatum, quod uterque ipsorum ducis et comitis pari hora et tempore deinde oppidum Mechliniense exire deberent, ad propria egressurus. Et, postquam quilibet ipsorum hoc fecerat certe, dictus comes in ipsum oppidum est reversus, et tantum fecit, per modos et vias tales quales mihi referre non licet, quod gubernatores et incole et habitatores dicti oppidi Mechliniensis, per vim et violenciam sive metum ad hoc non coacti, sed voluntarie et sine aliquo obstaculo subornati, ut presumitur, dictum Ludovicum comitem Flandrie in eorum comitem receperunt, prestantes sibi fidelitatis et obediencie debita sacramenta, immemores juramentorum prelibatis duci et ducisse Brabancie prestitorum.

Quibus sic peractis, ipse comes incolis dicti oppidi, qui ipsum in dominum receperunt, propter bonum jus quod habere dicebatur, et collacione alias facta per episcopum et capitulum Leodiense, confirmavit omnia privilegia, et inter cetera ipsis concessit specialiter fora salis, piscium, avene et cujuslibet generis fluctus[1]; quodque cum eorum mercibus et rebus quibuscumque navigare possent per flumen Scalde ante Antwarpiam, eundo et redeundo, absque hoc quod merces suas et res inibi adducere sive presentare et de navi in navim reponere haberent, cum nonnullis diversis aliis punctis et articulis[2]. Et, si aliquis princeps et dominus, ex eo quod ipsum in dominum receperunt, inquietare, molestare et dampnificare vellet, de hoc promisit ipsos defendere et relevare cum tota sua potencia, prout in literis desuper confectis plenius continetur, que fuerunt date Mechlinie die XX^a augusti anno Domini M^o CCC^o LVI°.

[1] Seu *fructus*.

[2] Cfr. supra tom. II p. 476 et 484.

Et sic ipse comes, non obstante recompensatione per regem Francie sibi desuper facta, de qua pro tunc se tenuit pro bene contento, prout constat per dictorum regis et comitis literas desuper confectas, quarum tenores superius sunt inserti[1], ipsum oppidum pro se obtinuit et gentibus suis armorum communivit. Et sic de Mechlinia recedens ad Flandriam remeavit, et, animo dictis duci et ducisse guerras inferendi, castra et fortalicia Flandrie circa limites Brabancie situata hominibus armorum et victualibus muniri et promoveri fecit. E contra vero dux Wenceslaus hoc sentiens castra et oppida sua eciam fecit communiri et custodiri.

Illo tempore erant in Brabancia multi valentes et strenui milites et capitanei, in factis armorum docti et experti, ut patuit in guerra inter reges Francie et Anglie, ante Cameracum, in obsidione Tornacensi et aliis diversis locis, qui unacum comite Montensi, qui dicto duci in auxilium venerat, Mechlinienses adeo coarctarunt et stricte tenuerunt, quod portas oppidi exire non audebant. Bruxellenses eciam per terram, et Antwarpienses per aquam limites Brabancie taliter custodierunt, quod Flandrenses Brabanciam a modo infestare non audebant. Antwarpienses eciam totam terram de Wasia cede, incendio et rapina, et alibi usque ad portas Gandavi perlustrarunt.

Quod videns comes Ludovicus indixit expedicionem generalem per totam suam terram Flandrie. Dux autem Wenceslaus, hoc percipiens, pari modo indixit expedicionem per totam Brabanciam, et personaliter se transtulit versus Trajectum et ducatum Limburgensem, ut tam de terra sua Lucenburgensi quam Limburgis homines armorum acquirere et secum in Brabanciam ducere posset.

De bello ante Bruxellam conserto, et aliis inconvenienciis inde subsecutis. Cap. IV.

Comes autem Ludovicus, percipiens quod dux Wenceslaus se de Brabancia absentavit, timensque quod dominus imperator, ipsius ducis frater, ei cum potencia assistere posset, volens se igitur accelerare et dicti domini 1356.

[1] Lib. V cap. CLXXIV et seqq., t. II p. 657 et seqq.

imperatoris adventum anticipare, congregato ex Flandria exercitu copioso, terram Brabancie intravit, magna dampna inferendo incendio et rapina, antequam dux Wenceslaus cum suis gentibus armorum, necnon Buscoducenses cum villicatione et Antwarpienses cum marchionatu poterant advenire. Sed Lovanienses, qui in Bruxellam advenerant, et Bruxellenses omnino comitem Flandrie voluerunt debellare. Et licet hoc per nonnullos nobiles, de factis armorum et periculis, que in bello accidere solent, se cognoscentes, fuit dissuasum, et consultum pro tuciori quod dominum ducem cum gentibus suis nobilesque patrie Brabancie Antwarpienses et Buscoducenses, qui jam in itinere erant, expectare deberent, rejecto tamen eorum consilio, Lovanienses et Bruxellenses, confuso ordine exeuntes, predictum comitem et ejus exercitum viriliter debellarunt. Comes autem Montensis et nobiles Brabancie in parvo numero ibidem existentes, verecundia ducti ipsos sequentes, equestri aggressione exercitum Flamingorum animose irrumpentes, per medium transierunt, in posteriores irruentes ipsos hinc inde disperserunt, multos occidentes. Et, quia comes Montensis et ejus vexillum armorum cum leone nigro, quemadmodum sunt arma comitis Flandrie, erant insignita, ideo major pars Flandrensium ipsum amicum existimabant, et sic salvus Vilvordiam intravit cum suis. Sed hoc modicum profuit : nam in primo belli congressu dominus de Asche, vexillifer ducum Brabancie, qui vexillum ducis in manu gerebat, a se projiciens ad solum, turpiter aufugit : quod turme peditum Lovanienses et Bruxellenses cognoscentes, statim terga verterunt.

Comes vero Ludovicus, victoria potitus, fugientes est insecutus, et innumeram multitudinem peditum gladio prostravit, et sic pugnando hostiliter Bruxellam intravit, ubi ante domum ville sive consulum suum vexillum et supra portas suos primipulos figi fecit et locari; deinde se ab incolis in ducem recipi et fidelitatis et obediencie juramenta sibi prestari obtinuit, Sugerum Vanden Heetvelde ammannum et septem scabinos de manu sua inibi instituendo. Hoc bellum autem contigit prope Bruxellam anno Domini M° CCC° LVI°, mercurii XVII° mensis augusti : que quidem dies Bruxelle adhuc nominatur *den quaden woensdag*.

Qualiter comes Ludovicus fuerat profectus versus Lovanium, ut ibi in ducem reciperetur, et qualiter abinde recessit. Cap. V.

Dum vero Ludovicus comes fuerat Bruxelle in ducem receptus, sano ductus consilio fecit ibidem publice preconizari, sub magnis penis, quod nullus oppidanis et incolis Bruxellensibus forefaceret, sed omnes se quiete et pacifice tenerent, quodque victualia et alia necessaria ipsis opportuna tam pauperibus quam divitibus bene persolverent, sperans per ipsum dulcem atque mitem modum alia oppida ad suam obedienciam et amorem allicere et acquirere debere : ipse enim fuit multum sagax et providus. Quibus peractis, comes in oppido Bruxellensi suis consiliariis et custodibus dimissis, versus Lovanium se duxit transferendum, et in itinere castrum Furense cum francisca acquisivit et de manu sua custodiri fecit : qui dum Lovanium appropinquasset, et per suos exploratores, quos premiserat, sibi cum suis pacificus ingressus innotuisset, Lovanium sine resistencia et obstaculo ingressus, cum mitibus et dulcibus verbis populum ante domum consulum obtinuit congregari, ubi blando et pacifico premisso sermone, sicut in Bruxella receptus fuerat, se, qui patriam Brabancie bellando gladio conquisivit, tamquam victorem in ducem Brabancie recipi et admitti et debita juramenta sibi prestari requisivit.

Dum autem populus ibidem congregatus ad hoc faciendum promptus fuerat et paratus, et ad hujusmodi prestanda juramenta digitos elevasset, affuit quidam canonicus regularis ecclesie Sancte Gertrudis Lovaniensis, nomine Wilhelmus de Sadelare, clamans alta voce : « Maledicti homines, » quid vultis facere? Mementote juramentorum, que hactenus vere et legi» time domine vestre domine ducisse Johanne ejusque conthorali et mam» burno, duci Wenceslao, prestitistis : nolite dejerare et esse perjuri, sed » vim vobis illatam vi repellere, et pro patria viriliter pugnare studeatis. » Qua voce audita omnes, quotquot ibi fuerunt presentes, se murmurando segregantes, ad invicem recesserunt : quod ipse Ludovicus videns et audiens, subito Lovanium exiens, Bruxellam redibat, et abinde, oppido, portis atque turribus suis cum gentibus et de manu sua communitis, ad Flandriam remeavit.

Qualiter dominus Everardus Tserclaes miles, frater quondam domini Johannis Tserclaes episcopi Cameracensis, oppidum Bruxellense ad opus ducis et ducisse subtiliter et viriliter acquisivit. Cap. VI.

Dominus autem Everardus Tserclaes, qui tempore predicti belli cum duce Wenceslao ultra Mosam extiterat, de adversa fortuna Lovaniensium et Bruxellensium, dum ad ipsius pervenit noticiam, multum condolens, a dicto duce licencia accepta, versus Bruxellam properavit. Qui, percepto quod comes Ludovicus erat in Flandria, congregatis suis cognatis et amicis quos habere poterat, secrete fossatis transvadatis, circa locum bene sibi cognitum, dictum *Wermoesbroeck,* quadam nocte per scalas muros ascendendo Bruxellam intravit. Tunc temporis non erant novi muri neque nova fossata facta, que anno sequenti fieri inchoata fuerunt. Et illico, postquam sic Bruxellam intraverat, intravit domum consulum sive scabinorum, et vocatis suis consanguineis et amicis, vexilla comitis ante dictam domum et supra oppidi portas posita extraxit et ad terram projecit, ubi vexilla ducis et ducisse posuit atque fixit. Mane autem facto, omnes incole Bruxellenses, premissa percipientes, statim penes dictum dominum Everardum applicantes, sibi assistenciam ad opus dominorum ducis et ducisse predictorum facere promiserunt, non obstante juramento per ipsos dicto comiti prestito, quod, quia vi et metu et timore mortis ab ipsis extortum fuerat, invalidum et ideo non obligatorium neque servandum judicarunt. Quod quidem Flamingi, quos dictus comes inibi pro custodia reliquerat,
1356. percipientes, illico hospite insalutato aufugerunt. Hoc autem accidit anno M° CCC° LVI° predicto.

Que omnia et singula supradicta Everardus duci et ducisse tunc in oppido Trajectensi constitutis significavit : qui sine mora gressus suos versus Bruxellam dirigentes, inibi honorifice et cum reverencia fuerunt recepti. Quantam autem reverenciam et graciarum actiones predicti dux et ducissa dicto domino Everardo exhibuerunt, quod lingua humana vix fari posset, ideo hic supersedeo multis asserere : ipse enim vere omni laude et honore se dignum fecit et iterum commemorandum.

Anno Domini M° CCC° LVI°, circa Nativitatem beate Marie, marchio Juliacensis primo adeptus est dominium de Monyouw et de Valckenborch.

Eodem anno, mensis septembris die XIX^a^, rex Johannes Francie, cum juniore filio suo, nomine Philippo, postea duce Burgundie, per principem Wallie, filium regis Anglie, in Francia et ante civitatem Pictavensem capitur, delphino filio regis Francie necnon et fratribus ejus Ludovico Andegavensi ac Johanne Bituricensi ducibus, ibidem presentibus, fugam ex bello capientibus et in civitatem Pictavensem se retrahentibus; ibique ceciderunt dux Athenarum et dux Burbonie et alii domini terrarum quamplures.

Anno supradicto in die Beati Luce evangeliste terremotus in superioribus partibus Reni factus est magnus, in quo civitas regalis Basilea cum aliis oppidis et castris pro magna parte corruit, et postmodum motu terre permanente. De quo terremotu ponuntur hii versus :

Anno milleno ter C semel L quoque seno,
In Luce festo, refero tibi corde molesto,
Per motus terre magnos, volo vera referre,
Cum turba multa Reni lux, heu, Basilea
Primitus est rupta subito, post incinerata;
Cum Liefstal versa sic sunt quamplurima castra.
Multum timebat plebs, nam pejora timebat.
O, quis non fleret loca qui predicta videret!
Quum cito tam pulchra loca sint nimis annichilata.
Quod bene senserunt quamplures qui perierunt,
Quos Deus atque pia nunc salvet virgo Maria.

Anno Domini M° CCC° LVI°, octo diebus ante festum Omnium Sanctorum, Bruxellenses et Lovanienses iterum ducem Brabancie expulsum recipiunt in eorum dominum et tutorem, cooperantibus ad hoc de Loen et Monte comitibus, et Flandrenses fugantur, ut supra narratur.

De bello Namurcensi. Cap. VII.

Anno Domini M° CCC° LVI°, circa festum Sancte Katherine, comites 1356
de Loen et de Monte cum Brabantinensibus invaserunt comitem Namurcensem, terram suam ubique rapinis et incendiis devastantes. Tandem non multo post recipitur ad graciam imperatoris.

De ordinacione facta per dominam Johannam ducissam Lucemburgensem super devolucione ducatus Brabancie post mortem suam. Cap. VIII.

1356. Quibus sic peractis, et dicto comite Ludovico a guerra et insolenciis non desistente, dicta domina ducissa Johanna, que ea de causa ipsi comiti neque ejus uxori, sorori sue, tunc temporis nullum bonum favebat, et signanter ad instigacionem serenissimi domini Karoli quarti Romanorum imperatoris et fratris ejus ducis Wenceslai, mariti sive consortis sui, per suas literas patentes, datas Bruxelle anno M° CCC° LVI°, feria secunda ante dominicam *Invocavit,* inter cetera ordinavit, quod, si ipsa non relictis heredibus, predicto duce Wenceslao consorte suo superstite, moreretur, quod tunc ipse consors suus in principatibus, terris et dominiis suis, tanquam naturalis princeps et dominus, sibi succederet, et dicti principatus, ducatus et dominia hujusmodi ad ipsum libere devolverentur. Si vero ipsa dicto consorte fortassis premortuo supervixerit, nec tamen a corpore suo heredes habuerit, ipsa hoc non obstante domina patriarum predictarum remaneret ad tempora vite sue; et, si ab alio marito proprii corporis heredes habuerit, illi sibi in hujusmodi principatibus, ducatibus, terris et dominiis succederent. Quod si memoratum consortem suum et ipsam nullis relictis heredibus ambos mori contigerit, eo casu principatus, ducatus et dominia terre Brabancie et Lymburgis ad prefatum dominum imperatorem, tamquam successorem legitimum, ipso vero ex tunc defuncto, ad proximiorem domus seu prosapie Lucemburgensis heredem, qui pro tempore fuerit, libere devolverentur : prout hec in ipsius ducisse Johanne literis latius videntur contineri, quarum tenor habetur infra in gestis dicti Anthonii ducis.

De tractatu inito inter ducem et ducissam Lucemburgensem et ducem Wilhelmum de Bavaria, comitem Hannoniensem, super pace tractanda inter ipsos et comitem Flandrie. Cap. IX.

Stante siquidem et durante guerra inter dominum Wenceslaum de Bohemia ducem et dominam Johannam ducissam Lucemburgensem, etc., ex una parte, et dominum Ludovicum comitem Flandrie, ex altera, pre-

libati dux et ducissa cum duce Wilhelmo de Bavaria, comite Hollandie, Hannonie, Zelandie et domino Frisie, et consilio et assensu nonnullorum dominorum de consilio, tam ex una parte quam ex altera, inierunt certum tractatum ex amiciciam, contentos et specificatos in ejusdem comitis literis patentibus desuper confectis, datis in Bergis supra Zomam anno Domini M° CCC° LVI°[1], mensis marcii die XXIX^{a}, in quibus dicti domini de consilio partis utriusque sunt nominati. Et inter alia est in eisdem literis specialiter comprehensum, quod dictus dux Wilhelmus esset potens et potestatem haberet tractandi pacem inter comitem Flandrie et ducem et ducissam prescriptos, ipsorumque terram et subditos; et, casu quo ipse comes dictam pacem facere posset, quod tunc haberet et teneret perpetue et hereditarie, pro se, heredibus et successoribus suis, castrum et terram de Hoesden cum pertinenciis suis universis, salvo dictis duci et ducisse et eorum successoribus, Brabancie ducibus, in ipsis sono campane, dicto *clockslach,* contra omnes, excepto comite Hollandie et suis successoribus, comitibus Hollandie; et, si dictam pacem facere non posset, quod tunc veniret sive fieret adjutor dictorum ducis et ducisse, terrarum et dominiorum eorumdem, et diffidare comitem Flandrie ejusque terras et adjutores infra unum mensem a data dictarum literarum suarum computandum, prout plenius in eisdem literis continetur.

Qualiter dux et ducissa dederunt potestatem dicto duci Wilhelmo de Bavaria tractandi pacem inter ipsos et comitem Flandrie. Cap. X.

Memorati vero dominus Wenceslaus dux et domina Johanna ducissa 1357.
Lucemburgensis, Brabancie etc., insequentes supra dictum tractatum, per et inter ipsos et prescriptum ducem Wilhelmum Bavarie, comitem Hannonie, etc., initum, per eorum patentes literas tenoris infrascripti eundem ducem Wilhelmum fecerunt potentem tractandi et faciendi pacem inter dominum Ludovicum comitem Flandrie, ipsius subditos, terras et oppida, ex una parte, et prelibatos ducem et ducissam ipsorumque subditos, terras et oppida, ex altera. Et quidquid ipse dux Wilhelmus desuper diceret, ordinaret aut faceret per suam discrecionem, hoc stabile et firme

[1] Stylo nov. 1357.

tenerent, acsi ipsimet facerent, pro se, suis subditis, terris et oppidis et successoribus, per fidem eorum et honorem : prout in dictis literis latius continetur.

« Wy Wenceslaus van Behem, by der gratien Godts hertoge, ende Johanne, by derzelver gratien hertoginne van Lutsemborch, van Lothryk, van Brabant, van Lymborch ende marckgraven des heylichs rycx, doen cont allen lieden, dat wy onsen lieven neve, hertoge Wilhem van Beyeren, greve van Henegouw ende van Hollant, geloeft hebben ende machtich gemaect eenre zoenen ende pays te dedingen ende te makene tusschen heeren Lodewyck greven van Vlaenderen, synen lieden, landen ende steden, op die een syde, ende ons, onsen lieden, landen ende steden, op d'ander syde. Ende wes hy daeraff ordineert, seegt oft maect op syne besceidenheit, dat sullen wy stede ende vast houden, gelyck of wy 'tselve daden, voer ons ende onsse liede, lande ende steden ende naercomelingen, by onser trouwen, sekerheyd ende by onser eeren. In oorconden deser brieven besegelt met onsen segelen. Ende om die meere sekerheyt ende vestenisse, soe hebben wy gebeden ende bidden, bevolen ende bevelen onsen lieven ende ghetrouwen baenroetsen, ridderen ende steden, als heeren Heinrick Berthout, heere van Duffele ende Gheele, heere Heinrick van Boutershem, heere van Bergen op den Zoom, heere Joanne van Polanen, heere van der Leeken ende van Breda, heere Geraerd van der Heiden, heere van Boutersem, heere Gerit van Vorsselaer, heere Bernaerd Boergevail, baenrotsen en ridderen; Loven, Brussel, Antwerpen ende t'Hertogenbosch, Thienen, Nyvel, Leeuwen ende Geldenaken, steden, dat sy alle saken als voorscreven es, als van zoenen ende van peyse gheloven te houden ende te doen houden, eenen yegelicken, wie dat hy sy, by hore trouwen, sekerheit ende by hore eeren, ende met ons desen brieff bezegelen. Ende wy baenroetsen, ridderen ende steden voorscreven, om der bede willen ende versuecke ons lieffs heeren ende vrouwen voorscreven, hebben wy geloeft ende geloven, by onser trouwen, sekerheit ende by onser eeren, voer ons ende onsse naercomelingen, alsulcke suene, pays ende accoert, als hertoge Willem maken of seggen sal, te houden ende te doen houwen eenen yegelicken, wie dat hy ware, die se breke of niet houwen en woude, met al onsser macht. Ende hebben in kennisse ende in tugenisse desen brieff besegelt met onssen

seghelen, om beden, wille ende versueke ons lieffs heren ende vrouwen voorscreven. Gegheven donderdaeghs naer Sinxten, in t' Ons Heren M CCC L ende VII. »

De pace facta per ducem Wilhelmum de Bavaria, comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie, inter Ludovicum comitem Flandrie, ex una, et Wenceslaum ducem et Johannam ducissam Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis, partibus ex altera. Cap. XI.

Postquam vero supradictus dominus Ludovicus comes Flandrie, de 1357 consilio hominum suorum nobilium et oppidanorum, ad majora inconveniencia evitanda, se per suas patentes literas submiserat in prefatum ducem Wilhelmum Bavarie, super predictis guerris et dissencionibus, exortis inter ipsum et dominum Wenceslaum ducem et dominam Johannam ducissam Lucemburgensem, Brabancie et Lymburgis, iidem dux et ducissa potestatem dederant dicto duci Wilhelmo, inter ipsos et predictum comitem tractandi pacem, et ab utraque parte promiserant se servaturos quidquid ipse dux Wilhelmus inter ipsos duxerit promulgandum et ordinandum, idem dux Wilhelmus, potestate ab utraque parte sibi attributa prius accepta, vigore submissionis et potestatis hujusmodi, inter partes easdem promulgavit et ordinavit, inter cetera, quod ipse comes Ludovicus ejusque heredes et successores, comites Flandrie, haberent et tenerent villam Mechliniensem cum suis appertinenciis et appendiciis perpetue et hereditarie, juxta continenciam literarum, tempore patris ejusdem comitis, super emptione dicte ville Mechliniensis confectarum, quodque episcopus Leodiensis et ejus capitulum, a quibus dicta villa tenetur in feudum, ipsum comitem reciperent in eorum hominem et vasallum.

Et insuper, quia domina Margareta comitissa Flandrie nondum fuit assignata neque persoluta de bone memorie quondam Johanne duce Brabancie, patre suo, de subsidio sui matrimonii, neque eciam de jure, quod sibi per decessum ejusdem sui patris advenire sive attinere potuit in mobilibus et aliis bonis, ob quam causam dicta guerra habuit ortum; in quorum recompensacionem memoratus dux Wilhelmus dixit et ordinavit, quod

ipsa domina comitissa, pro se et suis heredibus, quos haberet de presenti. vel ipsam habere contingeret in futurum de prefato comite Ludovico suo consorte, quolibet anno haberet usque ad summam decem millium aureorum de Florencia, pro qua quidem summa dicta comitissa teneret hereditarie, pro se, heredibus et successoribus suis predictis, in feudum et homagium de predicta domina Johanna ejusque heredibus, ducibus Brabancie, villam Antwarpiensem et omnes appertinencias et appendicias, infra ejusdem ville franchiseam constitutas, unacum justicia alta atque bassa ac redditibus et proventibus dicte ville Antwarpiensis propinquioribus. Et de hiis deberet dicta comitissa facere fidem sive fidelitatem, homagium et servicium, et similiter comes Ludovicus, tamquam ejus mamburnus legitimus, ac ipsorum heredes, sicut est preceptum, ducisse Johanne antedicte ejusque heredibus, Brabancie ducibus, prout frater vel soror junior suo fratri vel sorori seniori facere tenetur; quodque villa dicta Antwarpiensis dictis comitisse et comiti, tamquam ipsius mamburno, debita fidelitatis et obediencie juramenta facere tenetur.

Et insuper ordinavit et declaravit, quod bona pax sit inter predictum comitem et ducem et ducissam, ipsorumque terras, villas et gentes, nobiles et ignobiles, ab hac die in antea, numquam deinceps recordandum occasione eorum que inter ipsos facta fuerunt usque in presentem diem, quodque bonum amorem et legalem favorem mutuo habeant in omnibus causis, ac si numquam inter se dissensionem habuissent, nequaquam respectum habentes ad negocia que evenerunt de facto guerrarum aut alias.

Et adhuc dixit et declaravit, ad quodcumque ambiguitatis et obscuritatis dubium tollendum, quod omnes mercatores de Mechlinia, de Antwarpia, de Lovanio, de Bruxella et de omnibus aliis villis Brabancie poterunt ire et transire amicabiliter, ac pacifice ducere mercancias suas de una villa ad alteram, absque aliqua nova ordinacione, defensione, neque occasione uti sive frui aliter, seu alio modo, quam erat ante inchoacionem guerrarum predictarum.

Et insuper dixit, quod ducissa Brabancie et ejus heredes observabunt titulum se scribendi marcionem sacri imperii, propter causam superioritatis quam tenebant in Antwarpia, que ab ipsis tenebitur in feudum, ac eciam quod comes Ludovicus, quamdiu vixerit, se poterit ducem Brabancie scribere: prout hec, cum multis aliis clausulis, punctis et articulis,

in literis pronunciacionis et declaracionis inde subsecutis plenius continentur, que fuerunt date, scilicet pronunciacio in villa de Aeth, ipso die Trinitatis XIIII[a] mensis junii, anno Domini M° CCC° LVII° predicto [1].

Qua quidam sentencia, sicut premittitur, promulgata, Wilhelmus prolator illius incurrit amenciam, imo verius furiam, qui tamquam furiosus in castro Quartino, id est Keynoot [2], strictissimis vinculis taliter custodiebatur usque in finem vite sue : cujus tutelam suscepit Albertus dux, germanus suus.

De homagio facto duci et ducisse Brabancie per comitem et comitissam Flandrie de oppido Antwarpiensi cum pertinenciis. Cap. XII.

Ludovicus, Dei gracia comes Flandrie, dux Brabancie, comes Nyver- 1357.
nensis et Registetensis ac dominus Mechlinie, et Margareta, eadem gracia comitissa, ducissa et domina terrarum oppidi predictarum, per eorum patentes literas, in quibus litere ducis Wenceslai et ducisse Johanne, que ipsos de oppido Antwarpiensi cum pertinenciis suis infeudaverunt, mandantes expresse sculteto, scabinis, consulibus, vasallis et subditis Antwarpiensibus, quatenus sororem suam, tamquam dominam, et comitem, tamquam ejus mamburnum, in eorum dominam et dominum reciperent, ipsisque fidelitatis et obediencie juramenta prestarent, prout in dictis literis plenius continetur, que date fuerunt in Vilvordia, in vigilia Sanctorum Petri et Pauli apostolorum, anno M° CCC° LVII°, erant incorporate, notum fecerunt universis, recognoscentes, quod ipse Ludovicus comes, tamquam legitimus mamburnus dicte comitisse uxoris sue, juramentum et homagium fecit predicte ducisse Johanne, tamquam legitime hereditarie domine, et duci predicto, tamquam ejus mamburno, de oppido Antwarpiensi, per modum in hiis literis dictorum ducis et ducisse expressatum. Quapropter ipse comes et comitissa promiserunt, per eorum fidem, fidelitatem atque juramentum, predictis ducisse et duci, tamquam ejus mamburno, servire et facere in omnibus causis, sicut fidelis vasallus, junior frater vel junior soror, suo seniori fratri aut seniori sorori, unde fraternalem sive filialem bonorum particionem habet, facere tenetur secundum jus, con-

[1] Cfr. David, *Geschiedenis van de Stad en de Heerlykheid van Mechelen*, p. 222.

[2] Le château du Quesnoi.

suetudinem et usum patrie Brabancie. Preter hec recognoverunt ducisse et duci, ejus mamburno, predictis supremum dominium sive supremam jurisdictionem oppidi Antwarpiensis cum pertinenciis suis predictis, absque malo ingenio et fraude : prout in predictorum comitis et comitisse literis inter alia plenius continetur, que fuerunt date Mechlinie, in crastinum Sanctorum Petri et Pauli apostolorum, anno M° CCC° LVII° predicto.

« Lodewyc, bider gracien Godts greve van Vlaenderen, hertoghe van Brabant, greve van Nevers ende van Rethel ende here van Mechelen, ende Margarete, bider selver gracien grevinne ende hertoghinne ende vrouwe van den lande voorscreven, doen cont allen luden, dat, want onse lieve vrouwe ende suster, vrouwe Johanna hertoghinne van Lutzemborch, van Lothryck, van Brabant ende van Limborch ende marcgrevinne des heylichs rycx, als gerechte erffgename, ende heer Wenceslaus, hertoghe van denselven lande van Lutzemborch, van Lothryck, van Brabant ende van Lymborch, ende marckgreve des heylichs rycx, als onser voorscrevene suster wettige mambour, ons ontfaen ende verleent hebben, in der stadt van Antwerpen, met haerer toebehoorten binnen der vriheit derselver stad, gelyc haer brieven, die sy ons daeraff besegelt hebben, volcomelyck inhebben ende begripen, welke hiernaer volgen, ende aldus spreken van woerde te woerde :

» Wenceslaus van Behem, bider gracien Godts hertoghe, ende Johanna, bider zelver gracien hertoghinne van Lutcemborch, van Lothryck, van Brabant, van Lymborch, ende marckgreve des heylichs rycs, doen cont allen luden, want in den pays, die by onssen lieven neve, hertoghe Willem van Beyeren, greve van Henegouwe ende van Hollant, geordineert ende gesegt is uten bliven, dat wy daden op hem van den oorloghen, die geweest hebben tusschen den greve van Vlaenderen ende ons, dat onsse suster, vrouwe Margarete grevinne van Vlaenderen, ende die greve van Vlaenderen, als hare momboir, hebben soude in goedinghen van susterscheidingen die stad van Antwerpen, met hogen gerichte ende met nederen, met allen renten, vervallen ende toebehoerten, binnen haere vriheit, gelyk dat seggen ons voorseide lieffs neven inhielt, d'welk wy begeren ende meynen in allen te houdene : daeromme ees't dat wy Johanna hertoghinne voorgenoemd, als gerechte erfgenaem, by auctoreteit ende consent ons liefs heren des hertoghen voerseid, ons wettichs momboirs,

ontfaen hebben onse voorseide suster van Vlaenderen en mantscappen van der voorseide stad van Antwerpen, ende haer ende haren naercomelingen hoer die verleenen in eenen rechten leene, erffelyck, met horer toebehoerten, binnen der vriheit der voerseyden stad, als est voorseid, voer eene summe ghels van X dusent florensche guldens t's jaer, op dat die voorgenoemde stad alsoe goet sy; ende, oft sy niet alsoe goet en is, altoos na den tenore des seggens ons voerseyd neve van Henegouw ende van Hollant: ende oeck heeft ons daeraf die voorgenoemde greve van Vlaenderen eedt gedaen ende alles wat een wettige momboir schuldich is te doene. Ende in allen desen voorseiden saken, hebben wy ons ende onse nacomelingen, hertoghen ende hertoghinnen in Brabant, behouden die overste heerlicheit van der voerseide stad van Antwerpen met harer voergenoemde toebehoersten, met alsulken rechte ende dienste als eene outste suster, hertoghinne in Brabant, schuldich es te hebben op harer joncster suster van susterlyker deilingen, nae alle rechten, costumen ende usagen ons lants van Brabant. Waerby wy ontbieden ende bevelen onsen scouteit, scepen. rademannen, ende allen anderen ondersaten, edelen ende onedelen, geseten binnen der stad van Antwerpen ende haere vriheit voorscreven, dat sy, sonder eenich wedersegghen oft ander gebot van ons te hebben, onse voorseide suster van Vlaenderen ontfaen als gerechte vrouwe, ende den greve van Vlaenderen als horen momboir, ende hem doen hulden, trouwe ende manschap, ende alle dat goede luden doen sullen haere vrouwen ende here, ende te hen ende te horen amptluden die sy daer setten sullen. in allen saken ernstelic verstaen ende onderdanich syn, gelyc sy ons ende onsen amptluden tot nu toe gedaen hebben, ende onser voerders, hertoghen in Brabant; want wise met deser voerscreven saken van alsulken eede van trouwen, van manschape, als sy ons ghedaen in tiden verleden, quyt ende los schelden met desen brief. Emmer behouden ons ende onse naecomelinghen, hertoghen ende hertoghinnen in Brabant, de opperste heerlicheit van de stad ende haere toebehoorten voorgenoemd, na alle rechten, costumen ende usagen ons lants van Brabant, in alle der manieren welke voerseid es, alle arglist in desen saken utgescheiden. In oercunde ende meere sekerheit derwelker dingen wy onse segelen hebben doen hangen. Gegeven te Vilvorden, op Sinte-Peeters ende Sinte-Paulus avent der Apostelen, in 't jaer Ons Heren M CCC LVII.

» Ende wy Lodewyc, greve voorgenoemd, als wettigen momboir der voergenoemde grevinne onser wettige ghesellinne, eed ende manschap gedaen hebben onse voerseyde suster, als rechte erfgename, ende den hertogh voorgenoemd, als haren momboir, van de stad voorseid, als boven gesegt is. Daeromme geloven wy greve ende grevinne voerseid, by onse trouwe, sekerheit ende eede, onse voerseide suster der hertoghinne ende den hertoghe voorgenoemd, als haeren momboir, te dienen ende te doen in allen saken, als eenen ghetrouwen man, jonger broeder oft jonger suster, synen outsten broeder oft outster suster, daer hy broederlyke oft susterlyke goedinge af heeft, schuldich is te doen, nae rechte, costume ende usage des lants van Brabant. Bekennen ende verlien hierenboven onser suster der hertoghinne voergenomd ende den hertoghe, als haeren momboir, die opperste heerlicheit van de voorseide stad van Antwerpen mette voorgenoemde toebehoorten, in alder manieren dat die voorscreven brieven, die ons daeraf ghegheven zyn, volkomeliker inhouden ende begripen, sonder enigherande arglist. In orconden ende kennis van welken dingen wy onze segelen aen desen brief hebben doen hanghen. Gegeven te Mechelen 's anderdags na Sinte-Petrus ende Paulus dag der apostelen, in 't jaer Ons Here M CCC LVII. Aldus geteekent by myne here ende mynre vrouwen in haeren grooten raed. Daer waeren over heer Lodewyc van Namen, den heer van Sinte-Bernaerts, den Heere van Praet, mer Francke van Hallen, de heere van Poucke, van Floeksse, van Reygersvliet, ende veel andere van den rade. Lamb. »

Juramentum per incolas oppidi Antwarpiensis comitisse Flandrie, tamquam domine, et comiti, tamquam ejus mamburno, necnon juramentum per comitissam et comitem oppido Antwarpiensi prestita. Cap. XIII.

Deinde vero Ludovicus comes et Margareta de Brabancia comitissa, presentatis prius literis originalibus ducis Wenceslai et ducisse Johanne, in suprascriptis comitis et comitisse literis incorporatis, sculteto, burgimagistris, scabinis, consulibus et incolis Antwarpiensibus, fuerunt tamquam domina et dominus per eosdem, necnon abbatem et conventum ac decanum et capitulum Antwarpiense, processionaliter cum crucibus et vexillis,

solempniter in dicto oppido intronizati, et ducti usque ad domum scabinorum sive consulum, ubi comitissa, tamquam domina, et comes predictus, tamquam ejus mamburnus, juraverunt sancte ecclesie et dicto oppido Antwarpiensi servare, et facere servari, firma et stabilia omnia ipsorum jura, privilegia, libertates, statuta, consuetudines, usus et observancias, vetera et nova, bene et fideliter, ipsosque non per vim sed per legem et justiciam tractare, omniaque facere que bona domina et bonus dominus suis hominibus et subditis facere tenerentur. Communitas vero dicti oppidi, ante dictam domum consulum congregata, juravit dicte domine comitisse, tamquam eorum domine, et domino comiti, tamquam ejus mamburno, ibidem presentibus, quod ipsis essent boni et fideles, et omnia facere que boni et fideles homines eorum veris domine et domino facere tenentur. Quibus peractis, comes et comitissa statuerunt ibidem scultetum, ammanum, scabinos et alios officiatores, ut moris est.

De dissencione orta inter Antwarpienses et Mechlinienses propter fora salis, piscium et avene, de qua Ludovicus comes petebat quod utraque pars sue ordinacioni se submitteret, quod Antwarpienses facere recusabant. Cap. XIV.

Subsequenter vero, postquam supradictus Ludovicus comes Flandrie fuit adeptus possessionem oppidorum Antwarpiensis et Mechliniensis, oppidani Mechlinienses traxerunt Antwarpienses in causam coram domino comite predicto, super jure trium fororum, scilicet piscium, salis et avene, proponentes quod eadem fora, que hactenus fuerant ipsis collata per quondam Johannem hujus nominis Brabancie ducem secundum, in quorum eciam possessione pacifica extiterant, que eciam ipsis fuerant per dictum comitem confirmata, Antwarpienses jam usurpaverant, de facto petentes eadem fora ipsis restitui et in eorumdem possessione pacifica manuteneri. Ludovicus autem comes, audita peticione querelosa oppidi sui Mechliniensis, cui multum favebat, et Antwarpienses odiebat, tum quia Mechlinienses, seclusis ducissa et duce Brabancie, non vi, non coacti sed sine obstaculo, spontanea voluntate, ipsum in eorum dominum receperunt, tum eciam quia ipsi Antwarpienses in novissima guerra inter ipsum et

predictos ducem et ducissam vigente sibi et patrie sue Flandrie plura dampna intulerunt quam tota patria Brabancie, et ut ipse comes, ut dicitur, se de ipsis in secreto vindicare, et Mechliniensibus recompensam condignam rependere posset, petivit a predictis Antwarpiensibus, ut se de hujusmodi questione sive querela ordinacioni sue submitterent. Ad quod dicti Antwarpienses responderunt, quod, licet dudum predicta fora fuerunt per supradictum ducem Johannem in Mechliniam translata, nichilominus translacio hujusmodi fuit per Heinricum imperatorem revocata, et per ipsum ipsa fora oppido Antwarpiensi restituta, de quibus ipsi Antwarpienses fuerunt, et ipse comes repperit eos, in possessione pacifica, quodque dictum oppidum Antwarpiense cum dictis foris ab imperio tenerentur in feudum per ducissam et ducem Brabancie, a quibus ipse comes eadem oppidum et fora in feudum relevavit, qui ipsis eciam in jocundo adventu et receptione promisit et juravit, omnia ipsorum jura, privilegia, libertates, consuetudines et observancias fideliter observare. Quibus attentis, dixerunt sine consensu expresso imperatoris vel ducis vel ducisse Brabancie predictorum ipsis super ipsis foris non licere ipsius ordinacioni se submittere. Quare petiverunt humiliter se ab impeticione Mechliniensium absolvi, et in dictorum fororum pacifica possessione, sicuti in ipsa reperti fuerunt, manuteneri et defendi, necnon ipsos de non submittendo ordinacioni sue habere et tenere excusatos: ipsi enim, sicuti eciam juraverunt, essent sibi utique boni et fideles, et omnia facere deberent, que boni et fideles subditi suo domino facere tenerentur. Comes vero, de hujusmodi responsione pessime contentus, animo irato et iracundo de Antwarpia recessit.

Qualiter Antwarpienses ad hoc coacti de dictis foris in predicti comitis ordinacionem se submiserunt, et qualiter ipse desuper suam sentenciam promulgavit. Cap. XV.

1357 Tandem non multis diebus elapsis, memoratus Ludovicus comes, immemor promissionum et juramentorum, si fas sit dicere, in suo jocundo adventu et prima receptione dicto oppido suo prestitorum, ipsum oppidum manu armata cum permaxima multitudine hominum armatorum tam

per aquam quam per terram intravit, et subito ducentos et quinquaginta de notabilioribus et dicioribus dicti oppidi burgensibus captivari, ac in Flandriam in diversis oppidis, scilicet in Gandavo et Brugis et in Ypris, tamquam obsides, transmitti fecit : quod clare fuit contra ipsorum privilegia ipsis per duces Brabancie concessa, videlicet quod burgenses Antwarpienses captivati extra oppidum duci non possent neque deberent.

Quibus sic peractis, ipse comes recedens ab Antwarpia inibi tot servientes et gentes armorum dimisit, quod oppidanis potenciores fuerunt, qui incolas taliter tractaverunt, quod metu et timore mortis coacti se super premissis dicti comitis ordinacioni submittentes, per eorum literas patentes, in forma ipsis ad hoc collata, ipsi eciam comiti omnia ipsorum privilegia, et specialiter de dictis foris mencionem facientia, per certos ipsorum deputatos apud Montem Sancti Winoci, dictum *Sinte-Winnoxberghe*, transmiserunt, cum tali condicione, quod ipse, qui eciam hoc se facturum promisit, postquam ipsa privilegia visitaverit, seu per consilium suum visitari fecerit, quod tunc ea privilegia in dicto oppido transmittere deberet. Sed heu proch dolor! non fecit, sed, quamdiu vixit, non fuerunt remissa. Quorum tamen aliqua tempore ducis Anthonii bone memorie, et aliqua tempore generosi domini mei Philippi, domini ducis moderni, ut fertur, fuerunt recuperata.

Et, antequam servientes et gentes armorum dicti comitis Antwarpiam exirent, et dicti burgenses captivi et obsides detenti ab eorum captivitate et detencione liberi et absoluti esse poterant, oportuit ipsos eciam per eorum patentes literas submittere dicti comitis ordinacioni super foris predictis, atque jurare intrare dictum oppidum Antwarpiense, et ibidem cum majori eorum familia morari, et in nulla alia villa se neque bona sua transferre : super quibus foris ipse comes, vocatis et auditis partibus hinc-inde, in earum presencia suam pronunciavit ordinacionem, prout patet in suis literis patentibus desuper confectis tenoris infrascripti [1] :

« Wy Lodewyc greve van Vlaenderen, hertoghe van Brabant, greve 1358
van Nevers, van Rethel ende here van Mechline ende van Antwerpen, doen te weeten allen lieden dat, als van den geschille dat ghesyn heeft tusschen onser stad van Mechline, aen d'een syde, ende onse stad van Antwerpen, aen d'ander, als van der vischmarct, soutmarct ende haver-

[1] Cfr. David, op. cit. p. 539.

marct. daeraf sy aen beiden siden bleven syn op ons ende hen verbonden hebben onsen segghen ende ordinanche te houdene, by haeren openen brieve die sy ons daeraf gegheven hebben, op d'welke wy ontboden beiden partien voer ons te zekeren daghe, omme over te hebben alle privilegien. charten. litteren ende munimenten, daermede hem elc in die voerseide sake ghelpen wilde. soe dat sy voor ons quamen ten daghe voerseid, elc die overbrenghende ende ons overghevende, omme elken hem te helpen in die saken voorseid, d'welke privilegien, charten, litteren ende munimenten. alsoe overghegheven van partien voerseid, wel versien, ghelesen ende geexamineert, by den edelen van onsen bloede ende van onsen raede, ende by onsen goeden steden Gent, Brugghe ende Ypre, ende met vele clercken van rechte, hebben by goeder voersienicheiden. in presencien van partien voerseid ende van onsen ghemeynen lande van Vlaenderen. gheseit, ghewyst ende geordineert. segghen. wisen ende ordineeren by dese litteren, dat die vischmarct, soutmarct ende havermarct, ende alrande vlot bliven sal onser voerseiden stad van Mechlen, alsoe haere privilegien verclaren, die sy daeraf hebben van onser vordere, den hertoghe van Brabant, ende sullen daeraf bliven in hare possessie als sy waren by 'ts hertoghe Jans tiden, ons vaders. daer God die ziele af hebben moete; ende dat onze lieden van onser stad van Antwerpen sullen mogen nemen ende hebben daeraf te hare provancien behoef alsoe vele onse stad van Antwerpen orbelyc es, sonder utvoeren van hen of anderen van dat gheldende by den staele, ende alzoe 't ghelden sal te Mechelen. sonder fraude ende argelist. Ende alsoe segghen wy ende wysen partien voerseid, dat sy voortaen t'eeweliken daghen, sonder in enegher manieren daerjeghen te gane of te doene, op al dat sy houden van ons, ende op die peyne ende verbinden. die sy ons daeraf ghedaen hebben by haere litteren. alsoo voerseid is. Ende waer 't soe dat hier enighe donckerheit ware, of enich geschil in eneghen toecomenden tiden, dat behouden wy t'onser verclaringen ende t'onsen besceide, ende t'onsen nacomers, om dat te verclarene ende te bescheidene, wanneer ende alsoe dicke als 't noot ware, immer behouden onsen segghene voorseid. In orcontscapen der dingen voerseid, ende om dat wy willen dat sy wel ende vast gehouden sy t'eewelicken daghen, soe hebben wy aen dese litteren ons seghel doen hangen. Ghegheven tot Bergen Sinte-Winnox, in de abdye, den XIII^en^ dach van september. in het jaer Ons Heren M CCC LVIII, by mynen Here. by

synen groten rade, present syne goede steden, Gend, Brugghe ende Ypre, die van Vrien, ende alle die smalle steden en castelrien van den gemeynen lande van Vlaenderen, wesende aldus geteekend by myn Here ten parlemente : LAMB. »

De adventu Karoli quarti imperatoris in civitatem Metensem, et de legibus per ipsum editis in solempni sua curia, in Nativitate Christi ibidem promulgatis et publicatis. CAP. XVI.

Anno Domini M° CCC° LVII° predictus imperator Karolus per totum 1357. adventum Domini stetit in civitate sua Metensi, ubi circa festum Beate Lucie venerunt ad eum cum maxima comitiva reverendissimus pater dominus Theodoricus episcopus Albanensis, sancte Romane ecclesie cardinalis Petragoricensis vulgariter nuncupatus, et illustrissimus princeps Karolus primogenitus regis Francie, Normannie dux et delphinus Viennensis, dicti imperatoris nepos, scilicet sue sororis filius. Qui quidem imperator in solempni sua curia Metensi, assidentibus sibi omnibus principibus electoribus, ecclesiasticis et secularibus, dictisque cardinale Petragoricensi et delphino Viennensi et aliorum principum, comitum, baronum et procerum nobilium et civitatum multitudine innumerosa, in solio majestatis cesaree, imperialibus infulis insignitus et diademate decoratus, matura deliberatione previa, de imperialis potestatis plenitudine, nonnullas leges, XXIII capitula, alias per ipsum in solempni sua curia Neurembergensi anno predicto, necnon certas alias leges, quinque capitula continentes, in dicta sua solempni curia Metensi editas, promulgavit et publicavit, post festum Nativitatis Christi anno Domini M° CCC° LVII°, indictione X°, regnorum suorum anno XI°, imperii vero secundo. Quarum quidem legum, que Karoline communiter dicuntur, literas sub bulla aurea communitas ipse Karolus imperator in predictis suis solempnibus Neurembergensi et Metensi curiis publice legi fecit et publicari.

Item, in eadem solempni curia Metensi quoddam memorie dignum accidit et solempne : nam principes electores omnes ibidem existentes, quilibet eorum in suo proprio officio, imperiali curie decenter et honeste, prout decuit, deserviebant. In qua eciam curia Wilhelmus marchio Juliacensis per ipsum imperatorem et principes electores favorabiliter exaltatur in ducem

De questione suborta inter ducem Saxonie, ex una, et ducem Wenceslaum, tamquam ducem Brabancie et marchionem sacri imperii, parte ex altera, quis videlicet eorum ensem imperialem in solempnibus curiis ante imperatorem gestare sive tenere deberet. Cap. XVII.

1357. Sequuntur copie literarum serenissimi et invictissimi principis quondam Karoli quarti Romanorum imperatoris, necnon reverendorum patrum et illustrium principum, dominorum Boëmundi Treverensis, Wilhelmi Coloniensis, Gerlaci Maguntinensis archiepiscoporum, Roberti senioris, comitis palatini Reni et Bavarie ducis, et Ludovici Brandeburgensis et Lucisensis marchionis, electorum imperii, per quas imperator ipse declarat, et electores notum faciunt universis, quod imperator declaravit, quod illustri domino Wenceslao, Lucemburgensi, Lotharingie et Lymburgis duci sacrique imperii marchioni, in juribus et privilegiis, sibi et ducatui Brabancie et marchionatui, presertim circa portacionem sive tensionem ensis imperialis, competentibus, nullum per hoc prejudicium generari, vel in posterum illud sibi posse vel debere quovis modo nocere, quod illustris Rudolphus dux Saxonie in imperiali sua curia Metensi ensem imperialem ante faciem suam gestavit, et eciam circa mensam suam imperialem tenuit coram ipso : et hoc ex eo quod imperator, considerando quod predictus frater suus ducatum Brabancie et marchionatum, quorum virtute ensem ipsum ad gestandum et tenendum sibi dari petebat, a celsitudine sua nondum suscepit in feudum, nec de feudis ducatus et marchionatus eorumdem per ipsum imperatorem adhuc extitit investitus, prout in dictis literis continetur, quarum tenores sequuntur in hec verba [1] :

« Karolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex. Notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solempni curia nostra imperiali, quam in civitate Metensi sacratissimo die Nativitatis dominice cum universis principibus electoribus, ecclesiasticis et secularibus, presentibus eciam aliis principibus, proceribus et nobilibus, in multitudine innumerosa [2] celebravimus, inter illustres Rudolphum ducem Saxonie, sacri imperii archimarescallum, avunculum nos-

[1] Cfr. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 191.

[2] Alias *numerosissima*.

trum, ex una, et Wenceslaum Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem sacrique imperii marchionem, fratrem nostrum, parte ex altera, suborta fuisset materia questionis, quis videlicet eorum ensem nostrum imperialem, in predicta et aliis solempnibus curiis imperialibus, ante faciem majestatis cesaree procedendo gestare, seu, imperatore vel rege Romanorum in mensa vel pro tribunali sedente, coram eo tenere deberet, utroque ipsorum hoc sibi competere contendente : Nos, volentes contencioni hujusmodi, et scandalis, que nasci potuissent exinde, aditum precludere, per semitam equitatis, habito cum electoribus et aliis principibus antedictis super hoc maturo consilio, considerantes quod predictus frater noster ducatum Brabancie et marchionatum predictos, quorum virtute ensem ipsum ad gestandum, ut premittitur, et tenendum sibi dari petebat, a nostra celsitudine nondum suscepit in feudum, nec de feudis ducatus et marchionatus eorumdem per nos adhuc extitit investitus, declaravimus et tenore presencium auctoritate imperiali declaramus expresse, eidem fratri nostro, Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis duci et marchioni imperii, in juribus, privilegiis sibi et dictis ducatui et marchionatui, presertim circa portacionem et tencionem ensis imperalis, competentibus, nullum per hoc prejudicium generari, vel in posterum illud sibi posse vel debere quovis modo nocere, quod prefatus dux Saxonie in supradicta curia nostra ensem ipsum ante faciem nostram gestavit, et eciam circa mensam nostram imperialem tenuit coram nobis : presencium sub imperialis majestatis nostre sigillo testimonio literarum. Datum Metis, anno Domini M° CCC° LVII°, X^{a} indictione, nonis januarii [1], regnorum nostrorum anno undecimo, imperii autem secundo [2]. »

« Boëmundus Dei gracia sancte Trevirensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius. Notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solempni curia imperiali, quam serenissimus ac invictissimus princeps et dominus, dominus Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex, dominus noster graciosus, in civitate Metensi, sacratissimo die Nativitatis dominice, nobiscum et cum aliis universis principibus electoribus nostris, ecclesiasticis et secularibus, presentibus eciam aliis principibus, proceribus,

[1] Apud Butkens additur : *stylo gallico.*
[2] Ibid. desunt quae sequuntur.

nobilibus in innumerosa multitudine, celebravit inter illustres principes, dominum Rudolphum ducem Saxonie sacrique imperii archimarescallum, ex una, et dominum Wenceslaum Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem sacrique imperii marchionem, parte ex altera, suborta fuisset materia questionis, quis videlicet eorum ensem imperialem in predicta et aliis solempnibus curiis imperialibus ante faciem majestatis cesaree procedendo gestare, seu, imperatore vel rege Romanorum in mensa vel pro tribunali sedente, coram eo tenere deberet, utroque ipsorum hoc sibi competere contendente : idem dominus noster, dominus imperator, contencioni hujusmodi et scandalis, que nasci potuissent exinde, aditum volens precludere, per semitam equitatis, habito nobiscum et cum coëlectoribus nostris aliisque principibus antedictis super hoc maturo consilio, considerans quod predictus dominus Wenceslaus Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux ac sacri imperii marchio, ducatum Brabancie et marchionatum, quorum virtute ensem ipsum ad gestandum, ut premittitur, et tenendum sibi dari petebat, ab ipso domino nostro, domino imperatore, nondum suscepit in feudum, nec de feudis ducatus et marchionatus eorumdem per ipsum adhuc extitit investitus, auctoritate imperiali, nostro accedente consilio, declaravit expresse, jam dicto Wenceslao Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis duci ac marchioni imperii, in juribus et privilegiis, sibi et dictis ducatui et marchionatui, presertim circa portacionem et tencionem ensis imperialis, competentibus, nullum per hoc prejudicium generari, nec in posterum illud sibi posse vel debere quovis modo nocere, quod prefatus dominus Rudolphus dux Saxonie in supradicta imperiali curia ensem ipsum ante faciem ipsius domini nostri domini imperatoris gestavit, et eciam circa mensam imperialem tenuit coram ipso : presencium sub sigillo nostro appenso testimonio literarum. Datum Metis, anno Domini M° CCC° LVII°, secundum modum et stylum scribendi in civitate et dyocesi nostra Treverensi, die Beati Joannis apostoli et evangeliste. »

« Nos Wilhelmus Dei et apostolice sedis gracia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solempni curia imperiali, quam serenissimus, etc., » per totum ut in litera domini Boëmundi Treverensis archiepiscopi immediate precedente continetur, exceptis verbis

sequentibus in data ejusdem litere contentis, videlicet : « secundum modum et stylum scribendi in civitate diocesis Trevirensis, » que verba in data dicti archiepiscopi Coloniensis non habentur.

« Nos Gerlacus Dei gracia ac apostolice sedis sancte Moguntinensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solempni curia imperiali, etc., » per totum ut in litera quondam domini Wilhelmi Coloniensis archiepiscopi immediate precedente.

« Nos Rubertus senior, Dei gracia comes palatinus Reni, sacri imperii Romani archidapifer et Bavarie dux, notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solenni curia imperiali, etc., » per totum ut in litera quondam domini Wilhelmi Coloniensis archiepiscopi immediate precedente.

« Nos Ludovicus dictus Romanus Brandenburgensis et Lucisensis marchio, sacri Romani imperii archicamerarius et Bavarie dux, notum facimus tenore presencium universis, quod, cum in solempni curia imperiali, etc., » per totum ut supra in litera prelibati quondam domini Wilhelmi archiepiscopi Coloniensis.

Qualiter et ob quam causam communitas insurrexit in Lovanio.
Cap. XVIII.

Circa hec tempora quidam mercator, pisces suos ad forum in Lovanio 1356
ducere proponens, dum venit circa locum dictum de Leeps, vehiculum suum incidit in semitam cenosam et profundam, quod ut commodius extraheret, ne horam debitam veniendi ad forum amitteret, arripuit ex pascuis in subsidium suum unum jumentum, quod, quousque vehiculum suum extraxerat et dictam semitam transierat, in dictis pascuis reposuit. Quod videns quidam ribaldus, hoc detulit Petro dicto Coutreel, villico Lovaniensi [1], asserens quod ipse mercator illud jumentum fuerat furatus, propter quod idem mercator, dum venit Lovanium, fuit tamquam fur et pro fure per clientes dicti villici captus et incarceratus. Qui tandem per

[1] Praetor urbanus odio in patricios imbutus.

scabinos ibidem, debita informatione previa, servatisque servandis, fuit sentencialiter tamquam innoxius et innocens ab ipsius villici impetitione quitus et liber judicatus. Et quia ipse villicus dictum mercatorem de carceribus relaxare ac quitum et liberum abire renuit, licet sufficienter requisitus ut scabinorum sentencie pareretur, et eam execucioni debite demandaret, dicti scabini sibi significarunt, quod ipse, juxta et secundum ipsorum privilegia, que ipse juraverat observare, indignum se reddidit sue villicationis officio amplius deservire, quodque ipsum pro ipsorum villico de cetero non tenerent. Quapropter supradictus villicus, transferens se versus ducem Wenceslaum, tunc apud Furam existentem, sibi magnas querelas contra scabinos et consules Lovanienses proponens, inter cetera significavit, quod, licet ad ipsum spectaret, et ad ejus antecessores duces Brabancie usque ad hoc tempora semper spectasset, jus ac potestas instituendi ac destituendi villicum Lovaniensem, et ipse fuerit per eundem ducem sui gracia in villicum Lovaniensem institutus, et non preceperat quod ab ipso fuerat destitutus, verum quod tantum esset per scabinos et consules Lovanienses a suo officio destitutus, qui dixerant quod ipsum pro ipsorum villico amplius non tenerent neque recognoscerent; et, licet de ipsius destitutione modicum esset curandum, nichilominus quod ipse sentiret, quod per factum hujusmodi dominus dux jurisdictionem suam atque jus institutionis et destitutionis villici omittere posset, volens ergo se quitare in juramento suo ipso domino duci in sua institutione prestito, idcirco premissa sibi significare curavit.

Dum autem Petrus Coutreel suam querelam, sicut premittitur, exposuerat dicto domino duci, pro tunc in aula sua Furensi existenti, cui astans dominus Reynaldus dominus de Schoenvorst, ipsius domini ducis consiliarius precipuus, dixit : « Domine metuende et graciose, vos nunquam poteritis oppidum vestrum Lovaniense subjugare, neque potestatem desuper habere plenariam, nisi procuraveritis in communitatem insurgere et ipsis ad supportandum [1] generosorum tribus sive prosapias favorizare. » Heu proch pudor! quod talia verba ignominiosa, que sapientem proferre non decet, ex ore tanti viri, in curia post principem inter nobiles major reputati, tam inconsulte prodierunt : per que in generosorum atque sapientum

[1] Alias *suppetandum*.

exterminium poterant imperite multitudinis corda inflammari populorum : populi namque veritatis prompti hostes sunt, et nobilibus sive generosis oppido infesti, nec quis placere potest populo, cui placet veritas; malis enim artibus favor populorum acquiritur, quorum tumultus summa diligencia est vitandus. Nam, ut canit Orosius, servilis tumultus quanto est rarior, tanto crudelior : libera enim multitudo commovetur, ut patriam augeat, servilis, ut perdat. Hec ille. Dux autem ad premissa nichil respondit, ac illis intendere nolens, de alia materia loqui cepit cum domino de Schoenvorst prelibato, qui si de privilegiis oppidi Lovaniensis fuisset informatus, forsitan predicta verba non protulisset.

Qualiter Petrus Coutreel ad propositum suum consequendum communitatem ad se attraxit. Cap. XIX.

Petrus vero Coutreel, modum ducis considerans, proposuit in mente 1359.
sua consilium domini de Schoenvorst ad actum exequi velle, sperans per medium ipsius, qui supremus apud ducem de ipsius consilio videbatur, si forefaceret, ab eodem duce graciam et remissionem pro se et suis faciliter obtinere debere. Hic Petrus ergo Lovanium rediens, duobus nepotibus suis intencionem suam in secreto notificavit, cum quorum auxilio corda communis populi contra generosorum sive nobilium naciones sive prosapias ad insurgendum secum contra easdem secrete et subtiliter cepit inflammare : quibus viis obliquis et sinistris ad se attractis, pro mala sua intencione consequenda et in actum deducenda, dedit ipsis certum signum, per quod in certo loco ad se venire deberent, in nocte diei festivitatis Beate Marie Magdalene.

Qualiter Petrus Coutreel omnes scabinos et consules et pociores de nacionibus captivavit et in castro Lovaniensi vinculis carceralibus mancipavit. Cap. XX.

Anno Domini M° CCC° LX°, adveniente nocte diei sive festivitatis Sancte 1360.
Marie Magdalene, accidit quod quedam ancilla cujusdam scabini, vadens

ad tabernam pro vino, obviavit suo amasio, qui ei secrete narravit congregacionem communitatis ad predicti Petri instigacionem illa nocte fiendam contra scabinos et alios viros generosos de prosapiis, quodque domum consulum primo intenderent occupare. Que quidem ancilla premissa per ordinem suo magistro narravit, qui incunctanter hoc significavit suis conscabinis, et aliis consulibus et viris generosis de prosapiis, qui sine mora ad predictam domum consulum pariter convenerunt, de communitatis insurrectione multum ammirantes.

Isto tempore fuit in Lovanio dominus Gerardus dominus de Vorsselaer, miles strenuus et in factis armorum expertissimus, qui dum de hujusmodi congregacione fuerat cercioratus, illico accessit predictum Petrum Coutreel, quem cum satellitibus suis inveniens in magno foro retro domum Pannorum, de suo tumultu, quem inceperat, dire increpavit, sed, quidquid sibi consuluit, ipsum a suo proposito avertere nequivit. Quare idem dominus de Vorsselaer adivit supradictos scabinos et alios generosos viros in domo consulum existentes, quibus obtulit, si talis animi forent, quod temeritatem ipsius Petri et suorum, qui adhuc non erant in magno numero congregati, bellando prosternere vellent, ipsis cum suis ad hoc assistere vellet corde et animo, et in ipsos primitus irruerre, sperans adjutorio Dei superare et victoriam reportare, antequam turme majoris partis communitatis, que adhuc non aderant, possent advenire, que utique, dum legislatorum et aliorum generosorum victoria et ipsius Petri Coutreel casu perceptis, tumquam pulli a conspectu milvi latibulum fuge quererent. Sed, quia legislatores et alii viri boni predicti ipsius domini de Vorsselaer consilio, tamquam pusillanimes, uti et suos adversarios aggredi et temeritatem ipsorum compescere non audebant, idcirco a Lovanio recedens equitavit versus Bruxellam.

Petrus igitur, fretus auxilio communitatis, mane facto, venit manu armata cum tota comitiva ante domum consulum, ex quibus a parte legislatorum petebatur, ob quam causam hunc tumultum facerent manu armata. Quibus dictus Petrus respondit, quod ibi non venerant ad inferendum alicui aliquod malum, sed dumtaxat de bonis et proventibus oppidi computum et rationem habere volebant, et, si de ipsis racionem reddere vellent, ipsi de hoc starent contenti. Quibus auditis aliqui dixerunt, quod istud negocium ipsos non concerneret, licet essent de prosapiis, cum nunquam

fuerunt de consilio oppidi; aliqui dixerunt, quod hoc negocium ipsos non tangeret, quia, licet fuerunt scabini et consules, tamen nunquam habuerunt administracionem de bonis oppidi; aliqui dixerunt: « Lapsi sunt XX » vel XXV anni, quod receptores fuimus, sed de recepta bonorum oppidi » reddidimus racionem; » aliqui dixerunt : « Nos fuimus ultra duos annos » receptores, unde computum fecimus. Placet vobis quod computa nostra » examinantur? si in defectu reperti fuerimus, corrigamur; » dixerunt novissimi : « Nos sumus administratores et receptores bonorum oppidi » de presenti; displicet nobis quod propter nos aliquod disturbium sive » scandalum insurgeret in populo; parati sumus reddere racionem de » receptis juxta consuetudinem hactenus observatam. » Finaliter fuit conclusum et predicto Petro et suis pro responso datum, quod infra terminum congruum et competentem desuper ordinandum de bonis dicti oppidi coram dicta communitate seu deputatis eorum racio fieri deberet, salvo quod dictus Petrus Coutreel bona fide promitteret, prout promisit, quod dicti oppidi gubernatoribus nulla violencia inferetur in corporibus nec in bonis. Et sub ista condicione iste Petrus cum suis satellitibus in magno numero domum consulum ascendens, fecit sibi ad statim omnes claves oppidi offerri : quo facto, non obstantibus condicionibus prescriptis, fecit omnes potenciores viros de prosapiis captivari et in castro Lovaniensi vinculis carceralibus mancipari, quos per dicti oppidi rustibaldos fecit diligenter custodiri. Que omnia sic completa sine mora dicto domino de Schoenvorst literatorie insinuavit, qui tantum apud ducem Wenceslaum procuravit, quod, mediante magna pecuniarum summa ex parte Petri et communitatis predictorum eisdem duci et domino de Schoenvorst promissa, ipse dux oculis conniventibus hanc rem sic pertransire permisit.

Qualiter hoc eodem tempore communitas in Bruxella contra scabinos et alios de prosapiis eciam insurrexit. Cap. XXI.

Hoc eodem anno M° CCC° LX°, in crastino festivitatis Beate Marie Mag- 1360.
dalene predicte, communitas Bruxellensis, cerciorata de disturbio sive tumultu facto in Lovanio, eciam insurrexit contra scabinos et alios viros generosos de prosapiis in Bruxella. Voluit enim populus, quod pro dicti

oppidi regimine instituerentur de communitate XII persone: quod ad precavendum atque vitandum pericula et inconveniencia, que alias inde forent verisimiliter ventura, fuit ipsis concessum, et ex tunc fuerunt facti duo magistri communitatis et decem consules. Quorum regimen non diu duravit; nam ipsa communitas Bruxellensis, malo et perverso inducta consilio, nitebatur septem prosapias et omnes viros generosos ad ipsos pertinentes funditus extirpare, et regimen oppidi aliis exclusis usurpare, et ad hoc perficiendum, multa inter se secreta conventicula observantes, finaliter concluserunt quod certa nocte ex tunc futura manu armata congregantes, predictas prosapias subpeditare, et in ipsos tumultuose insurgendo omnino vellent delere. Quod tam secrete non fuit factum, quin hoc relacione nonnullorum oppidi clientium, qui hoc fortuito casu perceperant, ad predictorum scabinorum et aliorum ex prosapiis generosorum virorum noticiam pervenit : qui incunctanter in basso foro ante domum ville cum suis amicis coadunantes, et veritatem hujusmodi insultus perscrutantes, unacum domino de Vorsselaer, milite in factis guerrarum valde experto, inter se tractaverunt, qualiter predictis communitatibus melius resistere et opiniones eorum infringere possent.

Breviter, inito consilio, fuit conclusum, quod primitus mitterent ad macellarios, qui inter se magnam fecerunt congregacionem, quod ad ipsos venirent vel mitterent ad dicendum causam, quare hac nocte hujusmodi monipolium fecerant. Qui nuncio ad ipsos misso tale dederunt responsum, quod ad ipsos venirent dum tempus esset : quod illi de prosapia audientes, scientes quod textores et fullones et alius communis populus de Capella maximam congregacionem fecerant, sed, quia sciebant portam captivitatis, dictam *de Steenpoorte,* fore bene clausam et firmatam, ad expugnandum macellarios procedentes, in quos ipsis obvios in loco dicto *de Pensstrate* viriliter et animose irruentes, ipsos disperserunt, qui videntes vexillum illorum de prosapia dictorum *'t Serhuygskint geslechte,* statim in fugam conversi, prostrati fuerunt, capti et effugati. Quo facto, quia ipsis fuerat notificatum, quod capellosi jam valvas dicte porte captivorum quasi combusserunt, de consilio dicti domini de Vorsselaer fecerunt quatuor turmas, quarum una et major fixe manere deberet ante domum consulum ad resistendum advenientibus, sed, quidquid adveniret, inde se removere non deberent; alia fuit missa ante predictam portam captivitatis; tercia extra

Winckelum Baggardorum, ad ponendum ignem in aliquibus domibus vici dicti *de Raemstrate;* quarta vero fuit missa extra Winckelum vici dicti *Ruysboeck* versus Zabulum, qui, dum viderent domos ardere in vico dicto *Raemstrate,* statim clangentibus tubis se transferre deberent et communitatem in Capella congregatam debellare. Quod ita factum est, sed ipsi capellosi, videntes domos ab una parte ardere, et ab alia strepitum tubarum, et a tercia nobiles prosapiarum viros contra ipsos insurgere, statim terga vertentes fuerunt prostrati, interfecti et captivati : de quorum principalibus commotoribus multi fuerunt decollati.

Quibus sic peractis, viri generosi de septem prosapiis regimen oppidi Bruxellensis bellando pacifici obtinuerunt, anno et die supradictis.

Qualiter Petrus Coutreel per ipsum in captivitate detentos rancionavit, et qualiter post hoc dux Wenceslaus Lovanium obsedit. Cap. XXII.

Petrus vero Coutreel captivos in dicto castro Lovaniensi detentos, nullam spem in eorum redempcione habentes, rancionavit, ac si in publica guerra captivasset : ab uno extorsit tria millia petrorum, ab alio mille, ab alio octingentos, secundum status cujuslibet. De qua quidem exactione dictus Petrus dedit predicto duci majorem partem, qua mediante de commissis remissionem obtinuit a duce predicto. Dedit eciam domino de Schoenvorst partem, et cum reliqua parte maritavit filiam suam cum filio fratris domini Othonis de Kuyck, appellato Heinrico de Kuyck, milite strenuo, de cujus viribus, Dei gracia, patebit inferius, ubi scribetur de bello ante Baeswilre conserto.

Postquam vero isti generosi viri a carceribus fuerunt liberati, cum auxilio 1363
baronum et nobilium ac bonorum oppidorum patrie Brabancie, pro dampnis ipsorum et exactionibus recuperandis taliter prosequebantur ducem Wenceslaum, quod ipse cum omni patria Brabancie dictum oppidum circumquaque obsedit, anno Domini M° CCC° LXIII° : nam post exactiones solutas communitas obtinuit regimen predicti oppidi, quod gesserat per duos annos cum dimidio vel circa. Tandem, ipsa obsidione durante, fuit tractatum, et pro parte ducis conclusum, quod destitutis illis de communitate generosi viri iterum deberent institui in regimen et administra-

cionem dicti oppidi, et illud observare, quemadmodum ipsi et antecessores eorum hactenus habere consueverant, quodque de dicti oppidi bonis ipsi deberent rehabere omnia ipsorum dampna ipsis illata, et talias ab ipsis receptas. Sed, quia ipsius oppidi bona adhuc non sufficiebant, idcirco redditus ad vitam aliqui, et aliqui redditus hereditarie ad quitandum ipsis ad ipsius oppidi bona assignari obtinuerunt. Hec autem pax fuit facta mediante maxima pecuniarum summa, quam dictus dux habere deberet de oppido predicto. Et dicebatur tunc, quod infra dictos duos annos cum dimidio, inclusa summa predicta, ipse dux plures pecunias levavit et habuit ex dicto oppido, quam ipsum funditus vendi potuisset : cum qua ultima summa ipse dux fecit construi et edificari castrum in Vilvorden.

Karolus quartus [1] *Francorum rex coronatur Remis in regem.* Cap. XXIII.

1364. Anno Domini M° CCC° LXIIII°, ipso die Beate Trinitatis, que fuit XXVII^a maii, mortuo Johanne Francorum rege, Karolus ejusdem regis Johannis primogenitus coronatur et inungitur in regem per archiepiscopum in ecclesia sua Remensi, unacum domina regina, filia illustris domini Petri ducis Borbonie. Fratres autem ejusdem Karoli regis fuerunt Ludovicus Andegavensis, Johannes Bithuricensis et Philippus Burgundie duces, quorum omnium Karolus quartus Romanorum imperator et Wenceslaus dux Lucemburgensis, Brabancie et Lymburgis fuerunt avunculi, scilicet fratres regine Francie matris eorum, descendentes omnes a Johanne rege Bohemie, patre dictorum imperatoris, ducis et regine : qui quidem rex Bohemie interiit in bello de Crissy, quod intravit contra Anglicos.

De obsidione in Ravensteyn. Cap. XXIV.

Orta guerra inter ducem Wenceslaum, ex una, et Walramum de Valckenborch dominum de Bornem, de Zittaert et de Herpen, parte ex altera, occasione dominii de Valckenborch, quod ipse dux Wenceslaus pro se, heredibus et successoribus suis, ducibus Lucemburgensibus, emerat erga

[1] Lege *quintus* (Charles V, dit *le Sage*).

dominam Philippam uxorem domini Heinrici de Flandria, sororem seniorem Johannis quondam domini de Valkenborch, et sororem ejusdem, necnon fratres Brederode, tamquam heredes dicti quondam domini de Valkenborch ex linea materna; sed, quia predictus dominus Walramus, qui ex linea masculina descenderat, pretendebat se esse heredem proximiorem, et ideo pocius jus in dicto dominio de Valkenborch sibi competere debere, unde multa incommoda et dampna cedibus, incendiis et rapinis, fuerunt hincinde ab utraque parte subsecuta : quare dux Wenceslaus obsedit castrum Ravensteyn, quod ipse Walramus construxerat supra Mosam in dominio de Herpen, sed inefficax recessit. Tandem hujusmodi guerra fuit sedata et pacificata per nonnullos arbitros, quos utraque pars ex baronibus et nobilibus Brabancie et Lymburgis cum plenaria potestate ad hoc duxerat constituendos.

De primariis precibus Karoli quarti Romanorum imperatoris directis abbatibus Affligensibus et Grimbergensibus, prout patet in ipsius imperatoris litera, cujus tenor sequitur. Cap. XXV.

« Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex, illustri Wenceslao Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis duci, fratri et principi nostro dilecto, graciam et omne bonum. Omnipotentis Dei clemencia, cujus virtute cuncta subsistunt, in basilica principis apostolorum in urbe sacrosancti Romani imperii sacris et auspice Deo felicibus observavit auctoritas, ac nobis laudabili necnon approbata consuetudine competenti, religiosis, abbatibus et conventibus Beati Petri Haffligemensis, Sancti Benedicti, necnon Grimbergensis monasteriorum Premonstratensis ordinum, Cameracensis dyocesis, pro dilectis nobis Rodulpho, nato Petri de Gravia aurifabri, et Johanne, nato Johannis de Ymbermont in Ardenna, Leodiensis dyocesis primarias imperiales preces nostras dirigimus, desiderantes attente, ipsisque sub virtute sacri et laudabilis juris predicti seriosius injungentes, quatenus eosdem Rodulphum et Johannem, mox ipsis precibus imperialibus intellectis, in suos et suorum monasteriorum fratres et monachos velint et debeant gratanter assumere, et caritative in Domino et fraterna

dilectione tractare; ipsisque more aliorum fratrum et monachorum, juxta suas et dictorum suorum monasteriorum consuetudines, sicut jura, libertates et gracias, quibus monasteria sua divorum imperatorum insignivit religio, custodiri diligunt, et nostre mansuetudinis favoribus ampliari: sperantes utique quod grati beneficiorum, que ab imperio recepisse noscuntur, preces hujusmodi et mandata verius ad effectum perducant debitum, ut tenentur; sed cum quavis presumpcione contraria imperiali jure fortassis reniti contenderent, vel contenderet eorum alter, dilectioni tue precipimus et injungimus seriose, quatenus supradictos abbates et conventus ad exaudicionem effectualem precum et mandatorum hujusmodi arcere debeas, et auctoritate imperiali compellere viis opportunis. Datum Trajecti supra Mosam, quarto nonas februarii, regnorum nostrorum anno undecimo, imperii vero secundo. »

De victoria quam dux Wenceslaus habuit contra grandem societatem. Cap. XXVI.

Postquam per et post mortem quondam Johannis Francorum regis, guerra, que temporibus ipsius Johannis ac Philippi regis, ejusdem Johannis patris, inter eosdem reges pluribus annis viguit, ex una, et Eduardum regem Anglie, partibus ex altera, tempore predicti regis Karoli, gracia Dei, fuerat sedata, convenerunt ex diversis nacionibus certe gentes, in dicto regno sibi statuentes unum regem dictum *Jaque Bonhomme*[1], multa mala perpetrantes, et presertim contra principes, comites, barones atque nobiles matronas, quos et quas sine misericordia, quoscumque apprehendere poterant, inhumaniter trucidarunt: quorum potestas in tantum accrevit, quod nullus ipsis resistere poterat seu audebat. Et, quia victualia ipsis in unum congregatis non sufficiebant, diviserunt se in tres partes: quarum unam, omissis gestis ipsorum causa brevitatis, rex Navarre prope civitatem Meldensem auxilio Dei superavit, et regem excoriari fecit et dein in patibulo suspendi; alia vero pars se retraxit versus Sabau-

[1] Unde truculentissimorum illa hominum multitudo, ad delendam nobilium potentiam congregata, *boni homines* dicta est.

diam, que cotidianis incursibus ducatus Lotharingie, Barensis et Lymburgis soletenus dampnificare non verebantur. Et quia, descendendo ex Sabaudia, castra sua metantes intra civitatem Metensem et oppidum Theodonis Villa, alias Diedenhoven, animo ibidem hyemandi, universam pene regionem illam invaserant, cedibus, rapinis et incendiis omnia depopulantes : contra quos Wenceslaus dux Lucemburgensis, Brabancie et Lymburgis exercitum congregat, et, veritus ne forsan adversus innumerabilem hostium multitudinem suarum dicionum, scilicet Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis, vires non sufficerent, auxilium a ducibus Lotharingie et Barensi et aliis Germanie principibus exposcens, ut ad prefate nequissime gentis vires extenuandas audaciamque refrenandam sibi, cum Dei auxilio et virtute fidelium suorum baronum et nobilium Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis predictorum, opitularentur.

Qui nichil cunctati exercitum cum ingenti industria undique contrahunt, dicto duci Wenceslao quanta potuerunt celeritate in adjutorium venientes, supradictas gentes in loco dicto *Chaufour,* teuthonice *Kalckoven,* inter civitatem Metensem et Theodonis Villam, debellarunt. Et, ut a veridicis intellexi, dominus de Bouchout, miles strenuus et in factis armorum expertissimus, qui in sua comitiva habuit scutiferos valentes, scilicet Wilhelmum Drake, paniterium, et Petrum dictum Lam, hostiarium supremum, ac Heinricum dictum Lobbe, famulum camere Johanne Lucemburgensis et Brabancie ducisse, etc., qui dictarum gentium, cum quibus alias fuerant conversati, mores noverunt, super easdem gentes ex quodam nemore ibi propinquo ex latere cum ingenti clamore impetum facientes, vexillum ipsarum ad solum prosternentes, ipsas primitus ad fugam convertunt. Et sic fugiendo tota illa grandis societas fuit prostrata, prout hec lacius habentur in quadam cronica Francie per magistrum Froesart compilata. Hujusmodi grandi societati satis assimilari potest societas exasperans et perversa, que excoriatores appellatur, que, proch dolor! aliquamdiu viguit et adhuc indefesse viget in regno Francie : que non solum in eodem regno, sed eciam, cum delphino eorum capitaneo, in Germania maxima dampna intulerunt.

Qualiter castrum de Heymersbach fuit captum et destructum. Cap. XXVII.

1366. Anno Domini M° CCC° LXVI° venerunt duci Wenceslao diverse querimonie a mercatoribus Brabancie, quod a nonnullis raptoribus, qui se tenebant in castro de Heymersbach, super stratam publicam et sub ipsius salvo conductu depredabantur : quare idem dux, cum dicti raptores, licet sufficienter moniti, dampna restituere et ab insolenciis desistere non curabant, ante dictum castrum obsidionem posuit, quod tandem die XXII^a decembris anni predicti cepit et funditus destruxit. Dominus autem ejusdem castri fuit Scheifardus, dictus Van Merode, qui sub pupillari etate constitutus taliter per tutores suos gubernabatur, quod suum castrum modo premisso amisit.

De captivitate ducis Reynaldi Gelrie, mariti ducisse Marie, junioris filie Johannis tercii Brabancie ducis. Cap. XXVIII.

1368. Anno Domini M° CCC° LXVIII° insurrexit divisio in ducatu Gelrie inter illos de Bronchorst et de Hekeren. Reynaldus enim dux Gelrie, qui duxerat in uxorem dominam Mariam, juniorem filiam Johannis tercii ducis Brabancie, fovebat partem illorum de Hekeren, et Eduwardus, frater junior dicti ducis Reynaldi, tenebat partem illorum de Bronchorst. Tandem devenit ad bellum, in quo Reynaldus dux per fratrem suum Eduwardum fuit captus, et captivus detentus quamdiu Eduwardus, qui in bello de Baeswilre interiit, advixit. Ob quam causam, ad instanciam ducisse Marie Gelrie, dux Wenceslaus ducem Eduwardum diffidavit, qui contra eum direxit dominum Leonium de Bouchout cum nonnullis hominibus armorum, qui ceperunt oppidum de Boemelle, quod dux Eduwardus recuperavit, et quasi omnes ex Brabancia ibidem repertos aut decollari fecit, aut in carceribus captivatos detineri. Ob quam causam dux Wenceslaus magnum exercitum congregavit, proficiscens versus Gelriam ipso die Mathei apostoli et evangeliste, sed, intervenientibus amicis partis utriusque, pax fuit inter ipsos duces facta ipso die Sancti Mychaëlis anni predicti : nichilominus dux Reynaldus permansit captivatus.

De filio et filiabus domini Godefridi de Brabancia, domini de Aerschot, etc., fratris Johannis hujus nominis primi ducis Brabancie. Cap. XXIX.

Est sciendum, prout est eciam superius expressum, quod Johannes hujus nominis dux primus Brabancie assignavit domino Godefrido fratri suo juniori, pro partificacione fraternali, terram de Aerschot, de Bierbeke, de Sichghen et Rode Sancte Agathe, exceptis tribus monasteriis, que sibi reservavit, scilicet Everbode, Bierbeke et Beckervoert, quorum advocaciam ad se reservavit, quia ipsam a sacro imperio in feudum tenebat.

Qui quidem Godefridus habuit unum filium, nomine Johannem, dominum de Vierson, qui secum interiit in bello de Cortrycke, et habuit duas filias: quarum seniorem copulavit matrimonialiter cum comite de Harcourt, cum qua sibi dedit terram de Aerschot et de Bierbeke: juniorem vero dedit in uxorem comiti de Loen, et cum ea dominium de Sichghen et de Rode Sancte Agathe, ex qua genuit unicam filiam, quam dedit in uxorem Gerardo comiti Juliacensi, et cum ea Sichghen et Rode Sancte Agathe; et sic ipse comes Gerardus, et post ipsum Wilhelmus primus marchio Juliacensis, fuit dominus de Sichghen et de Rode predictis.

Et accidit sepe quod mercatores et subditi Brabancie in terra Juliacensi depredabantur, et quoniam marchio Juliacensis, licet sufficienter monitus et requisitus, mercatoribus predictis de dampnis ipsorum restitutionem fieri denegabat, dux Brabancie pro tempore existens, et similiter dux Wenceslaus bona ipsius in Brabancia existencia fecit arrestari et in arresto teneri, donec predictis mercatoribus de dampnis ipsis illatis fuit plenarie satisfactum. Quare marchio Juliacensis dictam terram de Sichghen et de Rode vendidit domino Reynaldo de Schoenvorst: qua vendicione facta, dictus marchio ab insolenciis non desistens, sicuti hactenus consueverat, mercatores in terra sua depredari permisit. Tandem, ad obviandum depredacionibus hujusmodi et consimilibus, fuit facta et jurata pax provincialis inter archiepiscopum Coloniensem, episcopum Leodiensem, duces Brabancie, Gelrie, Juliacensis et Montensis ac dominos de Heynsberch, de Moerse et alios, prout in literis desuper confectis plenius continetur.

De bello in Baeswilre, ubi dux Wenceslaus fuit captus. Cap. XXX.

1371. Quia milites et militares subditi illustris Wilhelmi ducis Juliacensis, ab insolenciis non desistentes, post et contra tenorem pacis provincialis suprascripte, cujuscumque status personas, et signanter mercatores per ducatum Juliacensem transitum facientes, non cessabant captivare et depredari: et licet ipse dux Juliacensis super hoc, virtute predicte pacis jurate per memoratum Wenceslaum ducem Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis sacrique imperii per Almanie partes vicarium, fuerat monitus et requisitus, ut suos subditos taliter coherceret quod ab inceptis et a perpetratis desisterent et dampna restituere curarent, quod ipse Juliacensis dux facere recusavit: quapropter ipse dux Wenceslaus, tamquam vicarius, pro sacri Romani imperii honoribus et commodis, necnon pro defensione reipublice, ac omnium cujuscumque status personarum commoditate et securitate, et signanter securo mercatorum transitu. procurandis, ipsum Wilhelmum ducem Juliacensem tamquam imperii et reipublice hostem diffidavit. et ad ipsius suorumque subditorum, predicte pacis violatorum, vires extenuandas audaciamque refrenandam, terram Juliacensem cum validissimo exercitu armatorum intravit, ipsam cedibus, incendiis et rapinis depopulando. Habuit enim dux Wenceslaus in sua comitiva dominum Guidonem comitem de Lyneyo et Sancti Pauli et dominum Walramum, filium suum. dominum Robertum de Flandria, fratrem comitis Namurcensis, atque barones. milites et militares ducatuum suorum Lucemburgis. Brabancie et Lymburgis: dux vero Juliacensis habuit in suum auxilium Eduwardum ducem Gelrie, cujus sororem ex parte patris ipse dux Juliacensis habuit in uxorem, et diversos nobiles et milites, quos archiepiscopus Coloniensis et alii principes circa et trans Renum commorantes in suum succursum destinarant. Tandem in campis apud Baeswilre in terra Juliacensi deventum est ad conflictum, ubi summa cum virtute ab utraque parte fuit preliatum: sed demum Deus, cujus sunt occulta judicia, prefatum ducem Wenceslaum ab ipso duce Juliacensi capi permisit, qui victoria potitus ipsum ducem Wenceslaum in castro suo de Niddeggen duxit vinculis carceralibus mancipandum.

Ex parte ducis Juliacensis, in congressu belli. Eduwardus dux Gelrie, in

facie circa oculum telo sagittatus, interiit; ex parte vero ducis Wenceslai interiit comes Sancti Pauli, et multi alii strenui milites partis utriusque. De parte vero ducis Juliacensis fuerunt plures reperti interfecti quam de parte ducis Wenceslai; sed Juliacenses et Gelrenses reportarunt plures captivos quam Lucemburgenses, Brabantini et Lymburgenses. Et est sciendum quod in supradicto conflictu dominus Heinricus de Kuyck, pater domini de Hoechstraten ultimo defuncti, prostravit vexillum ducis Gelrie, et interfecit dominum Heinricum de Myerle qui vexillum tenebat; interfecit eciam LXX homines armatos in eodem conflictu cum quadam clava metallina: finaliter fuit in coxis taliter vulneratus, quod pre nimia sanguinis effusione in loco conflictus ab hac luce migravit. Hic suo tempore dicebatur fortissimus hominum tocius ducatus Brabancie. Hoc siquidem bellum accidit anno Domini M° CCC° LXXI°, ipsa die Beati Simphoriani, que fuit XVII^{a} mensis augusti.

De duce Reynaldo, qui post mortem fratris restituitur in ducatum, et de guerra propter ducatum Gelrie inter ducem Juliacensem et comitem Blesensem. Cap. XXXI.

Mortuo vero duce Eduwardo in bello de Baeswilre, subditi ducatus Gelrie extraxerunt ducem Reynaldum, maritum ducisse Marie, filie junioris Johannis ducis et sororis Johanne ducisse Brabancie, ex vinculis carceralibus, in quibus per predictum fratrem suum ducem Eduwardum fuerat detentus, ipsumque dicto ducatui prefecerunt, et in eorum ducem et dominum receperunt; sed parum supervivens, nulla prole relicta, ab hac luce migravit.

Quo mortuo, oritur guerra pro eodem ducatu inter comitem Clivensem primo, et post ejus obitum inter Johannem comitem Blesensem, alias de Bloes, ex una, et Wilhelmum ducem Juliacensem, parte ex altera, quolibet predictorum, tam comitis quam ducis, pretendente sibi racione uxoris sue ad ipsum ducatum Gelrie jus competere debere. Pro cujus facti declaracione est sciendum, prout eciam supra suo loco est narratum, ubi scribuntur gesta imperatoris Ludovici de Bavaria, qui Reynaldum tunc comitem creavit in ducem Gelrie, quod hic Reynaldus, ipso adhuc comite

existente, duxit in uxorem Sophiam filiam Florencii Berthout domini Mechliniensis : qui quidem Florencius descendit a Waltero Berthout et ejus uxore, nomine Maria, primogenita comitisse Alvernie, que fuit filia primi Heinrici et soror secundi Heinrici, ducum Lotharingie et Brabancie, de qua quidem Sophia dictus tunc comes Reynaldus suscitavit tres filias : quarum una mansit virgo, et fuit abbatissa in monasterio dicto *Ten nuwen Cloestere;* alia filia duxit comitem Clivensem primo, et ipso defuncto comitem Blesensem predictum; terciam vero filiam duxit in uxorem Wilhelmus dux Juliacensis, qui ex ea genuit duos filios, scilicet Wilhelmum et Reynaldum, successive duces Gelrie et Juliacenses; genuit eciam unam filiam, nomine Johannam, quam duxit in uxorem Johannes dominus de Arckele et Pierpont, ex quibus descendit Arnoldus dux Gelrie modernus. Mortua autem supradicta comitissa Sophia, prelibatus comes Reynaldus, qui tunc per predictum imperatorem Ludovicum creabatur in ducem, duxit in uxorem dominam Alionoram, sororem Eduwardi tercii regis Anglie, qui ex ea genuit duos filios, scilicet Reynaldum, qui duxit in uxorem Mariam filiam ducis Brabancie, et Eduwardum, qui habuit in uxorem Katherinam, filiam Alberti ducis Bavarie; Eduwardo defuncto, duxit ipsam Katherinam Wilhelmus senior filius ducis Juliacensis. Quibus siquidem ducibus Reynaldo et Eduwardo nulla legitima prole relicta defunctis, comes Clivensis et deinde comes Blesensis, racione dicte sue uxoris, se presumpsit ad dictum ducatum Gelrensem jus habere : e converso vero dictus dux Juliacensis, racione sue uxoris, a qua jam duos genuerat filios, pretendebat ad eundem ducatum pocius sibi jus competere. Sed, breviter loquendo, ista guerra fuit tandem pacificata, et Wilhelmus senior filius ducis Juliacensis obtinuit dictum ducatum Gelrie per callacionem imperatoris Karoli quarti, ut infra Deo dante clare patebit.

Tenor litere quam Karolus quartus imperator scripsit Leodiensibus pro liberacione ducis Wenceslai fratris sui. Cap. XXXII.

« Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex, honorabilibus et prudentibus magistris consulum, consulibus et communitati civitatis Leodiensis, ac Hoeyensis,

Tungrensis, Dinantium et Sancti Trudonis oppidorum fidelibus dilectis graciam suam et omne bonum. Quamvis sinister eventus captivitatis illustris Wenceslai Brabancie et Lymburgis ducis, fratris nostri karissimi, qui, pro sacri Romani imperii honoribus et commodis ac securo mercatorum transitu procurandis, succubuit dudum, ex fama dumtaxat ad noticiam pervenerit cesaree majestatis, nunc, cum de condicione et circumstanciis universis dicti eventus sumus per amicos nostros certitudinaliter informati; et quia pro liberacione dicti nostri fratris et suorum, cum consilio et auxilio principum et subditorum imperii, laborare desiderat, sicut expedit, cesarea celsitudo : idcirco fidelitatem vestram hortamur et requirimus, ymmo affectuose petimus et rogamus, quatenus contemplacione nostri, et ad sacri imperii gratissimum obsequium et specialissimam complacenciam, nobis velitis pro liberacione hujusmodi effectualiter assistere, consilio et auxilio opportuno, juxta nobilium Johannis de Schaffenberch et Reynaldi de Schoenvorst, fidelium nobis dilectorum, quos ob hoc ad vos destinamus, quibus eciam in dicendis vobis nostro nomine super premissis fidem adhibeat vestra fidelitas, credituram. Datum, etc. »

Qualiter Karolus quartus Romanorum imperator dat potestatem cardinali Sanctorum Quatuor Coronatorum, ad tractandum matrimonium inter filium ducis Juliacensis, ab una, et filiam Alberti ducis Bavarie, partibus ex altera, Deo auctore consummandum feliciter in futurum, etc. Cap. XXXIII.

« Reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Johanni tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbitero cardinali, amico suo karissimo, Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex, salutem et sincere dilectionis affectum. Reverendissime pater et amice karissime, super illo grandi benignitatis affectu et magno devocionis amore, quibus motu proprio ad speratam liberacionem illustris Wenceslai Lucemburgis, Brabancie ac Lymburgis ducis, fratris nostri karissimi, solerti animo laborat vestra paternitas, reverencie vestre gracias agimus, eo sinceriore conatu quo ferventi zelo optat nostra serenitas karissimum fratrem nostrum predictum ab hujusmodi sue capti-

vitatis vinculis liberari. Vias eciam et modos, quibus exsolucionem dicti nostri fratris adinvenit paternalis vestra prudencia, laudamus omnimode: quod videlicet inter filium illustris Juliacensis ducis, qui fratrem nostrum in captivitate jam detinet, ab una, et filiam Alberti ducis Bavarie, soceri nostri dilecti, parte ex altera, matrimonium auctore Deo tractetur, consummandum feliciter in futurum, ita quod sponso, videlicet filio ducis Juliacensis predicti, dentur omnia jura nostra et respectus, que et quos habemus vel habere possumus ad ducatum Gelrensem, tamquam ex defectu heredum ad nos et sacrum imperium legitime devolutum; et quod erga spectabilem comitem Clivensem laboretur viis et ingeniis quibus expedit, quod reddatur contentus, et cedat juri suo, si quod habeat, aut se presumit habere in ducatu Gelrie supradicto, ita quod consummatis talibus karissimus frater noster, Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis dux, ab omni alia redemptione terrarum, pecunie, seu aliarum rerum solucione, liber et absolutus sit penitus a sue captivitatis vinculis, et libertati condonetur.

» Quapropter, reverendissime pater et amice karissime, de vestre benignitatis et magne circumspectionis industria fidem habentes indubiam, animo deliberato sano, principum ac procerum sacri imperii accedente consilio, de imperialis potestatis plenitudine ac de certa nostra sciencia, reverendissime paternitati vestre hoc suscipienti benigne damus, largimur et concedimus auctoritatem plenariam, facultatem et potestatem omnimodam, quoad effectum liberacionis et redempcionis et absolucionis karissimi fratris nostri predicti, matrimonium inter filium antedicti ducis Juliacensis, ab una, et filiam ducis Alberti Bavarie predicti, parte ex altera, tractandi, mediandi et consummandi; necnon jura nostra et respectus, que et quos habemus seu habere possumus ad ducatum Gelrensem, qui ex defectu heredum ad nos et sacrum imperium legitime devolutus asseritur, prefato sponso, ducis Juliacensis filio, auctoritate et potestate cesarea, dandi, donandi, conferendi et transferendi, cum omnibus suis viribus, honoribus, dignitatibus, libertatibus, judiciis, dominiis, solucionibus, censibus, fructibus, utilitatibus et omnibus pertinenciis suis, quibuscumque specialibus vocabulis jure vel consuetudine regionis et patrie valeant appellari; et eundem sponsum, dicti Juliacensis ducis filium, de prefato ducatu Gelrensi et omnibus predictis secundum formam expressatam superius investiendi, et investitum in prossessionem corporalem et realem mittendi; necnon

comitibus, baronibus, militibus, clientibus, judicibus, civibus, rusticis, incolis, indigenis et universitatibus civitatum et locorum ducatus seu principatus Gelrensis predicti, auctoritate et potestate cesarea, injungendi, mandandi et precipiendi, quatenus predicto sponso, ducis Juliacensis filio, a modo in antea, tamquam vero, naturali, ordinario et legitimo domino suo, absque omnis difficultatis obstaculo obediant, intendant et pareant, sibique obediencie, subjectionis et fidelitatis debite prestent et faciant consueta et solita corporalia juramenta.

» Damus eciam et conferimus reverendissime paternitati vestre auctoritatem plenariam, facultatem et potestatem omnimodam, quoscumque contradictores aut rebelles, cujuscumque nobilitatis, gradus, condicionis vel status existent, qui presentibus, quovis eciam sinistro conatu, obviare seu reniti contenderent, penis mulctandi, privilegiis, libertatibus, juribus, honoribus, feudis et quibuscumque aliis possessionibus vel quasi privandi, vel spoliandi et exuendi, et, si contumacia aut contemptus eorum illud exegerit, proscribendi et forbaniendi, personis et rebus inclusive, utique usque ad materialis gladii ulcionem, omnia et alia et singula tractandi, faciendi et consummandi et ordinandi, que circa premissa vel eorum alterum, aut ab eis dependencia seu eis connexa, utilia et eis expediencia fuerint quomodolibet opportuna, et que vestra serenitas auctoritate imperiali facere posset, eciam si jure vel consuetudine mandatum exigerent magis speciale; gratum et ratum habere volentes ex nunc, prout ex tunc habentes, quidquid reverendissima paternitas vestra in predictis omnibus, et eorum quolibet quomodolibet, et ab eis dependentibus seu connexis eisdem, administraverit, dederit, contulerit, investiverit, in possessionem miserit, obedienciam et subjectionem paraverit, juramenta fieri constituerit, seu alia quovis modo ad effectum omnium predictorum ordinaverit seu fecerit in premissis, tractatu, commissione, institucione, ordinacione, gratificacione, ratificacione et aliis predictis omnibus, in eum casum dumtaxat ubi karissimus frater noster, Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis dux, absque alia quacumque solucione rerum vel pecunie, plene et absolute pristine libertati restitutus fuerit, et non alias, valituris, presentium sub imperialis nostre majestatis sigillo testimonio literarum.

» Datum Prage, anno Domini M° CCC° LXXII°, indictione X^a^, secundo nonas aprilis, regnorum nostrorum anno XXVI°, imperii vero XVIII°. »

Tenor litere submissionis facte per ducem Juliacensem in imperatorem Karolum quartum super omnibus et singulis dissensionibus atque guerris inter ipsum et ducem Wenceslaum habitis. CAP. XXXIV.

1372. « Wir Wilhelm, von Gods genaden hertzog zu Gulicke, bekennen und tun cond offentlich met desen brieve allen den die in sehent oder horent lesen, das wir, mit wolbedachten mute und rechter wissen, aller sulcher scelinghe, kriege und stozze, die wir om vergangenen zeiten of desen hutigen dage mit dem hochgebornen fursten hertzoch Wentzlaw von Lutcemborch, Lymborch und Brabant, seynen landen, leuten, helfermannen und dieneren gehat haben, fur ons, alle onsen lande, leute, helfermannen und dieneren, an den alderdurchleuchtigsten fursten und herren, herren Karle Roemschen keyser, zu allen zeiten merer des Reichs, und kuning zu Beheim, onsen lieben genedigen herren, gar und gentzlich gegangen und verblieben sein, und haben darumb denselben unsen herren den keyser geloeft und geloven, in guten treuwen, on alles geverde, und bei dem eide den wir ym und dem heyligen Reiche gesworen han, das wir fur uns, alle unsere lande, leute, helfermanne und diener, alles das derselver unser herre der keyser zwischen uns und dem egenanten hertzogen zu Lucemborch, zu Lymborch und zu Brabant, seynen landen, leuten, helfermannen und dieneren, scheiden, und wie er uns sunen wirdet in seynen offenen brieven, gantz, stete und unverruckt ewichlich haben, halten und volfuren wollen und sullen, und dawider nymmer tun noch ymant von unsen wegen tun lassen, in kheine weis, on alles geverde, mit urkunt dis brives versigelt mit unsen anhangenden insigel, der gheben ist zu Aiche, nach Christus geburte XIII^c jare, dernach in den LXXII^en jare, an den nehsten sontage voer Sint Jans tage des Taufers. »

Tenor litere pronunciationis domini imperatoris super pace facta inter Wenceslaum Lucemburgis ducem, ex una, et Wilhelmum Juliacensem, parte ex altera. CAP. XXXV.

1372. « Wir Karl, von Gods genaden Roemscher keyser, zu allen zeiten merer des Reichs, und kuning zu Beheim, bekennen und tun kunt offentlichen

mit desen breve allen den die yn sehent oder hoirent lesen, want die hochgeborn Wentzlaw, hertog van Lucemburch, Lymburch und Brabant, onser liever broeder und furste, fur sich, seine lande, leute, helfermanne, diener, an einen teil, und Wilhelm hertoch van Guliche, unser und des Reichs furste und lieve getrouwer, fur sich, seinen lande, leute, helfermanne und diener, an den anderen, aller und iglicher uffleuffe, zweyunge, kryege und stozze, wie sich die zwischen in beiden von vergangen zeiten bis uff diesen hutigen dach verlauffen und vergangen haben, an uns, sie beiderseit dor uns zu sceiden, zu richten und zu synen, vorbedechtichlichen und mit irer beider rechter wissen, gar und genslichten gegangen und verblieben sein, und uns auch darzu von beiden seiten, als einen Roemschen keiser, in guten treuwen, on alles geverde geloft, und bei sulchen eiden, die sye uns und den Reiche daruber gesworen haben, verbrievet hant, wie und in welcker maessen wir sie entscheiden, richten, sunen, und zwischen in in unsen offenen brieven aensprechend werden, das sie das von beiden partyen, fur sich, ire erben, ire lande, leute, helfermanne und diener, gar und gentzlichen stete, veste und unverruckt eewichen haben und halten sullen und wollen, on alles geverde, und nymer daerwider tun noch yemant anders von iren wegen tun lassen, in kheine weis. Des haben wir uns der obgenanten sachen und zweyungen, sie zu onscheiden und gentzlichen zu sunen, angenomen: und mit rate unsen und des Reichs fursten, graven, freiherrn und lieben getruwen entscheiden, richten und sunen wir sie, mit wolbedachten mute und rechten wissen, in aller masse, weise und forme als hernach gescriben stehet :

» Des ersten, sint dem mael der vorgenannte hertzog von Guliche uns und dem Reiche zu eren, in gegenwertikeit unser und des Reichs kurfursten und anderen fursten, geistlicher und werlicher, graven, freyherrn und getreuwen, den obgenannten unser broeder, den hertzog van Lucemburch, Lymburch und Brabant, senes gevengenisses, als er sein gevangen gewessen, ledich und looz, on alle uneirscheit, gelassen und geben hait : so scheiden und spreken wir, zu einer rechten ewigen und unverbruchelichen sune, das die vorgenannten unsse fursten an beiden seiten gute freunde sein und bleiven sullen, und sullen an beiden partien alle und igliche gevangen, der sei mechtich sein, oder die zu ir igliches handen stehen, on geverde von sead an unvertzogelichen, und on widder-

rede, ledig und lozz sein, und iglicher der vorgenannten fursten sal alle gevangen, der er mechtich ist, oder die zu seiner hande stehen, on geverde zu stunt ledig und lozz sagen und lassen.

» Und sal ouch beide unser bruder, und ouch der von Gulche, uf alle ander gevangen, der sei ummechtig sein, oder die zu ir itwenders hant nicht steyn, slechtichlichen verzeyen, als verre das ir jeglichen anrueret, on geverde, und ob ir einer derselven fursten sulchen gevangen us fremder hant brengen muchte, dartzu sal der ander unter in helfen und seinen freuntlichen ernst tun, und das nicht hinderen, on geverde bey den eiden die sei beiderseit zu den heiligen doruver gesworen haben. Auch sal iglicher der vurgenannten fursten alrelei gelt von gevangenen, brantschaft, gedincknisse, oder wie das von des voirgenannten krieges wegen hercomen ist, es sei verpurget, verpfendet, verbrievet, oder in welcher masse das in selvir oder yemands anders von yren wegen on geverde versichert, verweiset und gelovt ist, das nach hinderstellung verhanden und onbetzalet ist, ledig und lozz geven zullen und lassen, und uff allerlei sulch gelt gentzlichen und gar verzeihen, on vertzog, widderede, und alles geverde.

» So sullen ouch de vorgenannten unser bruder und der hertzog von Gulche, ir iglicher uf beide seiten, alle und igliche gevangen die sie haben, in selbin gelobt, oder yemands anders in zu frumen oder von yren wegen alreleye vantnusse und gelubde und brieve, die deselben ir gevangenen von wegen des vorgenannten krieges oder streites an beiden partien dem vorgenannten unsen bruder, an einen teil, und den van Gulche, an den anderen, oder yemant ander von yren wegen oder in zu frumen, als davor begriffen is, getan, gelent, verbrievet oder geben haben, es sei wermanschafft, lehendienst oder sust in welcher masse das gescheen ist, zumail gar und gentzlichen von stad an, on widerrede und on geverde ledich lassen, und sich daruff gentzlichen unde ewiclichen aller sachen ansprach und vorrunge verzeihen. Und sal ouch der man der von des eygenannten krieges wegen syne lehen ufgelassen hat, oder der entsetzet und ontweldicht worden ist, mit sulchen lehen von stad an wider belehent worden on geverde von beide partien.

» Und welcherleye brieve die gevangen von wegen des vorgenannten krieges an beiden partien geven haven, was stucke, teyding oder sachen

dieselben brieve anrurent, die sullent furbas mer zu mail, tot und krafftelоes sein, und iglicher der furgenannten fursten sal sulche brieven den gevangen unvertzogentlichen antwerden, widerschaffen und geben. on widderrede und on alles geverde. Und de obgenannten gevangen selen an beiten seiten slechte und alte gewoenliche urfede tun, on geverde, welcher ouch de gevangen vurmaels sulchen alte gewoenliche urfede gethaen hat, der bedarf und sal die ander weine nicht tun, sunder gentzlichen on geverde von beider obgenannten partien ambroechten und ledig sein. Deselve alte gewoenlich urfede leuwten wir also, das alle und igliche gevangen, fur sich, ir erben, frunde, manne, helffer und diener, on geverde den vurgenannten fursten an beiden seiten sweren sullen, das sie sich von wegen des obgenannten krieges und streidts, an den obgenannten fursten. und ir igliches lande, leuten, helffern, mannen und dieneren ewichlichen nymmer gerechten sullen, mit wercken oder woorden, in kheinerweis. on alles geverde.

» Diese vorgenannte richtung, ussprach und ewige sune gebieten wir den vurgenannten unsen bruder und auch dem van Gulche, iren erben. helffermannen, dieneren, und dartzu alle den die das anruren mag, ernstlichen und vestichlichen, by unser und des Reichs hulden, und bei sulchen eiden die sie uf beiden seiten uns und dem Reiche darover zu den heiligen gesworen haben, stete, veste und unverruckt on alles geverde ewichlichen zu halten und zu volfuren, in alle seine mennich articlen und worten, als davor begriffen ist, und dawider nymmer zu tun oder iemant von yren wegen tun lassen, in kheynerweys. Mit urkunt dis brieffs versigelt mit ons keyserlichen majesteyt ingsiegel, der geben ist zu Aiche, nach Christus geburte dreitzehen hundert, dirnach in dem zwei und sibentzigisten jare, des nechsten montags voer Sant Johans dach des Tauwfers, als er geboren wirt, unser reiche in den sechsundzwentzichsten, und des Keyserreichs in dem achtzehenden jare. »

Sequitur tenor litere domini imperatoris super declaratione facta de pace precedenti. Cap. XXXVI.

1372. « Wir Karl, von Gods genaden Romischer keyser, zu allen zeiten merer des Reichs, und kuning zu Beheim, bekennen und tun kunt offentlichen mit diesen brieve allen den die in sehent oder horent lesen, das die hoochgeborne Wentzlauwe hertzog zu Lutzenborch, zu Lymborch und zu Brabant, unsen lieber furst und andechtiger, an einen teil, und Wilhelm hertzog zu Gulich, unser lieber furst und getrouwer, an den anderen, in der sune, die wir zwischen in gemacht haben und gesproken, und die sie in unser henden beiderseit gelobt und gesworen haben, unter anderen stucken, die in derselben sune begriffen seyn, die nachgeschriven stucken mit namen gelobt und gesworen haben, und sich ir verbonden bei den eiden die sy ons und dem Reiche getan haben.

» Tzu den eirsten, was gevangen die herren oder frauwen aen beiden seiten gesatzt haben us yren henden fur schoult, scade, fur ander gevangen oder fur gelt in ander hende, die gevangen sullen sei an beiden seiten herwieder an sich kriegen und werven, zwischen dit und Sint Remigius dage, und sullen die quyt sagen und sagen lassen mit eyner slechten alter urfede, und was geltz sulch versprochen gevangen gelobt, verpurget, verpfendet, oder anders versichert hetten, das uff datum der soenbrieve nicht uffgehoben noch betzalt were, das gelt sullen die herren van beiten seiten vercrigen, und die furgenante gevangen denen ledigen mit slechten urfede, also das die soenbrieve furnas in irer macht bleiven. Es sullen auch die gevangen, die kein alte urfede getan haben, nach luete der soenbrieve iglicher fur sich seine offen brive geben versiegelt, die daer halden eyne alde urfede, nach forme der soenbrieve, und die seynden zu Caster, und alda sullen zie geben die alte urfede brive. Und was man ietzunt alre enden tun mag von diesen vorgescreven puncten und anderen, die in dem soenbrieven begriffen sein, die sal men alhier nuwenden.

» Und das zu urkunt, bekentenisse und veste tuginge haben wir dissen brieff laissen versegelen mit unsser keiserlicher majesteyt insiegel, der geben ist zu Aiche, nach Christus gepurte dreitzenhundert jare dornach in dem zweeundsibentzigsten jare, an dem nechsten sunabend nach

Sant Johans dage zu sunnwenden, unser reiche in den sechsundzweintzichsten, ende des keiserstums in den achtzehenden jare. »

Sequitur copia declaracionis facte per dominos Brabancie et Juliacensis duces super pronunciacione pacis inter eosdem per dominum imperatorem facta. Cap. XXXVII.

« Dit syn die puncten van vercleerenissen op die gevangen, die unse 1372
herre vrunt von Brabant und von Gulche gecleirt haint, met welger beide herren voorseid : boven die soenbrieven und dat sagen de unse heer der Keyser tusschen hun beiden beschreven, besegelt, gesacht und overgegheven hat : dewelche puncten und verclernissen unse voorseide herren von Brabant und von Gulche in beiden seiten in hant ons heren des Keysers gelooft haint stete zu halden und zu wollen, gelyk den soenbrive ons heren des Keysers voorseid zu wissen es. So wat gevangen die heren oft de vrouwen an beiden seiten gesat haint uys iren henden vur gelt in ander henden, die gevangen sullen sy an beyden seyden wederom an sich werven und krigen, tusschen dit und Sinte-Remeys dage, und sullen die quyt schelden und doen quyt schelden mit eenre slechter alder orveden. Item, so wat gelts die sulche voorseide gevangen gelooft, verbrieft, verborcht, verpendt of anders versichert hetten, dat op datum der soenbrieve ongehaven und onbezaelt was, dat geld sellen die heren van beiden seiden verrichten, und die voorseide gevangen daervon ledighen und mit slechten voorseiden orveden den soenbrieve vort zu blyven in yre macht. Item, selen die gevangen die eghene alde orvede gedaen en haent, na inhalden der soenbrieve, vur sich synen offenen brieff besiegelt, inhaldende een alde orvede na formen der soenbrieve, begaden und seinden zu Caster, und alda sullen sei overleveren die alde orvede brieve, und dan sal men alda yre ander brieve van orveden, die sy vurgegeven haint, wederumb quyt geven, und so wat men ietzu alhie enden inddoen mach van desen puncten voorseid und anderen in den soenbrieve begriffen, dat sal men alhie enden. In oorconde deser puncten ind sagen voorseid haint wir hertzog van Brabant und van Gulch voorseid onse segelen aen desen brieff doen drucken. Gegeven zu Aichen, in't jaer Ons Heren M CCC LXXII, des dynsdaigs na Sinte-Jans dage. »

De eleccione, promocione sive institucione serenissimi principis domini Wenceslai regis Bohemie in regem Romanorum, ejusque gestis. Cap. XXXVIII.

1375. Wenceslaus rex Bohemie, primogenitus serenissimi et invictissimi domini Karoli quarti Romanorum imperatoris excellentissimi, anno Domini M° CCC° LXXV°, tempore Gregorii pape XI[i], ad ejusdem domini imperatoris instanciam fuit electus in regem Romanorum et per dictum papam confirmatus. Et nichilominus idem imperator de sue imperialis plenitudine potestatis predictum Wenceslaum sub se in Romanorum regem instituit. et Aquisgrani coronari fecit. Cujus coronacionis tempore oriebatur permaxima discordia sive dissencio inter illustrem dominum Wenceslaum de Bohemia, ducem Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, dicti imperatoris germanum, ex una, et illustrem ducem Saxonie, partibus ex altera, utroque silicet, Lucemburgensi occasione ducatus Brabancie et marchionatus sacri imperii, et Saxonie ducibus sui racione officii sacri marescallatus imperii, pretendente sibi jus competere deferendi ensem regalem sive imperialem coram rege, tam in sua coronacione quam in aliis solempnibus actis.

Et devenit ad tantum. quod uterque ipsorum pro sui juris conservacione et manutencione paravit se ad arma : ubi dux Albertus de Bavaria, vexillo explicato, et Wilhelmus dux Juliacensis dicto duci Brabancie in sui juris conservacione totis viribus assistere conabantur contra ducem Saxonie predictum. Quod imperator percipiens mandavit predicto duci Juliacensi ut ad se veniret : quem necnon villicum, burgimagistros et rectores imperialis sedis urbis Aquensis misit ad predictos contendentes ad pacificandum eosdem, jure cujuslibet semper salvo. Et medio tempore, hujusmodi tumultu durante, imperator. qui sagax fuit, fecit tempore coronacionis in ecclesia sua sive capella imperiali Beate Marie ibidem, ut moris est. celebrate. illustrem Sigismundum marchionem Brandenburgensem, filium suum secundogenitum, tunc juvenem et nonnisi decem annos habentem. ensem imperialem portare. prout a predicto domino Sigismundo, tunc Romanorum ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc., rege, in sacro generali Constanciensi concilio anno M° CCCC° XV° existente, et ab ore ejus proprio

audivi enarrare : ad cujus celsitudinem ego unacum aliis ambaxiatoribus illustris quondam Anthonii ducis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis felicis recordacionis fueram destinatus.

Qui quidem rex Wenceslaus diu vixit[1], et suo tempore nichil aut modicum boni fecit neque laude seu narracione dignum. Quare predictus Sigismundus rex Hungarie, frater suus, ipsum captivari procuravit, et in Vienna captivum detineri, sed per nonnullos suos fideles fuit secrete a captivitate liberatus. Fuit eciam bina vice veneno, nescitur per quem, intoxicatus, sed gracia Dei et ope medicorum illico curatus; nichilominus, propter caloris et siccitatis ardorem, quem propter intoxitum[2] in corpore continue sentiebat, semper appetebat bibere, et bibit de facto, aliquando sobrie ad leticiam, aliquando excessive ad ebrietatem.

Quando vero ad leticiam vel sobrie bibit, tunc fuit optime conversacionis, prudens et discretus princeps; comites et barones et oratores sive nuncios regum et principum ad ipsum venientes honorifice, sicut regalem decet magnificenciam, receptavit, benigne audivit et generose pertractavit, prout ego vidi de illustri Ernesto duce Austrie, genitore serenissimi domini Frederici Romanorum regis tercii et moderni, quem in castro suo Karlestein solempniter ad prandium invitaverat, anno Domini M° CCCC° XIII° in mense octobri, et cum domina regina facto prandio corizari et festivare fecit. Vidi eciam quod in castro suo Toetzinck[3] prope Menditum[4] oratores regis Polonie et magni principis Witholdi ducis Lithuanie et Russie magistrique generalis Beate Marie Teutonicorum et domini Prussie, et similiter nuncios Wratislaviensis et aliarum civitatum Moravie in castro suo Nuwenhuse[5], et pari modo ambaxiatores sive nuncios predicti quondam ducis Anthonii, cum quibus ego ad suam majestatem fui missus, in predictis suis castris Karlestyn, Toetzinck et Nuwenhuse benigne recollegit et graciose audivit et expedivit. Et literas serenissimi quondam Karoli regis et aliorum

[1] Wenceslaus VI obiit an. 1419.

[2] *Propter toxicum* apud auctorem *Magni Chron. Belg.*, qui totum hoc cap. 38 ex Dyntero descripsit. Vid. *Pistorii Rerum Germ. Script.* t. III p. 355.

[3] *Tocznik* seu *Toccenicz.*

[4] Lege *Mendicium*, vulgo *Zicbrak.*

[5] Id est in *castro suo novo*, ut legit Bohuslaus Balbinus, qui in *Epitome hist. rerum Bohemicarum* p. 461 Dynteri verba refert ex *Magno Chron. Belgico.* Wenceslaus, inquit Dubravius, seorsum a Praga spatio unius milliaris novam arcem vocabulo *Cunratice* bene firmam aedificavit, ad quam in quovis plebis urbanae motu tamquam ad asylum excurrere posset.

principum Francie, in latino scriptas, per nos sibi presentatas, ipsemet aperuit, legit et continenciam ipsarum nobis exposuit, et de statu eorumdem affectuose per nos cerciorari desideravit; similiter et de statu baronum ducatuum Brabancie et Lucemburgis, quorum noticiam aliqualem habuit, ut asseruit; fuit enim bene literatus, latinum congrue loquens. Meque postea per manum capiens, duxit in quandam aulam, in qua preciose imagines omnium ducum Brabancie, usque ad ducem Johannem Brabancie hujus nominis tercium inclusive, sunt depicte, quas predictus Karolus imperator genitor suus inibi depingi fecerat, dixitque ad me, quod illa sua esset genealogia, quodque ipse de propagine Trojanorum, et signanter sancti Karoli magni imperatoris et inclite domus Brabancie, descendit, et quod Heinricus de Lucemburgo imperator, proavus suus, habuit filiam [1] primi ducis Johannis Brabancie, ex qua genuit avum suum Johannem Bohemie et Polonie regem.

Quando vero ipse rex Wenceslaus bibit excessive et ad ebrietatem, incurrebat quandam furiam, et fuit tunc multum perversus et periculosus. Et dicitur, quod quadam vice cocum suum, quia ad voluntatem suam seu secundum appetitum suum sua cibaria non paraverat, ad veru [2] ligatum fecit assari; et quod quodam tempore, experiri volens quid decapitandi tempore executionis cogitarent, mandavit pro spiculatore, cujus compater fuit, et flexis genibus et oculis suis velatis precepit sibi ut ipsum decollaret: et quia ipse spiculator ense modo dissimulans ipsum cum plato in collo percussit, ipse rex surgens dixit spiculatori, quod poneret se super genua; quem velatis oculis de facto tunc decollavit. Accidit eciam quodam tempore, dum ipse rex causa venacionis ad nemus pergeret, reperit ibi unum monachum, et statim a mangone [3] suo petens arbalistam, qua tenta et a pharetra, quam semper ad latus suum ferebat, sagittam extrahens, monachum sagittavit taliter quod obiit, dicens astantibus se feram singularem sagittasse. Quibus dicentibus : « non feram sed monachum, » respondit, monachum esse et manere debere in suo claustro, non in silva, ubi esset habitacio et conversacio ferarum.

Audivi eciam de eo dici, quod quadam vice, videns ad quemdam parie-

[1] Scilicet *Margaretam*.

[2] *Veru*, ferreum seu ligneum instrumentum oblongum, cui infiguntur carnes igni torrendae.

[3] *Mango* hic pro *famulo* seu *pedisequo* usurpatur

tem scriptum : *Wenceslaus alter Nero,* statim accepta creta manu adjunxit hec verba : *Si non fui adhuc, ero.*

Dicitur eciam de eo, quod preter magnos et majores canes maximos permaxime habere desiderabat, et pro illis habendis ad diversas mundi regiones suos nuncios destinare solebat; quorum inter eosdem maximum in cubili suo et lecto proprio de nocte ad pedes suos secum dormire sive jacere faciebat. Accidit quadam nocte, cum regina sua [1], que fuit filia Alberti ducis Bavarie et comitis Hannoniensis, Hollandie et Zelandie, mingendi causa de lecto regis surgere sive vasculum, in quo mingere consuevit, capere conabatur, prefatus maximus canis mox ipsam per guttur arripiens suffocavit. Alii dicunt quod unus predictorum magnorum canum, qui furiam incurrebat, reginam momordit, a quo morsu ipsa moriebatur [2].

Iste Wenceslaus rex dominum Galleacum, comitem Papie et Virtutum ac dominum Mediolanensem, in ducem Mediolanensem creavit, et sibi civitatem Mediolanensem unacum tota Lombardia in feudum concessit, et sic dominium imperii alienavit, irrequisitis electoribus et sine consensu et voluntate eorumdem [3].

Propter cujus demerita et alia maleficia a regno Romanorum privatus, et ab eodem destitutus fuit a Bonifacio papa nono, qui electoribus imperii dedit potestatem alium in regem Romanorum eligendi, et in imperatorem promovendi. Qui elegerunt illustrem dominum Rupertum ducem Bavarie in regem, anno Domini M° CCC° XCIX°, qui ab eodem papa Bonifacio fuit confirmatus, et postea Aquisgrani cum maxima difficultate coronatus, propter potenciam principum qui Wenceslao adheserunt: ipse enim Wenceslaus semper magnam partem principum et civitatum Almannie habuit pro se, qui ipsum pro rege Romanorum tenuerunt. Quod vero predictus Sigismundus rex Hungarie, frater suus, post decessum Ruperti contra ipsum Wenceslaum in regem Romanorum fuit electus, hoc fuit, prout in Karlestein ipsemet nobis retulit, de suo consensu et cum protestacione quod predictus rex Hungarie, frater suus, imperator fieri deberet, et ipse Romanorum rex maneret.

[1] Scilicet Johanna, quae obiit an. 1388.

[2] Miror equidem Dynterum nullam fecisse mentionem de martyrio S. Joannis Nepomuceni, quem reginae secreta sacramentalia detegere recusantem Wenceslaus de ponte Pragensi dejici ac submergi jussit anno 1383.

[3] Joannem Galeatium in imperii detrimentum, accepta magna vi pecuniae, ducem Mediolanensem creavit anno 1395.

Est eciam verum, quod in sacro generali concilio Pisano ambaxiatores ipsius Wenceslai, quos ad idem concilium destinaverat, fuerunt nomine ipsius admissi, et in sessionibus et aliis publicis actibus in locis debitis tamquam Romanorum regis nuncii collocati, et oratores dicti Ruperti, qui contra ejusdem concilii decretum partem Gregorii pape XII[i] fovebant, fuerunt tamquam scismatici ex dicto concilio turpiter ejecti et refutati : nam omnes de obediencia pape Clementis VII[i] et Benedicti pape XIII[i] tenuerunt Wenceslaum pro rege Romanorum. De cujus quidem regis Wenceslai privacione et contumeliis sibi illatis, dictus rex Sigismundus, germanus suus, per suas literas fuit conquestus cardinalibus dicti pape Bonifacii : videlicet quod ipse Wenceslaus non vocatus, non convictus et sine cause cognicione fuit privatus, quodque idem Bonifacius die noctuque nichil aliud cogitare videretur, nisi ut modum invenire possit, quo ipsum Sigismundum ex regno Hungarie ejicere possit : qui eciam conabatur prelatos et barones suos, ut rupto federe ab ipso discederent, sibique rebellarent et regi Ladislao Neapolitano adhererent. Unde ipse Sigismundus multum ammirabatur[1], attento quod ipse et genitor suus, imperator Karolus, ab inicio scismatis Urbano sexto et ipsi Bonifacio semper adheserunt, licet per multos reges et principes de contrario sepe fuerunt requisiti.

Preterea dictus Wenceslaus rex, ad instigacionem universitatis generalis sui studii Pragensis, anno Domini M°CCC°XCVIII°, transtulit se de Bohemia ad civitatem Remensem, ubi Karolus tunc Francorum rex, cum ejus fratre germano Ludovico duce Aurelianensi, suisque et dicti Wenceslai consanguineis germanis, Johanne Bituricensi et Philippo Burgundie ducibus, certo previo tractatu ad ipsum venientes, de exstirpacione scismatis tunc inter Benedictum XIII[um] et Bonifacium IX[um], in eorum obedienciis pro papa reputatos, tunc vigentis pertractarunt : concludentes inter cetera, quod ad id consequendum melior, securior et brevior via esset via cessionis fiende, scilicet quod uterque de papatu contendencium juri suo cederet sive renunciaret, et quod per utrumque collegium novus papa eligeretur. Propter quod idem Wenceslaus, de consilio regis et principum Francie, misit suos certos ambaxiatores ad Bonifacium predictum ; misit eciam ad predictum papam Benedictum in Avinione reverendum patrem dominum

[1] In quibusdam Codd. et apud auctorem *Magni Chron. Belg.* legitur : *multum amabatur.*

Petrum de Aliaco, tunc episcopum Cameracensem et postea sacre Romane ecclesie cardinalem, qui ab eodem Wenceslao regalia sua receperat, ac magistrum Nycholaum prothonotarium suum, ad predictum papam Benedictum nomine suo requirendum ut juri suo de papatu cedere vellet, quemadmodum supradicti rex et duces Francie id idem per eorum oratores vicibus diversis ab eodem papa requiri fecerunt. Qui quidem Benedictus papa XIII^{us} inter alia ejusdem regis Wenceslai oratoribus duxit respondendum, quod super premissis vel consimilibus alias eundem regem Wenceslaum per suos oratores fecit de intencione sua informari.

Pro quo est sciendum, quod idem Benedictus in primordio sue assumpcionis miserat ad eundem regem dominos Bernardum Girberti, utriusque juris, Bartholomeum Lupi, legum doctores, suos capellanos, sacri palacii causarum Apostolici auditores, et magistrum Gerardum Petri de Eescharen, literarum apostolicarum scriptorem et Cameracensis et Laudunensis ecclesiarum canonicum, ad informandum sepedictum regem inter alia de jure sibi in papatu quesito, et ad ipsum dominum regem exhortandum ut ab errore et adhesione dicti Bonifacii desisteret et sibi adhereret.

Hujus eciam regis Wenceslai tempore incepit heresis Wikleff in Bohemia et in Praga predicari, et ipse et regna sua foverunt primo magistrum Johannem Hus heresiarcham, et deinde magistrum Iheronymum, qui tandem in concilio Constanciensi fuerunt combusti.

Item prefatus Wenceslaus, Romanorum et Bohemie rex, per suas certi tenoris literas ipsius majestatis sigillo sigillatas, datas Prage anno Domini M° CCCC° XI°, die XV^{a} augusti, regnorum suorum Bohemie anno XLIX°, Romanorum XXXVI°, inter alia declaravit, illustrem principem Anthonium, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem, etc., ad dominium ducatus Brabancie rite, bene et juste ac legitima successione pervenisse, et ipso ducatu cum omnibus suis pertinenciis licite et bono titulo gaudere et gaudere debere. Ac eciam, si et in quantum opus est, omne jus quod sibi tamquam Romanorum regi et Bohemie regi, racione ducatus Lucemburgensis aut aliasmet super ducatu Brabancie, per modum devolucionis seu alio modo quocunque, competeret aut competere posset, et similiter omne jus quod sibi in castris et fortaliciis inter Mosam et Renum sitis, ad ducatum Lucemburgensem spectantibus, que idem Anthonius tunc tenebat et possidebat, competere dicebatur, eidem Anthonio, heredibus et successoribus

suis dedit et donavit, et in ipsos transtulit plenarie et in toto, prout hec in predictis literis plenius continentur, quarum tenor habetur infra, ubi fit mencio et scribitur de gestis ducis Anthonii.

Qualiter per Karolum quartum Romanorum imperatorem mandatur capella Beate Marie Aquensis in bonis suis manuteneri et conservari, et ab omnibus violenciis defendi. CAP. XXXIX.

1372 Item supradictus Karolus quartus imperator per suas certi tenoris literas, datas Aquisgrani, anno Domini M° CCC° LXXII°, ipso die beati Petri et Pauli apostolorum, regnorum suorum anno XXVI°, imperii vero XVIII°, mandavit venerabilibus Frederico archiepiscopo Coloniensi, Johanni episcopo Leodiensi, illustribus Wenceslao Lucemburgensi et Brabancie, germano suo, et Wilhelmo Juliacensi ducibus, quatenus ipsi, et quilibet eorum in solidum, capellam Beate Marie Aquensis per beatum Karolum gloriosum imperatorem fundatam, et per ipsum atque per alios suos predecessores, Romanorum imperatores et reges, dotatam, necnon decanum et capitulum ejusdem capelle, ac possessiones et bona ipsorum, manuteneant et fideliter conservent, ac ab omnibus violenciis, injuriis, oppressionibus, dampnis et gravaminibus magnifice defendant, et injuriatores quoslibet penis condignis afficiant et corrigant, juxta demeriti qualitatem, prout in dictis literis lacius continetur.

De subsidio per patriam Brabancie oblato duci Wenceslao post conflictum de Baeswilre. CAP. XL.

1374 Anno Domini M° CCC° LXXIIII°, post conflictum de Baeswilre, in quo dux Wenceslaus fuerat captus per ducem Juliacensem, et per supradictum imperatorem, suum germanum, a sua captivitate liberatus, ut superius lacius est expressatum, prelati, oppida et ville patrie Brabancie liberaliter obtulerunt supradicto duci Wenceslao, in subsidium redempcionis suorum fidelium per fautores dicti ducis Juliacensis captivatorum, summam nongentorum millium mutonum Vilvordiensium, de quibus oppida et ville

solvere haberent octingenta millia, et prelati centum millia mutonum predictorum. Et quia super recepcione predicte summe oriebatur questio inter predictum ducem et patriam Brabancie, ex eo quod dux solus voluit habere disposicionem recepcionis dicte summe, patria vero Brabancie erat alterius opinionis, videlicet quod per manus per eandem patriam deputandorum predicta summa deberet levari, et per eosdem deputatos in predictorum captivatorum redempcionem et non alios usus converti; item predictus dux fuit eciam de predicta patria sua male contentus, ex eo quod ipso in captivitate existente dicta patria, absque ejus et preclarissime conthoralis sue domine ducisse scitu et voluntate, inierant inter se et fecerant certam confederacionem in sui dominii jurisdictionis lesionem, ut asseruit, multum redundantem: que quidem questionis controversia fuit tandem per medium domini Arnoldi de Hoerne episcopi et deputatorum sui capituli et civitatis Leodiensis atque oppidi Hoyensis sedata et pacificata per hunc modum: videlicet, quod predicta oppida et ville Brabancie ultra predicta octingenta millia mutonum adhuc solverent duo millia et quingenta mutonum, et prelati ultra predicta centum millia mutonum adhuc solverent mille et quingenta mutonum predictorum; quodque hujusmodi summe solverentur infra tres annos, et levarentur et solverentur in liberacionem predictorum captivorum per deputatos consilii de Cortenberge et oppidorum predictorum, salvo quod in solucione summarum predictarum, si dampna captivorum ad majorem summam ascenderent, quod patria Brabancie in illam non esset obligata, sed dux illam taliter persolveret, quod eadem patria Brabancie nulla dampna sustineret; prout hec et quedam alia, que causa brevitatis omitto, in literis desuper confectis plenius continentur.

Qualiter per Karolum quartum Romanorum imperatorem archiepiscopus Coloniensis ac Brabancie et Juliacensis duces ordinantur conservatores, judices et protectores perpetui omnium et singulorum privilegiorum decano et capitulo Sancti Servacii Trajectensis super Mosam concessorum et concedendorum. Cap. XLI.

Karolus quartus Romanorum rex et semper Augustus, per suas certi tenoris literas, et ob causas et raciones in eisdem declaratas, datas Tange-

remunde, anno Domini M° CCC° LXXVII°, indictione X^a^, tercio ydus septembris, regnorum suorum anno XXXII°, imperii vero XXIII°, constituit, fecit et ordinavit auctoritate imperiali, de certa sciencia, archiepiscopum Coloniensem, sacri imperii per Italiam archicancelarium, ac Brabancie et Juliacensem duces, conservatores, judices et protectores perpetuos omnium et singulorum privilegiorum, libertatum, graciarum, jurisdictionum et indultorum, tam a predecessoribus suis Romanorum imperatoribus seu regibus, quam ab ipso et aliis quibuscumque preposito, decano et capitulo ac eciam collegiate ecclesie Sancti Servacii Trajectensis supra Mosam, Leodiensis dyocesis, que sacri imperii capella peculiaris existit, et ab eodem accepit exordium, concessorum aut in antea concedendorum : injungentes eisdem quatenus ipsi, vel duo aut unus ipsorum, per se vel alium seu alios, prefatis preposito, decano et capitulo defensionis presidio assistentes, non permitterent ipsos justiciarios aut officiatos suos super et in jurisdictionibus, libertatibus, graciis, privilegiis et aliis juribus et dicte ecclesie possessionibus, quoque rebus et bonis ejusdem quibuscumque, indebite per quemcumque aut quoscumque turbari vel impediri vel molestari, aut eorum occasione ipsis inferri queque dampna vel gravamina, facerentque ut de dampnis hujusmodi injuriarum et violenciarum occasione irrogatis eisdem, et expensis propterea factis ipsis plenarie satisfieret : dans insuper et concedens eisdem conservatoribus, et cuilibet ipsorum in solidum, plenariam, liberam et omnimodam potestatam, facultatem et auctoritatem, universos et singulos hujusmodi privilegiorum, libertatum, graciarum, jurisdictionum, jurium, possessionum, rerum aut bonorum dicte ecclesie impeditores, turbatores, usurpatores, ac eos qui de bonis hujusmodi seu villis et locis ad dictam ecclesiam pertinentibus tallias imposuerunt, eas ab ipsis exegerint vel extorserint, vel qui ipsorum villas deassecuraverint vel diffidaverint, ad instanciam dictorum prepositi, decani et capituli, conjunctim vel divisim, coram ipsis ac hominibus suis feudalibus legitime in jus vocandi, et in causis desuper movendis simpliciter et de plano, et sine strepitu et figura judicii, juxta stilum et morem imperialis curie debite procedendi, ac de offensis et injuriis hujusmodi rite cognoscendi, necnon contra injuriatores predictos per provocacionem et appellacionem ad duelli conflictum ac proscripcionem et privacionem honorum, mediante hominum fidelium ipsorum judicio, eciam adhibita adhuc executione materialis gladii vigo-

rosa ac pena imperialis banni, necnon privacionem omnium privilegiorum, libertatum, graciarum et indultorum ab ipso necnon predecessoribus suis, divis imperatoribus sive regibus Romanorum, concessorum, ac alias puniendi, mulctandi corrigendique, usque ad satisfactionem condignam de commissis. Et qui contra premissa fecerit, incurreret penam centum marcharum auri, etc., prout in supradictis literis lacius et plenius continetur.

De adventu Karoli quarti imperatoris in Brabancia et oppido Bruxellensi. Cap. XLII.

Postquam dux Wenceslaus et Johanna ducissa cum predicta patria Brabancie fuerunt pacificati, et cum suis curia et familia residenciam tenuissent in Bruxella, ubi cum gaudio et leticia multa et diversa hastiludia et torneamenta more illustrium principum et magnorum exercitata fuerunt, dominus imperator Romanorum Karolus quartus, germanus ducis Wenceslai, ad visitandum eundem et dominam ducissam ejus consortem, ipso die Sancti Andree anno Domini M° CCC° LXXVII° intravit Bruxellam : quem ipse dux et ducissa solempniter et honorifice, ut decuit, receptarunt. Ubi tanto ad invicem congratulacionis jubilo sunt affecti, ut in omni vita eorum vix aliquid gaudii potuit equiparari : ubi dum per certi temporis spacium perseveraverat, se transtulit versus Franciam, ad visitandum nepotes suos, scilicet Karolum Francorum regem et ejus germanos, Ludovicum Andegavensem, Johannem Bituricensem et Philippum Burgundie duces. 1377.

Qualiter communitas iterum insurrexit in Lovanio, et ob quam causam. Cap. XLIII.

Supra sufficienter est narratum [1], qualiter Petrus Coutreel nonnullos de notabilioribus oppidanis Lovaniensibus rancionaverit seu exactionaverit, qui tandem apud ducem Wenceslaum tantum procurarunt, quod de damp- 1378.

[1] Vid. supra p. 53.

nis per ipsos passis et habitis, aliquibus ipsorum hereditarie, et aliquibus ad vitam, fuit facta assignacio super redditus oppidi Lovaniensis predicti, quodque regimen ejusdem oppidi ipsis fuit restitutum, quemadmodum ab antiquo habere consueverant: quod quidem regimen ipsi ex tunc tenuerant ab anno M° CCC° LXIII° usque ad annum Domini M^{um} CCC^{um} LXXVIII^{um}: infra quos annos ipsi rectores oppidi sibi ipsis et eorum consanguineis de promptioribus oppidi redditibus persolvi fecerunt, quia nichil superfuerit unde alii et extranei pensionarii poterant persolvi, quare mercatores et incole Lovanienses et eorum bona ubique extra oppidum Lovaniense arrestabantur, ob quam causam predictum oppidum pro eorum negociationibus ammodo exire non audebant. Quare incole ejusdem oppidi contra predictos rectores invicem murmurare ceperunt, et finaliter, ex consilio secrete preavisato, in una nocte per serum factum super pelves congregati occupaverunt domum consulum; quod percipientes rectores predicti, et alii viri de prosapiis inde fugientes, oppidum exierunt; aliqui, qui tempestive aufugere non poterant, inibi permanserunt, de regimine oppidi nichil se intromittentes.

Ex tunc communitas, auctoritate propria magistros communitatis, scabinos et consules statuentes, regimen resumpserunt, et iverunt, tam infra quam extra Brabanciam, in diversis locis et oppidis cum dicti oppidi magno sigillo, vendentes redditus ad vitam. Quod quidem regimen ipsis duravit circa tres annos et semis, unde ipsi, ut dicitur, duci Wenceslao et suis consiliariis magnas pecuniarum summas persolverunt. De quibus omnibus fuerunt principales machinatores et capitanei duo appellati communiter Molembeke et Reepaert.

Qualiter magister communitatis Lovaniensis fuit Bruxelle interfectus, et viri generosi de prosapiis fuerunt extra fenestras domus consulum Lovaniensis projecti et inhumaniter trucidati. Cap. XLIV.

Post hec dux Wenceslaus fecit tres status Brabancie ad dietam in Bruxella congregari, ubi ex parte oppidi Lovaniensis venit Wouterus Van der Leiden, pro tunc ejusdem oppidi magister communitatis, quem dominus Johannes de Calstris miles, qui de Lovanio eciam aufugerat, fecit per

suos famulos interficere. Quod communitas Lovaniensis percipiens, fecit illico omnes notabiles viros de prosapiis, quos apprehendere et reperire poterant, ad domum consulum adduci, et sine misericordia extra fenestras ejusdem domus in manus populi, cum gladiis et fustibus ibidem stantis, projici, qui ipsos lamentabiliter et inhumaniter trucidarunt, usque ad numerum sexdecim personarum de notabilioribus tocius oppidi Lovaniensis.

Sequitur ordinacio ducis Wenceslai super successione ducatus Lucemburgensis, si ipsum nullo relicto herede a suo corpore procreato decedere contingeret. Cap. XLV.

Anno Domini M° CCC° LXXVIII°, die sabbati proxima ante festivitatem 1378
Purificationis beate Marie Virginis, Wenceslaus de Bohemia, Lucemburgis, Lymburgis et Brabancie dux sacrique imperii marchio, per suas certi tenoris literas datas Lucemburgi anno e die suprascriptis, notum faciens universis easdem visuris seu audituris publice recognovit, quod futuris altercacionum amfractibus et perniciosis dissensionum dispendiis desiderans salubriter obviare, que post obitum suum, casu quo absque legitimis heredibus a corpore suo procreatis ab hac luce migraret, quod Deus avertat, ducatui et dominio Lucemburgensi evenire possent, animo deliberato, ac cum suo et ejusdem ducatus Lucemburgensis baronibus, nobilibus, militibus, vasallis sive feudalibus et oppidis matura deliberacione et unanimi consensu et consilio prehabitis, ex certa sciencia, predictarum virtute literarum fecit, statuit, concordavit et ordinavit, si contigerit ipsum nullis relictis heredibus legitimis a suo corpore procreatis decedere, quod Deus non velit, quod tunc idem ducatus Lucemburgensis ipsiusque vasalli, milites, clientes et oppida, cum omnibus suis dominiis et pertinenciis, ad serenissimum principem et dominum, dominum Karolum imperatorem semper Augustum, dominum germanum suum charissimum, et ad dilectum dominum suum et nepotem, dominum Wenceslaum Romanorum regem et Bohemie, ejus filium, et ad ipsorum heredes et successores, Bohemie reges, nominatim illum qui pro tunc rex Bohemie extiterit, hereditarie et libere devolverentur, absque impedimento quocumque, quia

ipsi ex recta paternali prosapia et linea veri forent heredes dicti ducatus, cum ipsius dominiis et pertinenciis universis, post ipsum ducem, casu quo nullis relictis heredibus legitimis ex corpore suo procreatis decederet, prout superius est expressum. Et si ipse decederet, et nullum filium sed filiam unam vel plures ex suo corpore procreatas relinqueret, tunc voluit et ordinavit, quod eadem filia seu eedem filie, cum consilio, scitu et voluntate predictorum dominorum suorum, imperatoris et regis Romanorum, vel ipsorum heredum et successorum, qui pro tempore rex Bohemie fuerit, debeant maritari.

Hanc siquidem presentem ordinacionem promiserunt, mediis ipsorum juramentis, de mandato dicti ducis barones, nobiles, milites, clientes, feudales et oppida dicti ducatus Lucemburgensis, in eorum patentibus literis sigillatis, stabilem et firmam observare, fraude et dolo cessantibus quibuscumque. Et insuper dicti domini, frater suus imperator et nepos suus rex Romanorum et Bohemie, pro ipsis et suis heredibus et successoribus, Bohemie regibus, per eorum literas patentes promiserunt, quod si ducatus Lucemburgensis ad ipsos devolvatur, quod ipsi tunc omnes vasallos, milites, clientes, oppida, subditos et incolas, spirituales et temporales, ducatus predicti cum suis pertinenciis circa eorum antiquas libertates, consuetudines atque jura inviolabiliter observabunt.

Eciam reservavit sibi memoratus dux potestatem et omnimodam facultatem se juvandi cum dicto ducatu et ejus pertinenciis secundum suam liberam voluntatem, tamquam cum suis hereditariis dominiis atque bonis, si patens necessitas ipsum ad hoc urgeret, absque fraude et malo ingenio, salvis domine matri sue, regine, et dilecte et legitime consorti sue, ducisse Lucemburgis et Brabancie, utriusque ipsarum duwariis et dotaliciis, que habent, ipsarum vita durante, super ducatu Lucemburgensi cum suis pertinenciis predictis, juxta tenores literarum quas desuper habent sigillatas, prout omnia in predictis literis plenius continentur.

Quas quidem literas, omniaque et singula in eisdem contenta, sculteti, judices, scabini, consules et communitates oppidorum Lucemburgensis, Arlunensis, Epternacensis, Theodonis Ville, alias Diedenhoven, de Marcha, Yvodiensis, Bastoniensis, Rupensis, alias der Veltz, de Verton et de Mirevilla, alias Marville, per eorum patentes literas supradicto domino imperatori ac domino suo Wenceslao Romanorum et Bohemie regi, heredibus

et successoribus suis, Bohemie regibus, et signanter ut predictus ducatus non veniat ad manus alienas, sed penes hereditariam prosapiam, unde ab antiquo descenderunt, permaneat, et eciam ut ipsi pro futuris dampnis et inconveniencciis preserventur, tenere, et observare promiserunt, pro se et successoribus suis, casu quo predictus Wenceslaus dux migraverit ab hoc seculo et nullum legitimum heredem a suo corpore procreatum, filium aut filiam, post se relinqueret, quod tunc ipsi et ipsorum heredes predictos dominos imperatorem, ejus filium, Romanorum regem et Bohemie, si ex recta paternali prosapia ad hoc heres natus fuerit, pro ipsorum vero, naturali et legitimo domino et duce Lucemburgensi, et nullum alium recipient et observabunt, sibique debite fidelitatis et obediencie juramentum prestabunt : salva predicto eorum domino duci Lucemburgensi sua libera voluntate se cum eodem ducatu juvandi, ac eciam sue matri et ejus legitime conthorali ipsarum duwariis et dotaliciis, ipsarum vita durante, salvis eciam suis libertatibus, juribus et consuetudinibus, prout illis ab antiquo usi fuerunt et gavisi : prout in ipsorum patentibus literis, in quibus predicti ducis Wenceslai litere sunt incorporate, plenius continetur, que fuerunt date Lucemburgi anno M° CCC° LXXVIII°, proxima die lune post festum Purificationis beate Marie.

Quocirca supradictus dominus imperator per suas patentes literas, et ob causas et raciones in eisdem declaratas, supradictis scultetis, judicibus, scabinis, consulibus, communitatibus et oppidis ducatus Lucemburgensis, et heredibus ipsorum, pro se et heredibus suis, Bohemie regibus, promisit, si contigerit quod supradictus frater suus, nullo herede ex suo corpore procreato, decedat, et per ipsius obitum ducatus Lucemburgensis cum dominiis et pertinenciis ad ipsum aut suos heredes, et signanter reges Bohemie, devolvatur, prout superius est narratum, quod tunc ipse imperator et iidem sui heredes eciam monasteria et subditos ejusdem ducatus Lucemburgensis circa ipsorum antiquas libertates, consuetudines et jura, quos et que ab antiquo conservarunt, effectualiter illesos permanere et conservare debebunt, et contra illos et illa non gravare neque inquietare, salva quoquo modo predicto fratri suo libera voluntate se juvandi ad notoriam necessitatem cum eodem ducatu; salvis eciam ejusdem sui fratris matri, ac legitime consorti sue, ducisse Lucemburgensi et Brabancie, ipsarum duwariis et dotaliciis ipsis vita durante super dicto ducatu assignatis :

prout hec in supradicti imperatoris literis, in quibus ambe supradicte litere, scilicet ducis et oppidorum Lucemburgensium, sunt incorporate, plenius continentur; que date fuerunt Lucemburgi, proxima die martis post festum Purificationis beate Marie, anno M° CCC° LXXVIII°.

Tenor vero predicti imperatoris literarum, de quibus supra immediate fit mencio, in quibus litere ducis Wenceslai fratris sui et oppidorum ducatus Lucemburgensium sunt incorporate, sequitur et est talis :

« Wir Karle van Goitz gnaden Roimscher keiser, zu allen zeiten merer des Richs, und kuning zu Behem, bekennen und tun kunt offentlich mit desen brieve, allen den die in sehen oder horen lesen, wanne der hochgeborne Wentzlaw hertzog zu Lutzemburg, Lymburg und zu Brabant, unser lieber bruder und furste, zu bewaren und understehen kunfftigen inval und stosse, die in dem hertzogtume, herscaft und lande zu Lutzemburg ufferstehen und bescheen moichten, ob er ain elich seines leibes erben van deser worlde verschiede, do Got vor sy, eyne sulche ordenunge, mit rate und wissen graven, frihern, dinstluten, ritter, knechte, stete und ghetreuen desselben hertzogtums zu Lutzemburg, gheschicket und ghemacht hatte, die ouch dieselben graven, frihern, dinstlute, ritters, knechte, stete und undersessen des hertzogtums van Lutzemburg und ziner zugehoringen zu halden gelobt und verscriben haben, als oich beide der egenannten unser broeder und die lantsessen und stete uns und unsen erben, coningen zu Behem, ir besigelten offenen brieve geven haben, die van wurtte zu wurtte hierna ghescreben staen :

» Wir scolthisse, richter, sceffen, rete und gemeynde der stede zu Lucemburg, zu Aerle, zu Echtennach, zu Diedenhoven, zu der Marchen, zu Oie, zu Rastenachen, zu der Veltz, zu Verton und zu Marville, bekennen offentlichen mit diesen brieve allen den die in sehen oder horen lesen, wanne der hochgeborne furste, unser lieber, genediger here, here Wentzlaw van Behem, van Gots genaden hertzog zu Lutzemburg, zu Lymburg, zu Brabant unt mercgreve des heiligen Roemschen rycs, durch mits gemach und selicheit derselber lande, abe derselbe unser here ain eliche seines liebes erben van dieser werelde verschiede, dat Got voir sey, eyne sulche ordenunge mit unsen rate und wissen gheschicket und gemaicht hait, die hierna van wurtte zu wurtte ghescreben steit :

» Wir Wenceslaw van Behem, van Gots gnaden hertzog zu Lutzemburg,

zu Lymburg, zu Brabant, marcgreve des heiligen Roemschen ryes, bekennen und tun kunt offentlich mit desen brieve allen den die in sehen oder horen lesen, das wir, zu understehen und bewaren zukunfftigen invall und stosse, die nach unsen dode, abe wir ain eliche van unsen leibe comende sturben, dat God voir sey, den hertzogtumme und heirschafft zu Lutzemburg zucomen und erstehen mochten, mit wolbedaichten mute, guden vurrate unser und desselbes eintrechtelichen doertragen gemacht, gheschicket und geordineert haben, machen, schicken und ordineren, mit rechten unser wissen, in creften des brives, gheschiet is das wir ain elich erben van unsen liebe commende sturben, des Got nicht en wolle, soe sal des egenen hertzogtum zu Lutzemburg, seyne manne, ritter, knechte, stete, alle syne heerlickeit und zugehoringen erfflichen gefallen und erben uff die allerdurchluchtigen fursten und heren, heren Karl Roimischen keiser, zu allen zeiten merer des Reichs, unsern liben heren und bruder, und up unsen liben heren und vettern, heren Wentzlaw, Roimischen kuning und kuning zu Behem, seynen sone, und up ir erben und nachcommen, kuninge zu Behem, nemelichen der denne kuninge zu Behem ist, rechtlichen und erblichen gevallen und erben, ain allerley hindernisse, wanne sey van rechten vederlichen stamme und lineen rechte erbe sein nach uns zu dem obgenannten hertzog zu Lutzemburg, aller syner heerlickeit und zugehoringen, ob wir sterben ain eliche erben unsers liebes, als davoir begriffen ist. Were oich saiche das wir sturben, und nicht sone, sonder toichter alleyne eyne, sonder meer elichen van unsen leibe kummenden, hinder ons liesen, soe ist unsse ordenunge, gesetze, wille und wairt, das dieselbe onse toichter mit rade und wissen des egenannten unses heren des keisers, des Roemschen kuning, oder ires erben oder nachkommen, der denne kunig zu Behem ist, bestaten und beraden sullen werden; und die ordenungen und schickingen geloben in eydes weise, van unsen geheisse und gebote, banritzen, heren, ritters, knechte, manschaffte und stete des hertzogtums zu Lutzemburg in iren offenen besigelten briven stede und vaste zu halden, ain wederrede und ain alles geverde. Auch zo haben de egenannte unse here und bruder der keyser und onser veter der Romische kunig und kunig zu Behem, voir sich und ire erben, kunig zu Behem, sunderlichen verbrivet, ob es su schulden kumpt das, als davoir begriffen ist, das hertzogdum und heerlickeit zu Lutzemburg uff sey vorfellet und

erbet. das sy dan alle manschafte, ritter, knechte. stete und undersassen, geistliche und wereltliche, desselben hertzogtums und herlickeit zu Lutzemburg und iren zugehoringen bey iren alten friheiten. gewanheiten und rechten beleyben lassen sullen, ongehindert und ain alles geverde. Auch behalden wir unse muge und machte uns zu behelfen mit den voirscreven hertzogtum zu Lutzemburg und seyne zugehoringen nach unsen vrien wille, als mit unser erblicher heirschafft und gute, ab uns des kuntliche not sine woirde, ain argelist und ain alles geverde. Und behalden ouch unse muter der kuninginnen and onse lieben elichen gemahel der hertzoginnen van Lutzemburch zu Brabant irer beider duwarien, mittegabe und bewisingen, die sey haben ire lebdage in den vorgenannten hertzogtum zu Lutzemburg und seynen zugehoringen. nach inhalde und begriffe sulcher brive die sy darober haben, ain alles geverde. Mit urkunde dieses brives versigelt mit onsen anhangenden insigel, der geben ist zu Lutzemburg, nach Christus geburte dreytzhien hondert jair, darnach in den eichtundsiebentzigsten jare, des nesten sunabendes voir Onser Vrouwen dage Lichtmisse.

» Davan mit woilbedachten mute und rechter wissen, doreff das sullichs herzogtums und heirschafft zu Lutzemburg und seyne zugehoringen nicht in fremde hant commen, sonder bey iren rechten erblichin stamme, van dannen sey van alters hercommen, seyn, bestehen, erben und beleiben, und ouch voir zukunfftigen infalle und schaden werden bewaert. haben wir den voirgenannten unsem heren dem keysere und unsem here Wentzlaw, Romischen kunighe und kunige zu Behem, iren erben und nacommen, kunigen zu Behem, verheissen und ghelobt. verheissen und gheloben ouch. voir uns und unsere erben. in guden treuen, in eides stat, in craft dieses brieves, ob es zu schulden kumpt das der egenannte here, here Wentzlaw hertzog zu Lutzemburg. stirbet, und nicht elich erben van seynen leibe kummenden, sone oder tochter, hinder ym lesset. das dan wir und unse erben die egenannten heren, den keyser, seynen sone dem Romischen coninc und kunig zu Behem, ire erben und nakommen, nemelichen den der denne kunige zu Behem ist, sint sey van rechten vederlichen stamme dairzu geerbig und geburtig sien, vur unse rechten, naturlichen erbheren, hertzogen zu Lutzemburg. und nyemant anders, emphaen, haben und halden sullen. und ouch danne ghewonliche huldinge und eyde dun

in gehorsam zu seyn, als sich das billichen und van recht geburt, ain wederrede und ain alles geverde, beheltenisse unsen heren den hertzoge zu Lutzemburg seynes frien willen sich zu behelffen mit den egenannten hertzogtum zu Lutzemburg, und seyner muter und seyner elichen gemahel vurgenannt ire duwarien, mitgaben und bewisingen, ire lebtage, und uns auch unse friheiten, rechten und gewonheiten, als wir die van alders herbracht haben, als das ouch alles in den vurgenannten unses heren des hertzogen briven cleirlichen begriffen ist. Und zu dieser obgeschreven sachen haben wir onse stete insiegel an desen brief lassen henken, der geben ist zu Lutzemburg, nach Christus gepurte dreytzienhondert jair, dernach in den eichtundsiebentzigsten jare, des neisten maendags nach Unser Frouwen dage Lichtmisse.

» Davan mit wolbedachten mute und rechten wissen haben wir den egenannten scoltissen, richteren, sceffenen, reten, gemeynden und steten des hertzogtums in Lutzemburg und iren erben, voir uns und unse erben, kuninge zu Behem, gelobt und geloben, in krafft dieser brieve, kumpt es zu sulchen sculden das der vurschreven unsen bruder ain elich seines libes erben sturbe, und von seines todes wegen das hertzogtum zu Lutzemburg mit seynen herlichkeiten und zugehoringen up ons oder unse erben und nacomen, kuningen zu Behem, ghefellet, als dairvor begriffen ist, das dan wir und dieselben unse erben und nacomen, kuninge zu Behem, die voirschreven scholtisse, richter, scheffen, rete, gemeynde, stete, und ire erben, darzu ouch cloesteren und undersessen desselben hertzogtums zu Lutzemburg by iren alten fryheiten, gewonheiten und rechten, die sey van alters heirbracht haben, behalten und beleiben lassen sullen und wollen, und sey daruber nicht irren, besweren oder hinderen, in kheine wys, beheltenis unsen egenannten bruder seynes frihen willen sich zu behelfen durch kuntlich not mit dem eyghenen hertzogtum zu Lutzemburg; beheltenisse ouch des voirgenannten unses bruders muter, und daruber siner elichen gemahel, der hertzoginnen van Lutzemburg, van Brabant, ir duwarien, bewisingen und mitgaben, die sy haben ire lebtage in den egenannten hertzogtum zu Lutzemburg, na inhalde irer brieve, und als das alles daner in des egenannten unser bruders briven cleinlichen begriffen ist. Mit urkunde dieses brives, versiegelt mit unsem keyserlichen majestat insiegel, der geben ist zu Lutzemburg, na Christus gepurte dreit-

zienhondert jair, darnach in dem eichtundsiebentzigsten jair, des neisten dinstaigs nach Onser Frouwen tage Lichtmisse, unser reiche in dem zweiunddrissigisten und des keysertums in dryundtzwintzigsten jair, etc. »

De summis pontificibus, qui prefuerunt sancte Romane ecclesie tempore Karoli quarti Romanorum imperatoris. CAP. XLVI.

Innocencius sextus, nacione Lemovicensis, qui et Stephanus fuit nuncupatus, erat in papatu anno Domini M° CCC° LII°, tempore Karoli quarti electus, et sedit annis decem, aliqui dicunt undecim. Tempore hujus novi muri Avinionenses constructi fuerunt.

Urbanus quintus, nacione Gallicus, qui vocabatur Wilhelmus Grinardi[1], et erat abbas Sancti Victoris Marsiliensis, anno Domini M° CCC° LXII°, die jovis XXVII^a octobris, tempore Karoli quarti, fuit in papam electus.

Gregorius undecimus, nacione Lemovicensis, qui vocabatur Petrus Bellifortis, tempore Karoli quarti, anno Domini M° CCC° LXX°, eligitur in papam. Tandem iste papa Gregorius de Avinione accessit Romam, ubi obiit anno M° CCC° LXXVIII°, mensis marcii die XXVII^a.

Mortuo Gregorio papa undecimo, tempore supradicti Karoli quarti, oritur scisma perniciosum in ecclesia Dei, propter duos de papatu contendentes, scilicet Robertum de Gebenna, basilice duodecim apostolorum presbiterum cardinalem, qui fuit in papam electus et Clemens septimus nuncupatus, ex una, et Bartholomeum de Neapoli, archiepiscopum Barensem, qui eciam electus fuit in papam, violenter, ut dicitur, et vocatus Urbanus sextus, parte ex altera.

Qui autem clare et veraciter cerciorari voluerit de facto Romanorum in violenta electione, post obitum predicti Gregorii pape undecimi in personam prelibati Bartholomei, alias Urbani sexti, perpetrato, et de libera et canonica electione in personam supradicti Roberti de Gebenna, alias Clementis septimi, celebrata, legat testimonium cardinalium antiquorum hic subscriptum.

[1] Lege *Grimoardi*.

Sequitur factum Romanorum in violenta electione post obitum felicis recordacionis Gregorii pape undecimi perpetratum, anno Domini M° CCC° LXXVIII°, juxta testimonium cardinalium antiquorum, in litera tenoris sequentis[1]. Cap. XLVII.

« Cum propter falsam assercionem iniquorum veritas quandocunque in lucem venire nequeat, racionabiliter jura sanxerunt, ut ea, que in alterius possunt redundare prejudicium, scripturis authenticis annotentur, ne in posterum, cum ab hominum memoria, que naturaliter labilis existit, discesserit, falsitas veritati prejudicet, et iniquitas prevaleat equitati. Ut ergo veritas eorum, que novissimis diebus in ecclesie sancte Romane prejudicium, vituperium aut dedecus inauditum in urbe attemptata sunt, cunctis pateat, nec valeat per falsitates quoquo modo obumbrari, dignum et racioni congruum esto, ut in eorum ipsa perpetrancium detestacionem ac confusionem perpetuam inferantur. Sciant ergo universi Christi fideles quod, cum sanctissime et felicis recordacionis dominus Gregorius papa undecimus, die XXVII^a^ mensis marcii[2], obiisset, officiales urbis diversa consilia in capitulo tenuerunt, aliqua secreta, aliqua majora, aliqua generalia, ut moris est inter eos in expedicione magnorum negociorum, in quibus tractatum fuit, quis modus per eos teneri deberet in electione pape. Et, prout per plures cives Romanos, aliquos qui intererant consiliis, aliquos qui dicebant se audivisse ab illis qui consiliis interfuerant, reportatum fuit pluries dominis cardinalibus, quod in iisdem consiliis concluserunt, ut cives cogerent dominos cardinales ad eligendum Romanum vel saltem Italicum, quia aliter non poterant esse securi, quod curia in Italia remaneret: et in uno istorum consiliorum fuit archiepiscopus Barensis, prout ipse publice confessus est, licet postea asseruit, quod ipse impressionem fieri dissuasit, qui post, ut asserunt fide digni, multum se recommendavit banderensibus in ecclesia Beate Marie Nove, antequam conclave intraretur.

[1] Cfr. acta electionis et schismatis apud Papebrochium, *Conatus chron. hist. ad catalogum Rom. Pont.*, part. II p. *95 et seqq., et Odericus Raynaldus in cont. Annalium Baronii ad an. 1378, ubi num. 63 referuntur excerpta quaedam ex fallacibus hisce literis, pseudo-cardinalium sigillis consignatis, quibus schismaticorum nuncii Anglis aliisque populis persuadere nitebantur, Urbani VI electionem, quae tamen legitima habetur, vitio celebratam fuisse.

[2] Anni 1378.

» Item prefati officiales statim post mortem ejusdem Gregorii voluerunt habere custodiam omnium portarum et pontium urbis, qui prius tamen per gentes domini Gregorii et suo nomine custodiebantur, eosque die ac nocte custodiri fecerunt, ea de causa, ut creditur, ut domini cardinales ante celebratam electionem urbem egredi non valerent pro libera electione alibi celebranda.

» Item prefati officiales urbis, pendentibus decem diebus, qui effluxerant inter mortem domini Gregorii et introitum conclavis, similiter adunati cum alio magno numero civium, omnibus dominis cardinalibus insimiliter congregatis, pluries supplicarunt eosque requisierunt, ut eligerent papam Romanum, vel Italicum saltem, addentes ut ante ingressum conclavis vellent ipsos ad consolacionem populi de hoc certificare, et aliquibus vicibus subjunxerunt, quod aliter dubitabant de maximis et irrecuperabilibus periculis et scandalis, cum viderent et cognoscerent corda civium nimium sublevata. Et ulterius certos cives miserunt ad domos multorum dominorum cardinalium, qui ex parte officialium et populi similes requisiciones fecerunt ipsis dominis cardinalibus in particulari.

» Item prefati officiales mandaverunt omnibus nobilibus urbis per quos furor populi reprimi poterat, sub penis maximis, ut infra tres dies urbem exirent : quod mandatum, ad instanciam dominorum cardinalium requisiti, tamen nunquam revocare voluerunt, ymmo, quod deterius fuit, ut saltem comites Nolanum et de Fundi, qui erant officiales ecclesie, permitterent Rome stare, negaverunt expresse, ac postea requisiti, ut saltem comitem Nolanum et dominum Agapitum de Columpna episcopum Ulixbonensem, magnos cives et notabiles, in urbe deputarent pro custodia conclavis, hoc facere denegarunt, nolentes quod aliquis, qui dubitaretur offendi a populo, se haberet intromittere quoquo modo. Propter quod domini cardinales, dubitantes de eo quod scilicet postmodum accidit, miserunt pro officialibus, et exposuerunt eis cum magna fide errores, qui poterant sequi ex modis, quos ipsi tenebant, expresse eciam ipsis dicendo, quod, si propter premissa, qui minas et impressionem eos velle facere sapiebant, aliquis in papam eligeretur, non esset verus papa, et quomodo ipsi, tendentes ut curia penes ipsos remaneret, essent causa perdendi ipsam. Et requisierunt eos de duobus in effectum : primo, quod rusticos de comitatu, quos in magna multitudine ad urbem fecerant venire, remitterent, et populum ita ordi-

narent, quod fieri scandalum ex post non posset, quod abstinerent ab illis consiliis, que videbantur esse causa inflammandi populum; secundo, quod ordinarent unum bonum capitaneum ad custodiam burgi Sancti Petri cum certo numero gentis confederate dominis cardinalibus, offerentes se domini cardinales prefati velle solvere stipendia dicte gentis, quamdiu essent in conclavi, et quod ipsi facerent taliter custodiri pontes, vel ipsos tenendo clausos, vel saltem de bona gente in sufficienti numero munitos tenerent, ne populus importune transiret ad palacium. Que omnia verbo concesserunt, et unum banderensem fecerunt capitaneum, qui fecit quatuor cives comestabellarios, et ita, ultra juramentum quod prius prestiterant, officiales, juxta ca[m] : *ubi majus periculum,* solempniter juraverunt bene et fideliter dominos tenere securos, ab omni violencia et impressione custodire, et alia multa, prout ab eis petita fuerunt. Sed nichil penitus observaverunt, ymmo, antequam domini intraverunt conclave, tota platea Sancti Petri adeo fuit plena populo, pro magna parte armato, quod vix palacium intrare potuerunt, et cum eis fere, quot in palacio recipi potuerunt, intraverunt, et eadem nocte portas palacii apertas tenuerunt nec ipsas claudi permiserunt, ac diversarum domorum portas ejusdem palacii ruperunt, ipsumque palacium ab omni parte circumdederunt armatis hominibus, ut nullus intrare posset absque eorum scitu.

» Item subsequenter, postquam omnes exiverant conclave, exempto senatore cum paucis personis que sequebantur, et porta conclavis custodiretur ut nullus posset intrare, supervenerunt omnia capita regionum urbis, simul cum multis civibus, volentes intrare conclave, et, licet fuerat ipsis intimatum atque mandatum, quod non esset de more quod, clausa porta maxima, ita tarda hora aliquis intraret conclave, nichilominus omnino intrare voluerunt; eapropter ipsi cardinales, fracturam portarum et pericula personarum timentes, intrare permiserunt.

» Item sciendum quod per multos bonos cives reportatum fuit dominis cardinalibus, antequam intrarent conclave, quod aliqui prelati erant in Roma, quorum aliqui erant de urbe, aliqui de extra, Italici tamen, qui ad hoc, ut impressio fieret, totis viribus populum inflammabant, et qui multa promittebant officialibus urbis, scilicet quilibet ipsorum in casu quo eligeretur in papam.

» Item sciendum, quod mortuo domino Gregorio sancte memorie reman-

serunt sexdecim dumtaxat in curiis domini cardinales : videlicet dominus Petrus de Ursinis, Portuensis et Sancte Rufine, Johannes de Crosso, Penestinus episcopi: Guilhelmus de Agrifolio, tituli Sancti Stephani in Celio monte, Franciscus de Thebaldicis, tituli Sancte Scabine, et Bertrandus de Figiaco, tituli Sancte Tealie, Robertus de Gebenna, tituli Basilice XII apostolorum, Symon de Borsano, tituli Sanctorum Johannis et Pauli, Hugo de Montelongo, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum, Guido de Malosicco, tituli Sancte Crucis in Jherusalem, Petrus de Sortemato, tituli Sancti Laurencii in Lucina, Gerardus de Podio, tituli Sancti Clementis, presbyteri: Jacobus de Ursinis, Sancti Gregorii ad Velum Aureum, Petrus Flandrini, Sancti Eustacii, Guilhelmus Noveletti, Sancti Angeli, Petrus de Verruhio, Sancte Marie in Via Lata, et Petrus de Luna, Sancte Marie in Cosmedin, diaconi cardinales : ad quos solum jus et potestas eligendi Romanum ac universalis ecclesie summum pontificem pertinuit, quorum duodecim erant ultramontani, et quatuor tantum Italici.

» Et omnes cardinales ultramontani, facientes ultra duas partes collegii, post vacacionem, antequam intrarent conclave et in introitu, et post usque ad tempus inpressionis, de qua infra dicetur, continue fuerunt in voluntate, proposito et deliberacione, eciam ex causis tangentibus ecclesiam Dei, eligendi ultramontanum, et non Italicum. Et domini Italici erant eciam de voluntate eligendi de collegio, et non extra, licet tenderent, ubi bono modo posset fieri, ut unus ex Italicis de collegio eligeretur: et in ista voluntate continue permanserunt. Et postquam intraverunt conclave, Romani, ut moris tamen est, non permiserunt, quod porta conclavis muraretur, ymmo, postquam domini jam lectum intraverunt, cum magna difficultate custodes conclavis dictam portam cum quadam barra lignea claudere permiserunt : et ex post occupaverunt palacium, et specialiter partem illam que de directo erat subtus conclave, solarium dicti conclavis ictibus et percussionibus tota nocte commoventes, ut eciam existentes armati, et plurimum quasi sine intermissione clamantes : *Romano lo volemo o Italiano;* et aliqui asserunt se audivisse aliquos clamantes : « Moriantur. » Et ita continuaverunt tales clamores usque in crastinum, adeo ut vix aliquis de dictis dominis cardinalibus de tota nocte dormire potuit ac quiescere. Post vero circa auroram, fatigati a clamoribus, modico tempore quieverunt; deinde, missas audientibus dictis dominis, clamores consuetos resumpserunt, ymmo validiores

quam prius. sic quod vix missas audire potuerunt; quibus auditis, dicti domini cardinales se disposuerunt ad procedendum in facto electionis. et statim campane Capitolii et Sancti Petri. que erant prope palacium, inceperunt pulsari ad martellum pro congregacione tocius populi ad rumorem. et sic forcius populus more solito cum magno furore incepit clamare : *Romano lo volemo, o almeno Italiano.*

» Tunc domini cardinales fuerunt avisati per illos qui ad extra custodiebant conclave, quorum aliqui erant Romani, aliqui ultramontani, quod, nisi statim absque aliqua morosa deliberacione eligerent Romanum vel Italicum, omnes domini cardinales essent in periculo scindendi per frusta : propter quod domini cardinales ultramontani, ad vitandum mortis periculum, alias non facturi, prout eciam tunc dixerunt. condescenderunt. ut Italicus eligeretur. Et quia eciam ex dominis cardinalibus Italicis aliqui dixerunt, quod veraciter, si eligerentur, non acceptarent electionem. cum viderent eis notorie impressionem fieri, omnes, similiter volentes vitare mortis periculum, cui procul dubio subjacebant, quasi ex abrupto et sine aliqua discussione meritorum et status persone, nominaverunt dictum dominum Bartholomeum, tunc archiepiscopum Barensem, ipsum eis, ut credebant, magis notum et in factis et moribus curie magis expertum, licet sequens experiencia contrarium ostenderit, manifeste elegerunt in papam.

» Et eorum aliqui tunc dixerunt, quod elegerunt ipsum animo et proposito quod esset verus papa, timore tamen mortis in eorum animis continuo perdurante : excepto uno domino cardinali Italico Romano, qui dixit quod propter notoriam impressionem quam videbat, nec sibi nec alteri daret vocem suam, nisi primo cessaret impressio. et esset in sua libertate; et uno ultramontano, qui primo unum de cardinalibus Italicis nominavit, licet postea timore mortis adheserit Barensi predicto; et uno alio domino cardinali ultramontano, qui nominando ipsum protestatus fuit, quod nulla propter impressionem poterat fieri electio, sed ipsum nominavit timore mortis; et salvo quod unus alius ultramontanus, priusquam hoc fieret, protestatus solempniter coram notario publico, quod, si contingeret ipsum consentire in aliquem Italicum, hoc faceret dumtaxat timore mortis. alias non facturum. Et ulterius dixerunt aliqui domini cardinales inter se, quod volebant et intencio eorum erat facere, sicut fuerat alias factum. ut per chronicas apparet. scilicet quod. quamprimum commode possent, sece-

derent ad locum tutum et securum, et tunc ipsi eum reeligerent de novo.

» Demum domini cardinales ad populum tumultuantem et jam dispositum ad rumpendum conclave miserunt, et, quia non audebant illis existentibus in illo furore publicare electionem, per tres primos dominos cardinales fecerunt eis dici et promitti, quod infra diem crastinum ante horam terciarum consolarentur eos, et fecerunt eos rogari, quod discederent, quod facere diu renuerunt, non permittentes intrare cibaria dominorum eis portata pro prandio, cujus hora instabat. Tandem recesserunt de una domo ante conclave existente, sed nullatenus nec palacium exire nec arma deponere voluerunt. Et interim domini miserunt pro multis prelatis, inter quos tunc erat iste Barensis, qui per modum supradictum electus fuit, qui videns populum sic furentem, et clamores predictos audiens ipsius populi furentis, et totam violenciam et impressionem tota die factam, et ab ingressu conclavis scivit vel scire debuit tamquam notoriam, et, ut creditur, aliquid de electione hujusmodi presentiens, ac ei tacite consentiens, juvabat ad expellendum populum de ista domo, et ut cibaria permitterentur intrare. Et tunc populus, continue tamen remanens in palacio armatus, ut prius aliquantulum quievit a clamoribus et violenciis inferendis, donec domini comederunt. Et postea omnes, exceptis tribus ultramontanis, redierunt ad capellam palacii, et eis congregatis unus ex dominis Italicis dixit, quod modo cessabat impressio et quod reeligerent; unus vero ex ultramontanis dixit, quod non cessabat, ymmo quod essent in majori periculo quam ante.

» Et finaliter aliqui de presentibus, tribus absentibus non requisitis, ymmo penitus insciis, dixerunt, licet nondum essent in libertate sua, quod sine periculo primo aut majori potuissent resilire, aut alium, prout ante impressionem deliberaverant, eligere. Ego dico illud idem quod hodie[1]. Sed antequam finirent omnes loqui, cum jam venerant prelati pro quibus missum erat, populus eciam, multis officialibus ipsum communem populum instigantibus, cum maximo furore clamabat : *Per le clavelato de diet*[2], *Romano lo volemo o Italiano*, irruerunt in conclave, et per quatuor partes ipsum fregerunt, et intraverunt officiales et populus armatus, fere quantum con-

[1] Verba haec ex marginali quadam nota forsitan in textum irrepserunt.

[2] Lege : *Per la clavelita di Dio.*

clave recipere poterat; propter quod domini, se mortuos estimantes, in capella secreta se pro majori parte reduxerunt, cujus porta statim cum securibus fuit fracta in pecias, et intravit populus armatus, adhuc clamans, ut supra, omnes dominos hincinde circumdantes. Et, nisi quia unus dominus, volens suum et aliorum periculum vitare, dixit eis quod dominus Sancti Petri esset electus, sed consentire nolebat, et quod inducerent eum ad consentiendum, creditur quod alias omnes, saltem ultramontani, fuissent interfecti. Sed audito quod dominus Sancti Petri esset electus, in ipsum dominum Sancti Petri irruerunt, et precise invitum bis in una cathedra posuerunt, et, dum accederent ad faciendum sibi reverenciam, quilibet ex dominis, prout melius potuit, exivit palacium ad domos proprias, ut plurimum sine cappis et cappellis peditando recesserunt. Deinde, advesperascente jam die, aliqui eciam sub dissimulatis habitibus, se reduxerunt ad castrum Sancti Angeli; aliqui exiverunt Romam dissimulato habitu [1], et aliqui latuerunt in suis domibus.

» Postea in crastinum, populo aliqualiter quietato, iste tunc Barensis, qui remanserat in palacio et in cameris papalibus, et nullo modo, eciam ter requisitus per aliquos de dominis qui in urbe remanserunt, exire voluit, sed per officiales misit et mitti fecit populum adhuc in furioso motu existentem ad dominos, qui erant in castro [2], et qui in eorum domibus remanserant, iteratis et continuatis vicibus ipsos requirendo et requiri faciendo, ut pro majoris periculi evitacione ad ipsum venirent, quod facere merito renuerunt, et quasi fastiditi de suis requisicionibus miserunt ad illos qui remanserant in domibus suis, qui ab eo et officialibus requisiti jam ad palacium venerant, eorum manibus unam cedulam scriptam portantes, per quam sex tunc cum eo in palacio existentibus committebant potestatem ipsum interrogandi [3]. Qui de hoc non contentus, nec ea uti curans, quia non obediebant, fecit eos iterum requiri, ut pro majoris scandali evitacione omnes castrum exirent et ad palacium venirent. Ipsi vero, dubitantes de majori scandalo, maxime quod sex ex dominis cardinalibus et tam ipsorum quam aliorum dominorum familia et bona fere eorum tota erant per urbem dispersa, et quia castrum non erat sufficienter de victualibus munitum, et

[1] Apud Raynaldum legitur : *Aliqui exiverunt Roma vel de nocte vel in dissimulato habitu.*

[2] Adde : *Sancti Angeli.*

[3] Lege : *intronizandi.*

quia eciam non habebant locum ad quem tute, postquam sciebant, quod intraverant castrum, possent recedere, et quia Romani circa castrum de nocte stacatum seu palentum facere temptaverant, exiverunt castrum et venerunt ad palacium, et ipsum more soluto intronizaverunt. Scientes autem illi qui de urbe recesserant, licet cum magna cordis amaritudine, timentes quod, si tunc non venissent, Romani, suspicantes quod vellent impugnare electionem istius, alios dominos et eorum familias trucidassent, ipsorumque bona diripuissent, redierunt tunc ad urbem, et ipsum postea coronaverunt. Et ab illo tempore domini cardinales in reverenciis et aliis tractaverunt eum ut papam, non tamen cum proposito et intencione ex hiis aliquid novi juris sibi tribuere, aut ipsum in primo confirmare; et ipse in consistoriis et extra in promocionibus et aliis usus est ut papa. Tamen omnia ista facta fuerunt in urbe, ut predicitur, ubi domini cardinales, saltem ultramontani, numquam se reputaverunt securos, ymmo verisimiliter credunt, et communiter creditur, quod, si in urbe suam promocionem revocassent in dubium, vel eam oppugnassent, omnes interfecti fuissent, cum causa impressionis continue perduraret, propter que existentes in Roma nec eciam inter se de ista materia nunquam ex proposito saltem conferre ausi fuerunt; ipseque, licet pluries requisitus, usque modo urbem cnm dominis cardinalibus exire noluit, nec cardinales ponere in loco securo. Quinimo, postquam dicti domini cardinales ultramontani, caucius quo potuerunt, paulatim venerunt Anagniam, volentes de premissis deliberare, et pericula imminencia eis ex eorum mora inter Romanos possetenus evitare, ipse quasi solus, sine societate alicujus cardinalis, venit Tiburim, qui locus eciam detinetur per Romanos, ad quem eos sepius evocavit, quasi volens eos prioribus vel equis periculis implicare: qui de hiis juste sibi timentes sue advocacioni racionabiliter obtemperare recusarunt.

» Que omnia et singula pro tanto presentibus sunt scripta, inserta et annotata, ut per ipsorum inspectionem universis nota fiant, ut de ipsis boni et justi non doleant, iniqui vero, hoc est ipsa attemptantes, de commissis peniteant, et ad similia in posterum prosilire non presumant, in quantum voluerunt eorum saluti consulere, famam quoque eorum illibatam illesamque servare. »

« Et ego Guillelmus Prefecti, clericus Ebroacensis dyocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, anno Domini M° CCC° LXXVIII°,

indictione prima et die et mensis augusti [1], apostolica sede vacante, omnia et singula suprascripta, que incipiunt *Cum propter falsam assercionem,* etc., et finiunt *illesamque servare,* ad requisicionem et mandatum reverendissimorum in Christo patrum et dominorum, dominorum cardinalium ecclesie sancte Romane, qui inferius manibus propriis subscripserunt, manu propria scripsi, et ea Anagnie in palacio apostolico, coram ipsis dominis cardinalibus audientibus et intelligentibus, ut dicebant, in presencia notarii et testium infrascriptorum, publice et alta voce de verbo ad verbum legi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi, et propria manu mea subscripsi, et signo meo consueto signavi, cum signo et subscripcione ac appensione sigillorum dominorum cardinalium et camerarii et notariorum, requisitus unacum notariis et ad hoc presentibus per ipsos dominos cardinales, ut premittitur, subscriptos, et in eorum conscienciis firmiter asserentes, premissa sic per me scripta, lecta et publicata, vera et ita facta esse; necnon et per reverendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Petrum, permissione divina archiepiscopum Arelatensem, sancte Romane ecclesie camerarium, tamquam judicem ordinarium, ibidem pro tribunali sedentem, et interponentem in premissis, ut inferius continetur, suam auctoritatem pariter et decretum super hiis fieri unum vel plura publica instrumenta.

» In testimonium eorumdem presentes autem fuerunt, cum notario infrascripto, lectioni, publicacioni dictorumque dominorum cardinalium assercioni, requisicioni decreti et inscriptioni, prefatus reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus Johannes permissione divina tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, et reverendissimus in Christo pater et dominus Johannes, eadem permissione divina episcopus Gebennensis, ac venerabiles et discreti viri Bertrandus Raffini et Segirus de Nithove, camere apostolice clerici, et frater Petrus de Silva, prior prioratus de Bizatroco Claremontensis dyocesis, testes ad ea vocati specialiter et rogati.

» Et ego Johannes Roseti de Martiginaco, clericus Eduensis dyocesis, auctoritate apostolica et imperiali notarius, premissis lectioni, publicacioni et dominorum cardinalium assercioni et apposicioni decreti per dominum camerarium, et aliis omnibus, unacum prenominatis testibus et notariis

[1] Ita in cod. MS., sed legendum : *die nona mensis augusti.*

supra et infra scriptis, presens fui, et hic manu propria mea subscripsi, et signum consuetum apposui in testimonium premissorum vocatus et rogatus.

» Ego Simon Le Jay, clericus Anthisiodorensis dyocesis, apostolica potestate et imperiali publicus notarius, lectioni, publicacioni, assercioni et decreti interposicioni predictis, unacum testibus et notariis publicis supradictis, presens interfui, ideoque, ad requisicionem dictorum dominorum cardinalium, et de mandato prefati domini camerarii, qui, ut predicitur, pro tribunali sedens in premissis auctoritatem suam ordinariam interposuit, et decretis hic propria manu mea subscripsi, et signum meum apposui consuetum.

» Et ego Johannes de Crosso predictus, episcopus Prenestinus, sancte Romane ecclesie cardinalis, premissa omnia et singula, ut suprascripta sunt, in mea consciencia assero esse vera, et in eorum testimonium hec manu mea propria scripsi et sigillo proprio sigillavi.

» Et ego Guillelmus de Agrifolio, tituli Sancti Stephani in Celio monte presbyter cardinalis, premissa omnia, etc.

» Et ego frater Bertrandus Logerii, tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Robertus de Gebben, tituli Basilice apostolorum XII presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Hugo de Montelongo, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Guido de Malosicco, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Petrus de Sorciato, tituli Sancti Laurentii presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Gerardus de Podio, tituli Sancti Clementis presbyter cardinalis, etc.

» Et ego Petrus Flandrini, Sancti Eustachii dyaconus cardinalis, etc.

» Et ego Guillelmus Noveleti, Sancti Angeli dyaconus cardinalis, etc.

» Et ego Petrus de Verucsio, Sancte Marie in Via Lata dyaconus carnalis, etc.

» Et ego Petrus de Luna, Sancte Marie in Cosmedin dyaconus cardinalis, etc.

» Et nos Petrus miseracione divina episcopus Arelatensis, sancte Romane

ecclesie camerarius et judex ordinarius predictus, ad requisicionem et mandatum reverendissimorum patrum et in Christo dominorum ejusdem sancte ecclesie cardinalium, eorum manibus propriis prescriptorum, premissis omnibus et singulis interfuimus, unacum notariis antedictis, in hiis de dicto palacio, in loco ad hoc per nos electo pro tribunali sedentes, auctoritatem nostram ordinariam interposuimus pariter et decretum, ac in testimonium sigillum nostrum proprium duximus apponendum. »

De electione Urbani sexti. Cap. XLVIII.

Urbanus sextus modo quo supra, tempore Karoli quarti imperatoris, anno Domini M° CCC° LXXVIII°, nona die aprilis, scilicet sexta feria ante Palmarum, electus fuit in papam. Undecima die, domino Urbano sexto in sede papali sedente, junior cardinalis benedixit palmas, presentibus omnibus cardinalibus, et iverunt ad processionem ad cancellos, et stacio fuit ad Sanctum Petrum, et dominus cardinalis Florentinus missam celebravit, et ita singulis diebus per illam hebdomadam fecerunt. In die Pasche de nocte dominus Urbanus sextus in presencia omnium cardinalium celebravit, traditis sibi annulo et pallio et omnibus ceremoniis servatis, et de mane ad gradus cardinalis de Ursinis dyadema seu thiaram, qua papa solet coronari, imposuit capiti ejus, in presencia tocius populi, et sic ipso coronato omnes equitaverunt ad ecclesiam Lateranensem, et postea rediit cum simili comitiva ad palacium Sancti Petri.

Hic papa Urbanus principibus mundi hincinde scripsit per literas, qualiter esset unicus papa electus legitime, in quibus literis omnes cardinales se subscripserunt. Universitas autem Parisiensis, audita de ipsius electione, in generali congregacione cantarunt *Te Deum laudamus,* etc. Isti cardinales omnes pro seipsis commendas et dignitates, et pro eorum familiaribus ab ipso Urbano beneficia et signaturas obtinuerunt, ipsumque pro vero papa per tredecim hebdomadas tenuerunt; et medio tempore controversia fuit, an dominus cardinalis Gebennensis fieret episcopus Ostiensis, an cardinalis Minorum[1]: et decisum fuit quod cardinalis Minorum obtinere

[1] Scilicet Bertrandus Logerii de Figioco provinciae Avernensis Gallus, ordinis Minorum.

deberet; ita ipse papa dictum cardinalem in episcopum Ostiensem consecravit. Lapsis vero dictis tribus mensibus et ultra, tredecim cardinales ex predictis exiverunt Romam, et iverunt Anagniam provinciam Campanie maritime. Hii nona die augusti, anno Domini M° CCC° LXXVIII°, scripserunt, quod dictum Urbanum metu et vi elegerunt, et quod ob hoc ejus electio esset nulla [1].

Dominus vero Urbanus sextus rescripsit omnibus principibus decretum electionis, et omnia que fecerant illi cardinales sibi, necnon eorum proprium scriptum et super [2] se submisit ordinacioni concilii generalis; sed dicti tredecim cardinales non voluerunt stare concilio generali, sed petierunt, quod ipse Urbanus vellet cedere papatui pro scandalo vitando : et cum hoc Urbanus non vellet facere, dicti cardinales retraxerunt se de Anagnia ad civitatem Fundorum, et ibi Robertum Gebennensem, cardinalem tituli Basilice duodecim apostolorum, elegerunt in papam, qui nomen Clementis septimi assumpsit. Qua electione facta dicti cardinales scripserunt principibus mundi, quod electio Clementis esset justa et canonica, et Urbani minus canonica, et quod ipsi sunt illi judices qui hoc habent decernere.

Ad quod ipse Urbanus respondit, quod ipsi non sunt judices, quia partes in hac causa, et si ipsi essent judices, tunc ipsi possent deponere papam ad nutum eorum. Tunc ipsi cardinales scripserunt, quod electio Urbani esset nulla, quia ex metu facta, et non alias. Ad quod Urbanus respondit, quod, licet ante electionem suam erant clamores, tamen illi non erant causa impulsiva electionis sue, et ulterius declaravit, quod sua electio esset canonica, quia interfuerunt ejus coronacioni, consecracioni, etc., eciam subscripserunt se in literis missis principibus, ubi confessi fuerunt quod canonice unum papam, scilicet Urbanum sextum, elegerunt, quos actus fecerunt dum erant liberi, dum ab urbe libere recedere potuerunt.

Propter argumenta hincinde erat diversa obediencia : nam Italici et Germani erant Urbaniste, Gallici autem Clementem tenebant; aliqui tenuerunt se neutraliter, et alii dubitabant quis eorum esset papa. Et quia materia stetit, an illi clamores erant causa impulsiva electionis Urbani, idcirco, cum non esset quis cercior de ipso facto, non est mirum quod jura sint super

[1] Vide supra cap. XLVII p. 91.

[2] Lege : *insuper*.

hoc varia. Est enim credendum quod humanitus non potest declarari, an illa impressio causabat [1] electionem, nec ne. Eciam dubium est, an ipsi cardinales sint censendi judices in hac causa, et an ne. Hic vero Urbanus sextus sedit annis undecim et sex mensibus.

De electione Clementis septimi. Cap. XLIX.

Clemens septimus eodem anno M° CCC° LXXVIII°, nona die augusti, tempore Karoli quarti imperatoris, ut suprascriptum est, per tredecim cardinales in eorum libertate existentes in civitate Fundorum electus est in papam. Hic vocabatur Robertus de Gebennis, et fuit per certa tempora episcopus Morinensis et deinde Cameracensis; hic fieri fecit unam pulchram portam in Cameraco, que juxta nomen suum vocatur porta Roberti, et postea fuit effectus cardinalis tituli Sancte Basilice duodecim apostolorum, et vulgariter cardinalis Gebennensis. Hic sedit Avinione sexdecim annis vel circa; hic promovit dominum Petrum de Lucemburgo in dyaconum cardinalem tituli Sancti Gregorii ad Velum Aureum. Hic Petrus cardinalis mire fuit sanctitatis, et choruscavit ante mortem et de post multis miraculis; hic obiit anno Domini M° CCC° LXXXVII°, secunda die julii, in Avinione. Isti Clementi obedivit ecclesia gallicana.

Pro pace et unione facienda in ecclesia dominus Wenceslaus dux Brabancie, frater Karoli quarti imperatoris, multum laboravit inter Karolum regem Francie et dominum imperatorem et principes Germanie; sed nichil profecit. Tandem iste Clemens ordinavit unam missam peculiarem, que pro unione deberet fieri, quam misit sub bulla, pontificatus sui anno XV°; sed nullus inde venit profectus tempore suo.

Item anno Clementis XII° obiit Urbanus sextus. Item anno suo XIIII° dictus Clemens misit Parisius ad regem et ad universitatem dominum Petrum de Luna, Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, exhortando eos ut semper laborent pro pace et concordia: unde Petrus de Luna in presencia regis et universitatis sponte et libere juravit, ad sancta Dei evangelia, atque Deo et omnibus vovit, quod ipse semper pro unione in

[1] Forte: *cassabat.*

ecclesia Dei laboraret, et quod Clemens papatui cedere deberet. Eciam vovit et juravit quod, si contingeret eum in papam eligi, quod ipse pro unione facienda cederet papatui, si et in quantum ille Romanus cedere vellet; ymmo, quando per regem et universitatem esset requisitus, vel si per aliquod generale concilium ad hoc esset requisitus, eciam cederet. Et super hoc tam ipse quam domini de universitate Parisiensi petierunt eis fieri publica instrumenta: similiter et ipse rex petiit sibi fieri instrumenta, que omnia confecta fuerunt, et aliqua sigillo ipsius domini cardinalis sigillata: hec erant reposita in scrinio universitatis. Supradictus vero papa Clemens septimus obiit Avinione, die XVI^{a} septembris, pontificatus sui anno XVI°, anno vero a Nativitate Domini M^{o} CCC^{o} XCIIII^{o}.

Qualiter dux Wenceslaus obsedit oppidum suum Lovaniense, et qualiter certo tractatu primo in ipsum oppidum intravit. Cap. L.

Dux autem Wenceslaus, postquam fuerat veraciter informatus de nefandis et inhumanis sceleribus in personas nonnullarum personarum ex prosapiis et alias irracionalibus causis per communitatem crudeliter perpetratis, predictum oppidum manu armata cum validissimo exercitu obsidione circumcinxit, ubi dum steterat per septem septimanas et quatuor dies, per medium deputatorum civitatis Leodiensis fuit taliter tractatum, quod dux cum suis, unacum bonis viris de prosapiis ab eodem oppido expulsis, die XXVII^{a} januarii, anno M^{o} CCC^{o} LXXXII°, Lovanium intravit: ubi tunc omnes captivi fuerunt liberi a prisione redempti: ubi eciam tunc fuerunt proscripti et perpetuo extra limites Brabancie exbanniti Molenbeke et Repaert, ac decem et novem de principalioribus in supradicto tumultu et aliis nephandissimis offensis commissis causam habentibus: ubi tunc eciam dictus dux fecit ante domum consulum decollari dominum Johannem de Swartere militem, qui infra Lovanium semper permanserat et predictam communitatem in eorum malis et perversis operibus semper confortabat. Et insuper pro regimine dicti oppidi fuit concordatum et ordinatum, quod ex tunc deinceps perpetuo duraturum quatuor viri de prosapiis et tres de communitate quolibet anno per ducem in scabinos poni deberent: et similiter deberet quolibet anno poni unus

magister communitatis ex prosapiis et alter de communitate; deberent eciam jurati quolibet anno poni, mediatim ex prosapiis et mediatim ex communitate.

Qualiter dux Wenceslaus se transtulit versus terram suam Lucemburgensem, ubi decessit. Cap. LI.

Anno Domini M° CCC° LXXXIII°, postquam dux Weneeslaus contro- 1383.
versias, violencias et oppressiones sedasset, et ipsum oppidum Lovaniense in pace et tranquillitate ac bono regimine posuisset, et in Bruxella penes ducissam Johannam suam conthoralem residisset a die XXVIII^a^ mensis januarii anni Domini M^i^ CCC^i^ LXXXII^i^ usque ad festum Omnium Sanctorum anni M^i^ CCC^i^ LXXXIII^i^, ipse se transtulit ex Bruxella et Brabancia versus terram suam Lucemburgensem, ubi ipsum quedam infirmitas, a qua non convaluit, arripuit : qui in castro suo Lucemburgensi ab hac luce migravit, ipso die Conceptionis beate Marie, VIII^a^ die mensis decembris anni M^i^ CCC^i^ LXXXIII^i^ predicti. Quique, ante suam ab hoc seculo migracionem, tamquam princeps catholicus confessus, contritus et sacramentis communitus, suum condidit testamentum sive ultimam voluntatem; qui in hujusmodi suo testamento, seu ultime sue voluntatis disposicione, in monasterio Beate Marie Auree Vallis, ordinis Cysterciensis, Treverensis diocesis, ob ferventem quam erga idem monasterium gerebat devocionem, suam in ecclesia monasterii hujusmodi elegit sepulturam, ac divinorum officiorum, oracionum ceterorumque, que per abbatem et conventum, qui tunc fuerunt et erunt pro tempore, fierent, voluit idem dux et requisivit esse particeps : et ut eo libencius iidem religiosi precibus et oracionibus pro anime sue redempcione apud Deum perpetuis temporibus insisterent, quo se per caritatis dona sentirent relevari, predictus dux, sanus mente, et non per errorem aut improvide, sed de ejus certa sciencia et voluntate spontanea, legavit eidem abbati et conventui in augmentacione reddituum monasterii ejusdem ducentos florenos auri et legitimi ponderis, perpetuis temporibus, anno quolibet in et supra redditibus prepositure Yvodiensis, modo et forma quibus fieri et ordinari posset melioribus, percipiendos et habendos ac assignandos.

Qui quidem dux Wenceslaus fuit post ipsius migracionem de Lucemburgo ad predictum monasterium translatus, et, peractis exequiis solempnibus, ut decuit, ibidem debito cum honore ecclesie sepulture traditus. Deinde vero serenissimus princeps et dominus, dominus Wenceslaus Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex ac Lucemburgis dux, cum sibi plene ex fide dignorum testimonio constabat, quod clare memorie Wenceslaus de Bohemia, Lucemburgis et Brabancie dux, patruus suus et immediatus ejusdem ducatus sui antecessor, in suo testamento, seu ultime voluntatis sue disposicione, ob causas et raciones in dicto suo testamento atque supra immediate expressatas, legaverit abbati et conventui monasterii Auree Vallis supradictis ducentos florenos auri, perpetuis temporibus, anno quolibet in et super redditibus prepositure Yvodiensis percipiendos, quapropter ipse rex et dux, attendens quod nichil est quod magis debeatur hominibus quam quod ultime voluntatis liber sit stilus, cum amplius nil velle possent; habito eciam respectu ad sinceram devocionem, quam idem patruus suus ad dictos monasterium et religiosos gessisse comprobatur, ac volens, sicut tenebatur, ultimam ejus voluntatem execucioni debite demandari, eandem cum omnibus et singulis clausulis, punctis et articulis ratificavit, approbavit et ex certa sciencia confirmavit, pro se, heredibus et successoribus suis Lucemburgis ducibus, mandando et expresse injungendo reddituario sive receptori Lucemburgensi presenti et futuro, quatenus absque alterius expectacione mandati supradictis abbati et conventui et successoribus eorum, quolibet anno, perpetuis temporibus, ex pronioribus redditibus predicte prepositure Yvodiensis tradant et persolvant, seu tradi et persolvi faciant, prout in ipsius Romanorum et Bohemie regis et Lucemburgis ducis literis desuper confectis plenius continetur.

Quanto vero merore ducissa Johanna, cum transitus sive obitus precarissimi sui conthoralis ducis Wenceslai ad ejus devenit noticiam, ipsius mortem lamentabatur et lugebat, vix lingua fari et calamus scribere posset: ipsa vero, peractis exequiis solempnibus ut decuit, mansit continuo in camera sua, a qua non exivit plus quam per dimidium annum. Et sic incole et subditi, tam nobiles quam humiles, ducatus Lucemburgensis magnum dolorem, planctum et merorem propter mortem domini ipsorum gesserunt; subditi vero et incole Brabancie non habuerunt minorem.

Qualiter Wilhelmus de Juliaco dux Gelrie post obitum ducis Wenceslai, et ob quam causam movit guerram domine Johanne ducisse et patrie sue Brabancie. Cap. LII.

Item est sciendum quod, post obitum memorati quondam Wenceslai 1383. Lucemburgis, Lotharingie et Brabancie ducis sacrique imperii marchionis, qui rexit annis XXVIII vel circa, et decessit in patria sua Lucemburgensi anno Domini M° CCC° LXXXIII°, mensis decembris die octava, et sepultus fuit in ecclesia monasterii Beate Marie Auree Vallis, Treverensis diocesis, ut supra scriptum est, Wilhelmus de Juliaco dux Gelrie significavit domine Johanne ducisse Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie, etc., vidue et relicte quondam ducis Wenceslai predicti, qualiter per obitum quondam Eduwardi ducis Gelrie, avunculi sui, castrum, terra et oppida de Mille, Gangelt et Vucht, cum suis pertinenciis, ac omne jus quod eidem quondam avunculo suo, dum vivebat, ad ipsum quomodolibet spectare poterant, ex legitima successione sibi erant devoluta. Quapropter petiit eadem castrum, terram et oppida cum suis pertinenciis sibi tradi et absque mora deliberari a ducissa Johanna supradicta, cum tali comminacione, si hoc facere recusaret, quod ipsam et ejus patriam Brabancie diffidaret, et predicta castrum, terram et oppida hostili ac pignoraticio sive represaliorum more acquirere intenderet et recuperare. Quibus intellectis dicta ducissa Johanna fecit procurari, quod per diversas dietas amicabiles desuper tentas istud negocium fuit quasi integro anno in debito statu absque publica guerra observatum. Nichilominus diverse robarie et depredaciones Gelrensium fuerunt subditis et incolis patrie Brabancie circa partes et limites villicacionis de Buscoducis indebite et de facto irrogate.

Et ut quilibet scire possit, an dicti ducis Gelrie peticio justa fuerit vel injusta, est sciendum, quod predicta castrum, terra et oppida hereditarie spectare solebant ad dominum de Heynsberch, patrem domini de Heynsberch in Bruxella captivati, qui illa impignoravit et via pignoris tradidit quondam Eduwardo duci Gelrie pro summa XXIIII millium scutorum antiquorum, salva sibi redempcione sive luicione pro eisdem. Qui quidem dux Eduwardus eadem castrum, terram et oppida necnon terram de Crieckenbeke impignoravit et via pignoris tradidit domino Johanni de Moerse et

domino de Bare, fratri comitis de Moerse, pro summa XXX millium scutorum veterum. Contigitque quod dominus Johannes de Honselaer, alias dictus Vanden Velde, miles, pro tunc hostis et publicus inimicus domini Johannis de Moerse antedicti, contra ipsum ex justa guerra, ut pretendebat, cepit et acquisivit oppidum de Vucht. Quod quidem oppidum dictus dominus Vanden Velde, et omne jus quod racione capcionis oppidi hujusmodi sibi competere poterat in eodem, quia verebatur quod ipsum contra potenciam illorum de Moerse retinere non posset, vendidit pro certa pecunie summa dicto Wenceslao et ducisse Johanne supradicte, heredibus et successoribus suis. Deinde vero dicto comite de Moerse, et deinde domino Johanne de Moerse fratre suo defunctis, juvenis comes de Moerse, nepos domini Johannis predicti, pater domini Frederici comitis de Moerse et de Saerwoerden moderni, cui tamquam heredi legitimo domini Johannis de Moerse, patrui sui prelibati, predicta castrum, terra et oppidum de Millen, Gangelt et Vucht per mortem ejusdem patrui sui erant devoluta, eadem castrum, terram et oppidum, necnon omne jus quod sibi in eisdem atque oppido de Vucht via pignoris sive alio quovis modo pertinere potuit, prelibato duci Wenceslao et ducisse Johanne, heredibus et successoribus suis, pro certa pecuniarum summa necnon certo hereditario redditu, super redditibus suis in Trajecto super Mosam quolibet anno ab ipsis in feudum tenendo, vendidit et transportavit. Que quidem castrum, terram et oppida prelibatus dux Wenceslaus possedit, et eisdem gavisus fuit unacum dicta ducissa Johanna pacifice et quiete, quamdiu vixit.

Tandem, non obstantibus supradictis et aliis racionibus in dietis super premissis tentis et observatis allegatis, Wilhelmus dux Gelrie memoratam ducissam Johannam viduam et omnes suas patrias et subditos per suas literas patentes diffidavit, que quidem litere diffidatorie fuerunt eidem ducisse Johanne presentate Bruxelle, in sua curia apud Frigidum Montem existenti ibidem in camera sua, in qua post obitum prefati quondam ducis Wenceslai quasi per annum unum continuo permanserat, et eandem nondum exiverat: sed hujusmodi literis receptis et intellectis, dixit voce lugubri et merore plena : « Modo est tempus, quod exeam ad repellendas injurias per ducem Gelrie michi illatas et inferendas, » vel verba similia in effectu. Et eo tunc mandavit tres status Brabancie describi ad dietam in Bruxella, ad certam brevem diem ad habendum consilium super pre-

missis secum tenendam. In qua quidem dieta comparuerunt coram ipsa prelati, barones, nobiles, milites, vasalli, feudales et deputati oppidorum et francisiarum patrie Brabancie, ubi fuit concordatum et ordinatum, quod pro tuicione et defensione patrie Brabancie circa limites villicacionis de Buscoducis dominus Johannes dominus de Withem, pro tunc Brabancie senescallus, cum copia hominum armatorum atque vasallorum, feudalium et ministerialium deberet proficisci, quemadmodum profectus fuit, versus Buscumducis: ubi et in locis circumvicinis stetit per annum, viriliter defendendo dampnaque gravia ipsis circum limites ipsorum inferendo, infra quem terminum dominus Arnoldus de Hoemen, dominus de Amersoeyen et de Middelaer, miles, qui solebat esse precipuus consiliarius penes ducem Gelrie antedictum, qui ob certas injurias, ut asseruit, ab eodem duce sibi illatas feuda et homagia, que ab ipso duce in feudum tenebat, renunciavit sive resignavit, ipsumque diffidavit, tamquam factus adjutor supradicte domine ducisse Johanne et ejus patrie Brabancie, suamque renunciacionem sive resignacionem sibi significavit; que quidem castra Amersoyen et Middelaer atque feuda sua, sicut premittitur, relicta ipse dominus Arnoldus de Hoemen, pretextu guerre seu inimicicie contra ipsum ducem, invasit, occupavit et detinuit occupata, sibi et patrie sue Gelrensi ex ipsis, in favorem predicte ducisse, a qua illa acceperat in feudum et homagium, gravia dampna inferendo incendiis, spoliis et rapinis.

Supradicto vero domino de Withem, senescallo Brabancie, sicut premittitur, circum Buscumducis militante, ut securius limites Brabancie tueri et defendere et adversarios invadere et dampnificare posset, se transtulit versus oppidum de Gravia, petens et requirens a Wenemaro domino de Cuyck et de Gravia, in virtute juramenti fidelitatis et homagii dicte ducisse Johanne alias prestiti, quatenus ipsum cum suis, pro defensione patrie Brabancie et ad resistendum violenciis et injuriis per ducem Gelrie sibi irrogatis, in ipsum oppidum, cujus directum dominium ad eandem ducissam dinosceretur pertinere, sine excusatione quacumque intromittere curaret, adjiciens quod ipse Wenemarus nullam ignorancie causam pretendere et allegare posset, sed utique bene sciret et sibi constaret et esset notum, qualiter Otto dominus de Kuyck, predecessor suus, tempore retroacto oppidum suum de Gravia, cum juribus, fundo et attinenciis ad ipsum oppidum quocumque modo spectantibus, quod suum

verum erat allodium, in manibus illustris principis, quondam Johannis ducis Brabancie, genitoris ducisse Johanne prelibate, supportavit et dedit ad opus ipsius et heredum suorum, nichil juris in dictis oppido, fundo et attinenciis vel eciam allodio pro se, heredibus et successoribus suis retinendo.

Et omnibus premissis sic factis, idem dominus dux dictum oppidum, cum omnibus juribus, fundo, attinenciis et libertatibus, tanquam suum verum et liberum dominium propriumque allodium, dicto domino Ottoni in rectum feudum, jure Brabantino ab ipso et suis post ipsum heredibus et successoribus hereditarie tenendum, habendum atque possidendum, concessit atque donavit : qui de ipsis dicto duci fecit homagium, et de manibus suis recepit in feudum, cum suo juramento sibi facto ad hoc debito et consueto. Pro quibus quidem oppido, fundo, juribus et attinenciis dictus dux supradicto domino Ottoni dedit et in numerata pecunia persolvit summam quinque millium librarum nigrorum Turonensium, grosso Turonensi pro sexdecim denariis computato : prout hec omnia, tam de empcione et vendicione predicti oppidi, quam de quitancia quinque millium librarum predictarum, patent per literas publicas desuper confectas, quarum tenores habentur in dicti ducis Johannis gestis suprascriptis.

Ipse eciam dominus senescallus dixit predicto Wenemaro, qualiter sibi eciam esset bene notum, quod post predicti domini Ottonis decessum frater ipsius et ejusdem Wenemari avus, scilicet dominus Johannes dominus de Hoochstraten, dictum oppidum a duce Brabancie relevavit, quo defuncto filius ejus senior Johannes, cujus Wenemarus frater, et post ipsum filius suus, ipsius Wenemari nepos, dictum oppidum a duce Brabancie in feudum relevarunt jure Brabantino; et ipse Wenemarus ipsum oppidum post ejusdem nepotis sui obitum consimiliter relevavit in feudum jure Brabantino : quare iterato ipsum monuit et requisivit, ut ipsum cum suis in dictum oppidum intromitteret per modum superius expressatum. Dictus autem senescallus, sperans quod nullam desuper pateretur repulsam, premiserat suos cocos et famulos, qui cibaria pararent et hospicia acciperent, prout moris est.

Wenemarus autem, qui ad satisfaciendum ipsius senescalli peticioni satis videbatur inclinatus, tamen propter nonnullos sibi assistentes fuit sibi consultum, ut caperet deliberacionem ad se desuper consulendum. Interim vero, dum dictus senescallus cum ipso Wenemaro colloquium habuit,

et idem Wenemarus cum suis amicis et vasallis, quos ibi mandaverat, se consuluit. Johannes ipsius Wenemari filius, qui dicti Wilhelmi ducis Gelrie filiam desponsaverat naturalem, introduxit nonnullos vasallos, subditos et fautores ducis Gelrie predicti, quod eidem Wenemaro multum displicuit, et emendare non potuit; tandem prehabito consilio dedit dicto senescallo responsum tale, videlicet quod ipsum libenter intromitteret cum XXV lanceatis, cum tali condicione quod patriam Brabancie exinde tueri et defendere, sed exinde dicto duci aut terre sue Gelrie nullum dampnum inferre deberent; ipse eciam non pateretur quod extra Graviam patrie Brabancie aliquod dampnum inferretur.

Ad quod senescallus respondit, quod oppidum de Gravia debet esse apertum domine ducisse atque suis absque alicujus numeri limitacione, quodque ex eodem oppido inimicos Brabancie invadere et ipsis guerram inferre possent jure Brabantino, viis et modis omnibus ad hoc requisitis et opportunis. Ad quod ipse Wenemarus de consilio Gelrensium fecit replicare, quod filius suus desponsaverat filiam naturalem dicti ducis Wilhelmi, quodque sub ipso teneret certas villas, scilicet Malsen, Meteren et alias terras: si modo sineret quod ex Gravia sibi dampna inferrentur, utique omnia bona sua sub ipso existencia sibi applicaret; nichilominus ipsum in dictum oppidum libenter intromitteret cum XXV lanceatis, ut prius sibi fuit oblatum, quod ipse senescallus acceptare recusavit: et quia aliqui de fautoribus ducis Gelrie verebantur, quod Wenemarus deberet predictum senescallum cum suis intromittere, consuluerunt sibi, quod nequaquam ipsum senescallum intromitteret, et, si contrarium faceret, gravem indignacionem et offensam dicti ducis incurreret. Aliqui alii de vassallis et fidelibus Wenemari sibi dixerunt, quod de jure domine ducisse, a qua Graviam in feudum tenebat, a suo senescallo ipsius nomine non poterat aut deberet ipsius oppidi aperturam denegare.

Quibus ab utraque parte auditis, ipse Wenemarus juravit per sanctam crucem de Assche, quod bonus et fidelis Brabantinus moreretur, volens predictum senescallum intromittere. Quod audiens Johannes filius suus, consilio et auxilio Gelrensium, ipsum patrem cepit, qui vinctus atque ligatus super bigam fuit ductus ad Novimagium, ubi tota guerra durante permansit captivatus. Et ex illa hora dux Gelrie cum Johanne de Kuyck, filio Wenemari, predictum oppidum de Gravia detinuit et occupavit ac

fortificari ac muniri fecit, ex ipso prelibate domine ducisse et ejus patrie Brabancie magna dampna inferendo cedibus, captivitatibus, incendiis et rapinis.

Deinde vero supradictus dominus Arnoldus de Hoemen et dominus Paulus de Maestrecht, pro tunc sculletus de Buscoducis, cum potencia hominum armatorum duxerunt provenancias et victualia et alia necessaria versus castrum de Middelaer situm in terra Gelrie, ex quo dominus Arnoldus duci Gelrie guerrebat. Dux vero Gelrie, qui pro tunc erat in Novimagio, ubi pro certa expedicione contra terram Brabancie facienda magnam gentium armatorum copiam congregaverat, per certos exploratores hoc percipiens, ilico cum dictis suis gentibus properavit versus Graviam, et dux Juliacensis, pater suus, secum, et prope Graviam navigio flumine Mose transvadato, dum dux Gelrie galeam super caput ponere debebat, videbatur patri suo Juliacensi, quod filius suus aliqualiter tremebat; mox ipsum accedens dedit sibi magnam alapam, dicens : « Esto » virilis hodie in campis, » vel verba consimilia in effectu. Et continuo cursu veloci equitaverunt versus unum passum inter Mille et Zeelant, ubi dicti dominus Arnoldus de Hoemen et sculletus de Buscoducis necessario transire debebant, quos ipsi duces Juliacensis et Gelrie debellarunt, et victoriam reportarunt. In quo conflictu ante barrieram, dictam teutonice *drayboem de Zeelandt,* dicti dominus Arnoldus de Hoemen et Paulus de Maestrecht cum pluribus viris notabilibus ex villicacione de Buscoducis capiuntur, et versus Novimagium ducuntur captivi : sed dicti duces cum suis eundo et redeundo de consilio ducis Juliacensis Graviam non intrarunt. Iste conflictus accidit in die Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno
1386. Domini M° CCC° LXXXVI°.

Die vero sequenti dux Gelrie duxit dominum Arnoldum de Hoemen ante castrum de Middelaer, petens ab eo ut per suum castellanum juberet et faceret sibi ipsum tradi et deliberari, alioquin faceret ipsum ibidem decollari. Dominus Arnoldus respondit duci, quod cum ipso, qui erat suus captivus, facere posset quod sibi placeret, sed ipsum castrum nunquam faceret sibi tradi, absque speciali mandato ducisse Brabancie, cui illud supportaverat, et deinde ab eadem domina ducissa in feudum relevaverat. Et post multa verba comminatoria dux precepit spiculatori ibidem presenti ut ipsum decollaret; dominus vero Arnoldus genibus flexis et oculis

velatis respondit semper eundem sermonem : quod dux videns, fecit ipsum ad Novimagium reduci et strictissimis carceribus mancipari, cujus custodiam commisit Gerardo de Oy, nobili scutifero, qui ipsum cepit et captivavit, et ipsum a longo tempore singulari odio odivit usque ad mortem. Demum vero dux Gelrie posuit obsidionem ante castrum Middelaer, quod deficientibus intraneis victualibus cepit et expugnavit.

De prima obsidione ante Graviam. Cap. LIII.

Anno Domini M° CCC° LXXXVI° predicto domina Johanna ducissa 1386. prelibata, maturis deliberacione et consilio prius prehabitis, ad recuperandum et subjugandum oppidum de Gravia cum suis attinenciis, quod ob causas et raciones suprascriptas sibi erat confiscatum et commissum jure Brabantino, fecit indici expedicionem generalem per totam suam patriam Brabancie, cum suis baronibus, militibus, vasallis, ministerialibus, bonis oppidis atque villis ejusdem sue patrie versus Graviam profectura. Ob quam causam primo Bruxellenses, qui sunt de remocioribus, exiverunt in profesto Sancti Michaëlis anni prescripti; domina autem ducissa, suum populum nolens deserere, cupiebat cum eodem suo populo usque ad Graviam proficisci, sed, de consilio omnium ipsa in Buscoducis permanente, exercitus cum apparatu bellico progressus est ante Graviam, ubi tentoriis et papilionibus fixis et levatis Graviam obsiderunt, ubi per aliquot dies paucum fecerunt : quare communitas contra nobiles, et signanter contra dominum Johannem de Withem senescallum et dominum Johannem dominum de Bouchout, cepit murmurare. Tandem flante valido occidentali vento, quidam dictus Daniel Spoermaker de Bruxella cepit alta voce clamare : « Si domini nobiles modo vellent oppidum oppugnare cum assultu » et ignis immissione, utique intranei confusi propter incendium, ipsum » in manibus nostris traderent. » Quo audito omnium oppidorum communitates voluerunt assultare; quare dominus de Bouchout, qui cum Bruxellensibus tamquam eorum castellanus erat locatus, verecundia motus, cum eisdem Bruxellensibus primus ivit ad assultum, quem fecerunt ante portam dictam *de Hampoorte*, qui viriliter aggressi expugnaverunt municionem sive propugnaculum, dictum theutonice *bolwerck*, quod intranei fecerant

ante dictam portam, ubi cum lanceis et gladiis ac manu ad manum cum dictis intraneis taliter pugnaverunt, quod intranei fugientes oppidum vix intrare potuerunt per quemdam parvum pontem, magno ponti qui levatus fuerat contiguum : quem dum intranei levare vellent, quidam Johannes Storm de Bruxella totis viribus suis manibus apprehendit, et cum pectore et armis pectoralibus, dictis *borstplaet,* dicto ponti et circulo cum cathena, cum qua pons attrahebatur, tam firmiter adhesit, quod duo fortissimi viri, quorum unus Reynken Vander Heiden et alter Schoenaert vocabatur, ipsum cum magna pena vix de ponte repellere potuerunt. Deinde ad cremandum pontes apposuerunt ignem, quem intranei aqua superfusa extinxerunt indesinenter. In quo quidem assultu dictus dominus de Bouchout et dominus Theodericus Vanden Heetvelde et multi alii nobiles se tam viriliter habuerunt, quod communitas de ipsis bene fuit contenta. Tandem nobilis adolescens Johannes dominus de Heverle inter bracheletum et pectorale telo confossus interiit, de cujus morte omnes nobiles, quorum consanguineus erat propinquus, tantum doluerunt, quod amisso assultu ad tentoria se retraxerunt. Inter extraneos, ultra alios viros bellicosos, qui se viriliter habuerunt, ut fertur, in Gravia fuerunt dominus Theodoricus de Appelteren et dominus Johannes de Hoenselaer, alias dictus Vanden Velde, milites, qui alios ad se defendendum animaverunt. Et est sciendum, quod in hujusmodi insultu sive oppugnacione alia oppida assidue cum bombardis, dictis *donrebussen*, et arbalistis traxerunt contra et infra oppidum, et dicitur quod sagitte tam dense in oppido durante assultu volaverunt sicut nix. Et de post dixerunt valenciores dicti oppidi, qui tunc fuerunt in Gravia, si assultus diucius durasset, vel si post recessum oppidi Bruxellensis alia oppida assultassent, quod intranei, quorum multi erant quasi letaliter vulnerati, et alii in tantum lassati, quod labores amplius sustinere non valerent, salvis eorum corporibus atque bonis, oppidum reddidissent.

Qualiter ducissa Johanna et dux Gelrie de guerra hujusmodi se submiserunt in dictum et ordinacionem ducis Alberti de Bavaria, gubernatoris Hollandie et Zelandie, etc. Cap. LIV.

Supradicta vero obsidione durante, Wilhelmus dux Gelrie, qui dicti ducis Alberti filiam habuit in uxorem, eundem ducem Albertum, qui tunc fuit in Hoesden, accessit, sibi statum guerre et specialiter oppidi de Gravia exponendo ; verebatur enim quod Gravienses, qui tantum insultum sustinuerunt, quod amplius sufferre non possent, si iterum oppugnarentur cum assultu, quin se redderent, ipse eciam non esset adeo potens, quod Brabantinos debellare posset vel auderet : quare ipsum ducem Albertum deprecabatur, ut se vellet interponere ad tractandum pacem vel treugas, et super omnia quod obsidio solveretur, et Brabantini ad propria remearent. Ob quam causam prelibatus dux Albertus de Bavaria accessit prefatam dominam Johannam ducissam Brabancie, tunc in oppido suo Buscoducis existentem, et breviter loquendo tantum fecit, quod de guerra inter eandem ducissam et Wilhelmum ducem Gelrie existente, et super omnibus et singulis eandem guerram quomodolibet tangentibus, ducissa et dux prelibati de alto et basso compromiserunt, promittentes eorum juramento et fide mediis tenere, servare et complere quidquid super hiis idem dux Albertus duxerit ordinandum et dicendum, prout in literis submissionis desuper confectis, que fuerunt date ipso die Undecim millium Virginum, anno M° CCC° LXXXVI°, plenius continetur. Qua submissione, sicut premittitur, facta, dictus Albertus dux promisit parti utrique, quod, si altera ipsarum suam ordinacionem infringeret et servare contempneret, quod parti ipsam servanti assisteret contra partem alteram ipsam servare renitentem.

Pronunciacio sive ordinacio ducis Alberti super guerra predicta. Cap. LV.

Anno Domini M° CCC° LXXXVI° supradicto vero, die martis proxima post festum Undecim millium Virginum, memoratus dux Albertus, aucto-

ritate et potestate in predictis submissionum literis per dominam Johannam ducissam Lucemburgis, Brabancie, etc., et Wilhelmum ducem Gelrie et comitem Zutphanie sibi attributis, super omnibus et singulis guerram inter ipsos pendentem tangentibus, per suas literas patentes in oppido suo de Hoesden, anno et die prescriptis, dictum seu ordinacionem suam protulit sive pronunciavit in hunc modum :

Quod inter ducissam Johannam et Wilhelmum ducem Gelrie sit concordia et pax firma; et quod boni de cetero sint amici, et quod sibi invicem remittant omne odium et rancorem; et quod in pace hujusmodi includantur omnes subditi et confederati et adjutores hincinde, et nominatim, ex parte ducisse, dominus Arnoldus de Hoemen, dominus de Middelaer, et dominus de Amersoyen et Reynaldus filius suus, cum adjutoribus ipsorum, et, ex parte ducis Gelrie, Wenemarus dominus de Kuyck et Johannes filius suus, ac subditi, confederati et adjutores eorumdem, de omnibus et singulis in hujusmodi guerra factis et perpetratis, postquam dux Gelrie ducissam Johannam et ejus patriam Brabancie primitus diffidavit, sub modo et forma inferius declaratis :

Primo, quod dicta ducissa Brabancie stabit et manebit in omni jure, in quo stetit et quod habuit in et ad oppidum de Gravia, ante illam guerram inter predictos ducissam et ducem et patrias ipsorum motam et inchoatam. Item, quod omnes illi qui sua feuda vel terras dimiserunt aut quitaverunt seu resignaverunt, ut ipsam ducissam Brabancie vel ducem Gelrie juvarent, et signanter Wenemarus dominus de Kuyck et Johannes filius suus, ac dominus Arnoldus de Hoemen et Reynaldus filius suus, ipsa feuda omnino rehabebunt et recuperabunt, et ad eorum quemlibet sua hereditas atque bona revertentur, et rehabebunt literas quas super dimissione et relevacione tradiderunt, ut a modo feuda atque bona teneant quemadmodum hactenus tenere consueverunt. Item pronunciavit ulterius et compensavit predam contra predam, incendium contra incendium, mortuos contra mortuos, quodque omnes capti ab eorum captivitatibus erunt liberati, et omnis pecunia pro rancione promissa et non soluta erit quitata.

Super quibus omnibus et singulis in hujusmodi ordinacione contentis, si in eis dubietas vel obscuritas emerserit, ipse dux Albertus potestatem declarandi sibi reservavit : et, si predicti ducissa atque dux habeant peti-

ciones vel querelas, unus adversus alterum, super actionibus ante hujusmodi guerram ipsis competentibus, de hiis ipse et suam ordinacionem et declaracionem sibi reservavit, sine malo ingenio, ac fraude et dolo cessantibus quibuscumque.

Qualiter ducissa Brabancie et dux Gelrie ratificarunt per eorum literas pronunciacionem ducis Alberti predicti. Cap. LVI.

Postquam dux Albertus guerram inter ducissam Johannam et ejus patriam Brabanciam et Wilhelmum ducem Gelrie, ipsorumque subditos et adjutores, per suum dictum sive ordinacionem pacificaverat, ut premittitur, eadem domina Johanna Lucemburgis, Brabancie et Lymburgis ducissa, ex una, et Wilhelmus dux Gelrie et comes Zutphanie, parte ex altera, visis, receptis et diligenter examinatis omnibus et singulis in supradicti ducis Alberti dicti sive ordinacionis literis super pace tenenda comprehensis, per eorum patentes literas, datas die tercia post literam ducis Alberti predicti, in quibus litere ejusdem ducis Alberti sunt incorporate, omnia et singula et cuncta in eisdem ratificantes et approbantes, ea, sicut superius sunt expressa, tenere, servare et complere, ac in nullo contravenire promiserunt, pro se ipsis, subditis, confederatis et adjutoribus eorumdem, prout in predictorum ducisse Brabancie et ducis Gelrie desuper confectis literis latius continetur.

Quibus omnibus sic peractis, dux Albertus de Hoesden versus Hollandiam, et ducissa Brabancie de Buscoducis versus Brabanciam se retraxerunt, et deinde, exercitu ante Graviam existente dissoluto, quilibet ad lares proprias remeavit. Bruxellenses vero intraverunt Bruxellam in vigilia Simonis et Jude apostolorum, anno M° CCC° LXXXVI° predicto, sperantes predictam pacem parte ex utraque firmiter teneri et servari debere : quod fefellit ex parte ducis Gelrie, qui ipsam specialiter in tribus punctis violavit, ut infra patebit.

Et primo, comprehenditur in dicti ducis Alberti dicto sive ordinacione, quod memorata ducissa Johanna staret et maneret in omni jure in quo stetit et quod habuit in et ad oppidum de Gravia ante predictam guerram inchoatam : in quo dux Gelrie predicte Johanne prestitit impedimentum,

in eo quod amicos suos et fautores permanere fecit in dicto oppido, quod eciam de manu sua fecit custodiri, fortificari, vallo et fossato ac victualibus et aliis necessariis provideri; quapropter dicta ducissa Johanna nullam obedienciam in eodem oppido habere potuit, sicut hactenus ante dictam guerram habere consuevit.

Secundo, licet in pronunciacione ducis Alberti predicti inter alia caveтur, quod omnes illi qui sua feuda vel terras quitaverunt aut dimiserunt seu resignaverunt, ut ipsam ducissam Brabancie juvarent, et nominatim dominus Arnoldus de Hoemen et Reynaldus filius suus, sua feuda omnino rehaberent et recuperarent, et ad eorum quemlibet sua hereditas atque bona reverterentur, et rehaberent literas quas super dimissione reddiderunt, ut illa feuda atque bona amodo tenerent sicut hactenus tenere consueverunt, tamen dux Gelrie hoc servare et adimplere non curavit: in hoc pacem et ordinacionem ducis Alberti contra suas literas et promissiones temere violando, et de facto castra de Amersoyen et Middelaer obsidendo, expugnando et occupando, que secundum predicti ducis Alberti dictum et ordinacionem dominus Arnoldus de Hoemen rehabuisse debuisset.

Tercio, licet in prelibati ducis Alberti dicto sive ordinacione sit pronunciatum atque declaratum, quod omnes in predicta guerra, a tempore quo ipsa incepit, captivati ab eorum captivitatibus liberi sive liberati et quieti esse deberent, tamen ipse dux Gelrie hoc servare non curavit, sed ipsos captivos detinuit, captivos quoque graviter rancionavit et exactionavit.

Que omnia dum ad predicte ducisse Johanne noticiam pervenerunt, ipsa statim misit ad supradictum ducem Albertum, sibi premissa significando, ipsumque instantissime requirendo, quatenus sui dicti sueque ordinacionis continenciam, in qua multum injuriabatur sibi, faceret observari et injuriam illatam emendari atque reparari. Et quia ipsa ducissa Johanna, pluribus aliis reiteratis vicibus ob eandem causam ad sepedictum ducem Albertum suos speciales nuncios destinaverat, tamen ab ipso justicie et racionis complementum assequi non poterat, quapropter, necessitate notoria sibi ad hoc urgente, omnia et singula premissa querulose significari fecit serenissimo et christianissimo principi domino Francorum regi, et illustrissimo principi domino Philippo duci Burgundie, qui factum dicte ducisse Johanne tamquam factum eorum proprium cordi suscipientes, attente scripserunt duci Alberto predicto, quatenus indilate eidem ducisse Johanne

faceret sue pronunciacionis continenciam perfici et observari, et injuriam per ducem Gelrie sibi irrogatam emendari.

Dux vero Albertus, predictorum regis atque ducis literis intellectis, tantum procuravit apud eosdem, quod una dieta fuit ordinata super premissis in civitate Cameracensi tenenda, in qua rex de suo destinaret consilio, et dux Burgundie et dux Albertus ibidem propriis venirent in personis, prout fecerunt. In qua dieta breviter loquendo nichil fuit conclusum; sed dux Albertus procuravit ibidem, quod alia dieta fuit ordinata tenenda in Antwerpia, in qua rex mitteret de consilio suo, cui dux Burgundie personaliter adesset, casu quo dux Gelrie ibi veniret, alioquin consiliarii eorumdem Burgundie et Gelrie ducum et consiliarii ducisse Johanne et dux Albertus propria in persona venirent. Que quidem dieta fuit ad ejusdem ducis Alberti instanciam continuata, atque translata tenenda in Monte Sancte Ghertrudis, ubi consiliarii regis, ducis Burgundie, ducisse Brabancie et ducis Gelrie et dux Albertus in propria persona venire deberent, certa die ad hoc ordinata. Qua adveniente die omnes supradicti ibi venerunt, demptis consiliariis ducis Gelrie, qui excusacionem scripserunt, deprecantes quatenus ipsos habere vellent pro excusatis, quia dux Gelrie ipsis mandavit, ut ad se venirent, deprecantes insuper, quod aliam dietam vellent ordinare, in qua utique dux Gelrie in propria persona venire deberet.

Quare ad instanciam ducis Alberti fuit alia dieta concepta in Buscoducis tenenda, in die Sancte Trinitatis, anno Domini M° CCC° LXXXVII°, sub condicione quod dux Albertus hoc procurare deberet apud regem, quod ibidem de suo mitteret consilio, et apud ducem Burgundie, quod ibi veniret in propria persona, et, si hoc procurare posset, sicut procuravit, quod tunc domina ducissa Brabancie et dux Gelrie eciam propriis venirent in personis. Sed quia omnes in Buscoducis collocari non poterant, dux Burgundie cum consilio regis mansit prope Buscumducis in tentoriis ibidem fixis, ab una parte, et, ab alia parte, dux Gelrie eciam in tentoriis ibi fixis; ducissa Johanna cum familiis suis intravit Buscumducis, et dux Albertus mansit in Hoesden, sed misit ibi filium suum Wilhelmum comitem Ostervandie.

Tandem per dictum ducem Burgundie et consiliarios regis visitatis et examinatis submissionum et pronunciacionis, atque ratificationis ejusdem pronunciacionis literis et scripturis, necnon dicte ducisse Johanne

peticionibus et querelis, et dicti ducis Gelrie responsionibus et peticionibus, ad materiam presentis diete non facientibus, in quadam cedula, quam dictus comes Ostervandie ibidem exhibuerat, XVI[a] junii anni M[i] CCC[i] LXXXVII[i] predicti, conscriptis, fuit per eosdem ducem Burgundie et consiliarios regis ista causa in debito statu prorogata usque ad diem XV[um] mensis augusti proxime futuri, infra quem terminum ipse dux Albertus, maturis deliberacione et consilio prehabitis, inter predictos ducissam Brabancie et ducem Gelrie terminare deberet juxta sue sentencie tenorem desuper promulgatum. Quibus completis, ipse dux Albertus haberet potestatem infra festum Pasche ex tunc proxime futurum, servatis servandis et auditis audiendis, decidendi omnes alias peticiones et demandas, quas una parcium predictarum contra alteram habere potuit ante guerram inter predictos ducissam et ducem motam et inchoatam. Super quibus sic decidendis, ducissa Brabancie et dux Gelrie predicti per eorum submissionum literas dicto duci Alberto omnimodam dederunt potestatem, et fuit interlocutum et condicionatum, quod supradicto termino pendente, et infra eundem, essent vere treuge, nullaque dampna inferri deberent, ab una parte neque ab altera, patriis eorundem.

Quibus sic peractis, omnes supradicti, sperantes quod firma pax inde sequeretur, a Buscoducis recedentes ad propria remearunt. Sed, breviter loquendo, dux Albertus infra certum terminum Pasche suprascriptum, majorem quam potuit exhibuit diligenciam, ut premissa ad finem debitum et execucionem oportunam duxisse potuisset; tamen dictum ducem Gelrie ad hoc inducere non potuit, quod suum dictum sive suam ordinacionem, et illud quod sigillavit et promisit, vellet adimplere. Et sic, exspiratis treugis, hujusmodi guerra reincepit inter ducissam et ducem et ipsorum patrias Brabancie et Gelrie predictas.

Qualiter castrum de Gaesbeke fuit obsessum, expugnatum et destructum, et ob quam causam. Cap. LVII.

Pendentibus treugis sive guerrarum abstinenciis inter ducissam et ducem et eorum patrias Brabancie et Gelrie prelibatas, dominus Zwederus de

Opecoude[1], dominus de Gaesbeke, de Putte et de Strien tantum procurarunt apud ducissam Johannam predictam, quod sibi tradere voluit et exhibere, via pignoris seu alias, certas villas rurales ad villicacionem de Rode pertinentes, sub ammannia Bruxellensi existentes. Quod scabini Bruxellenses percipientes, se hujusmodi impignoracioni opposuerunt, dicentes quod ducissa Johanna, secundum continenciam literarum sui adventus jucundi, in qua promisit terram Brabancie indivisam observare, nullam ejus partem neque castrum, villam et oppidum ejusdem vendere, impignorare seu alienare quoquo modo posset. Et quia dominus Everardus Tserclaes, miles strenuus, qui sua industria et virtute oppidum Bruxellense ex manibus Ludovici comitis Flandrie acquisivit, et reduxit ad manus domini Wenceslai ducis et ducisse Johanne, ut supra suo loco est conscriptum, ex parte suorum conscabinorum, qui erant dominus Nicolaus Zwaef, Reynerus Clutinck, Egidius de Mol, Arnoldus Bogaert, Egidius de Hertoghe et Egidius de Weert, coram dicta ducissa Johanna verbum protulit, quod scilicet ipsa ducissa Johanna predictas villas non potuit alienare, dictus dominus de Gaesbeke, eo quod sic suo frustrabatur desiderio, contra dictos scabinos et signanter contra predictum dominum Everardum fuit male contentus. Quod semel narravit audiente uxore sua secum in mensa sive in prandio sedente, que, ipso domino de Gaesbeke marito suo inscio et penitus ignorante, taliter locuta fuit cum domino Amelio Uten Enge milite, pro tunc balivo terre de Gaesbeke, quod ipse dominus Amelius, adjuncto sibi Wilhelmo de Cleve, filio naturali domini de Gaesbeke predicti, dictum dominum Everardum Tserclaes, in reditu suo de Lenneke equitando versus Bruxellam, cum suis complicibus apprehendit in itinere, amputando sibi unum pedem et partem lingue sue abscindendo : quem vulneratum solum in campis demiserunt, quem nullus subditorum terre de Gaesbeke audebat appropinquare. Tandem supervenit ibidem a casu dominus Johannes de Stalle presbyter, pro tunc decanus christianitatis de Hal, cum Johanne dicto Coreman, suo clerico et post ipsum decano de Hal et deinde decano christianitatis Bruxellensis, qui ipsum Everardum positum super unum currum duxerunt in Bruxellam, ubi venerunt inter terciam et quartam horam post meridiem, quo in foro

[1] Sweer d'Abcoude, sire de Gaesbeke.

ante domum consulum veniente, concurrebat ibi totus populus quasi furibundus. Ducissa vero Johanna hoc audiens, statim se transtulit versus forum ad furorem populi sedandum, quod facere nequivit : sed eadem die circa quintam horam de vespere communitas exivit Bruxellam ad ponendam obsidionem ante castrum de Gaesbeke, et manserunt de nocte in Vlesenbeke. Istud accidit die jovis sancta, mensis marcii die XXVI^a^, anno Domini M^o^ CCC^o^ LXXXVII° stilo curie Cameracensis [1]. Et ipse dominus Everhardus obiit die martis post Pascha, die ultima mensis marcii predicti, anno LXXXVIII°, et fuit sepultus ter Nat, et in loco ipsius fuit factus scabinus Johannes Tserclaes, consanguineus suus.

Die vero veneris sancta, que fuit XXVII^a^ mensis marcii predicti, exercitus Bruxellensis summo mane se transtulit de Vlesenbeke versus castrum de Gaesbeke, quod obsidione circumcinxerunt : qua die ducissa Johanna, ad instanciam oppidi Bruxellensis, misit dominum Johannem de Withem senescallum suum ante obsidionem dicti castri de Gaesbeke cum vexillo suo. Eadem eciam die oppidum Bruxellense scripsit omnibus oppidis patrie Brabancie, requirentes virtute confederacionis, quatenus in eorum subsidium ante Gaesbeke venirent, ubi ipsa oppida cum apparatu bellico sine mora venerunt, excepto oppido de Buscoducis, quod, quia treuge cum duce Gelrie expirarunt, venire non poterat, sed pro defensione limitum patrie Brabancie ibidem permanere debebat.

Et est sciendum, quod eadem die qua obsidio ponebatur ante dictum castrum de Gaesbeke, dominus de Gaesbeke ipsum castrum exivit, victualibus et ingeniis necessariis bene munitum, in quo dimisit tres capitaneos, scilicet Johannem de Lombeke, Johannem van Heelbeke et Johannem Storm; domina de Gaesbeke eciam mansit in castro. Dum vero omnia oppida Brabancie, excepto oppido de Buscoducis, fuerunt congregata, miserunt in terra Leodiensi pro operariis qui in mineriis fodinis sciunt operari: qui cum operari cepissent, et domina de Gaesbeke et tres capitanei hoc sciverunt, obtulerunt castrum tradere in manibus domine ducisse et oppidorum predictorum ad faciendum cum ipso voluntatem eorum, cum tali condicione quod ipsa domina, cum omnibus viris et feminis in dicto castro secum existentibus, salvis suis corporibus atque bonis, libere pos-

[1] Itaque legendum an. 1388.

sent exire, quod fuit ipsis concessum et concordatum. Et sic ipsa domina cum suis dictum castrum exivit, per medium exercitus suos gressus dirigens versus Borchbraken: et paulo post istud castrum fuit dirutum et ad solum projectum atque totaliter destructum. Quo facto exercitus, obsidione soluta, ad lares proprios remeavit, mensis aprilis die ultima, anno M° CCC° LXXXVIII° predicto.

Qualiter oppidum de Gravia secundo fuit obsessum. Cap. LVIII.

Postquam treuge inter ducissam et patriam ejus Brabancie ac Wilhelmum ducem et patriam ejus Gelrie expiraverant, et scultetus cum nobilibus, vasallis, ministerialibus, burgensibus et subditis oppidi et villicacionis de Buscoducis contra Gelrensium hostiles incursus limites suos viriliter defenderant, et Gelrensibus infra eorum limites quamplurima dampna intulerant, infra tempus quo alia oppida Brabancie castrum de Gaesbeke obsederant, dum vero eodem expugnato dicta oppida ad propria redierant: domina Johanna ducissa fecit indici secundam expedicionem generalem patrie sue Brabancie fiendam ante predictum oppidum suum de Gravia, ad ipsum oppidum ex manibus ducis Gelrie, qui illud post et contra supradicti ducis Alberti pronunciacionem et ipsius ducis Gelrie promissionem, suis literis patentibus et juramentis firmatam et ratificatam, prout supra clarius est annotatum, injuste et de facto occupabat, vi armata recuperandum, vim vi repellendo. 1388

Ad quod omnes barones, milites, nobiles et rectores oppidorum Brabancie se obtulerunt promptos et paratos, qui unanimiter, die XVI mensis junii anni Domini M CCC LXXXVIII, versus Graviam cum apparatu bellico proficiscentes, constituerunt et ordinaverunt in eorum capitaneos generales Reynaldum de Valckenborch, dominum de Borne et Sittaert et Herpen, et dominum Heinricum de Boutershem, dominum de Bergis supra Zomam. Et dum exercitus applicuit Herpen prope Ravensteyn, dux Gelrie, qui jam perceperat istius expedicionis Brabancie fortitudinem et potestatem, misit ad predictos capitaneos, offerendo oppidum de Gravia in manibus ipsorum, ad opus ducisse et ejus patrie Brabancie, in eo statu quo tunc erat reddere et deliberare, ac alia omnia et singula per dictum ducem Albertum in sua

pronunciacione ordinata adimplere. Quam oblacionem dicti capitanei, de omnium aliorum baronum et nobilium consilio et assensu, libenter acceptassent, sed quidam oppidorum capitanei particulares hoc admittere noluerunt, nisi dux Gelrie cum oppido de Gravia refunderet eciam omnes expensas in ista expedicione per patriam Brabancie factas et fiendas. Et sic ulterius proficiscentes predictum oppidum de Gravia obsederunt, castra metantes ac tentoria et papiliones ante ipsum figentes et erigentes, ac quam diversas oppugnaciones facientes cum bombardis et aliis diversorum tormentorum ingeniis, globos saxeos ad conquassandum portas, turres et menia jactantibus, necnon ad ipsam comburendum die noctuque globos ferreos candentes cum bombardis ac eciam tela et jacula ignita cum arbalistis in ipsum oppidum trahentes et immittentes. Oppidum vero de Buscoducis fecit fieri et ante Graviam erigi magnum ingenium, scilicet arietem ferrati frontis, ad portas et antemuralia impingendum et subvertendum cum eodem, quo tamen usi non fuerunt.

Item fuit publice in exercitu preconizatum, quod nullus exiret exercitum pro victualibus sive foragiis afferendis, nisi cum senescallo vel marescallo, qui sackmannos eundo et redeundo contra inimicos conducere et defendere deberet. Accidit quod in die Nativitatis sancti Johannis Baptiste quidam temerarii pro se, dicto marescallo irrequisito, pro foragiis exiverunt pedestres et equestres : quod Gelrenses, qui se in castro de Hatendoncke prope Sanbeke tenuerunt, percipientes, ipsos debellaverunt, et pro majori parte captivaverunt et occiderunt. Quare in exercitu intra communitates murmur et rumor suscitabatur; capitanei vero generales ad rumores tollendum et populum placandum statim ordinaverunt pontem fieri debere ultra Mosam, ut ab alio latere dictum oppidum obsideri et unus exercitus ad alium libere transire posset : que quidem ordinacio placuit omnibus. Et dum pons usque ad medium fluminis Mose erat factus, et pilaria ulterius infigi deberent, Gelrenses supervenientes cum bombardis coëgerunt Brabantinos retrocedere, et pontem dimittere imperfectum. Tunc vero capitanei generales, cum majoribus nobilibus et oppidorum capitaneis, consilio secreto prehabito, ordinarunt quod per unum vadorum dictorum theutonice *gewat*, que erant prope Graviam, scilicet unum superius inter Kuyck et Mondick, et aliquid inferius inter Ravensteyn et Nistrick, deberent transmittere exercitum validum ultra Mosam. Qui quidem exercitus.

Mosa transvadata, fixe manere deberet, nullam rapinam nullumque incendium aut dampnum inimicis inferendo, et die sequenti deberet ulterius proficisci usque oppositum Gravie, ut sic commodius pontem inchoatum perficere, et unus exercitus ad alium transire deberet.

Et licet ista ordinacio fuerit facta in consilio secreto, tamen nullus scivit per quod vadorum duorum predictorum transitus exercitus fieri deberet, nisi duo capitanei supradicti; tamen ista ordinacio non fuit ita secrete tenta, quoniam dux Gelrie omnia, sicut premittitur, concepta et diem transitus percepit, sed locum transitus penitus ignoravit. Quare ipse dux gentes armorum, quas secum habuit, divisit in tres partes : unam misit versus vadum de Mondick et aliam versus Nistrick, ut transitum impedirent Brabantinorum; ipse vero cum parte tercia se teneret circa locum dictum *Op die Tersse*, ut uni vel alteri partium, si indigeret, succurrere posset. Et dum exercitus Brabantinorum Mosam transvadere temptabat, Gelrenses viriliter ipsis resistebant, et tandem Gelrensibus superatis, et Brabantinis victoriose Mosam transvadatis, nonnulli ribaldi et parvi status homines, predictam ordinacionem infringentes, villas de Nistrick et de Beychgem rapinis depopulantes, etiam domus incenderunt. Gelrenses vero, qui circa vadum de Mondick fuerunt, ignem videntes, et alii, qui de alio vado aufugerant, statim et celeriter versus ducem Gelrie apud predictum locum *Op die Tersse,* in medio itinere inter predicta duo vada existentem, se transtulerunt : qui, prehabito brevi consilio, illico cum suis secum exeuntibus, qui non erant ultra trecentos lanceatos, exercitum Brabantinorum hincinde dispersum debellavit taliter, quod victoriam reportavit, ubi magna pars Brabantinorum fugentium in Mosa fuerunt submersi. Ibi eciam domini de Lyntere et de Bourgevale, et alii multi nobiles et ignobiles fuerunt captivati, multi eciam ex utraque parte fuerunt interfecti.

Et sic propositum de ponte perficiendo non fuit sortitum effectum, sed exercitus Brabancie, postquam ante Graviam stetisset per quinque septimanas, versus lares proprios se retraxit, et die sequenti, circa mediam noctem, scultetus de Buscoducis, veniens ante Graviam cum copia armatorum, aprum quem ibi dimiserant combusserunt. Deinde obsidione soluta, domina ducissa ordinavit, quod dominus de Withem et dominus Heinricus Vander Leck, tamquam capitanei, cum multis armigeris et gentibus armorum, ad defendendum limites patrie, et inimicis dampna inferendo,

se munirent in Os et Ravesteyn, inde guerram equitatilem observantes: ex quibus municionibus ipsi Gelrensibus et patrie Gelrensi, et pari modo Gelrenses ex Gravia patrie Brabancie, incendiis, cedibus, rapinis hincinde gravia dampna intulerunt.

Qualiter dux Gelrie quandam expedicionem fecit in Brabancia vi armata.
Cap. LIX.

1388 Subsequenter vero dux Gelrie cum validissimo exercitu profectus in Brabanciam, in vigilia Beati Laurentii anni M° CCC° LXXXVIII° predicti, combussit villam de Osterwyck cum magna tylia ibidem, et villam de Gestel, de Beka et partem ville de Boexstel. In cujus expedicione habuit circa tria millia et trecentos lanceatos, et duo millia et ducentos viros pedestres: cui quidem expedicioni interfuerunt archiepiscopus Bremensis, episcopi Trajectensis, Monasteriensis et Padebornensis et abbas Prumensis, necnon comites de Seyne, de Katsenelleboge, de Moerse et nonnulli alii magnates ex partibus Renensibus. Et perseveravit in villicacione de Buscoducis per dies tres integros, terram incendiis et rapinis devastando, et regressum suum fecit de villa de Weert in terra de Hoerne situata.

Deinde vero ducissa Johanna illustri domino Philippo duci Burgundie querulose significavit predictam expedicionem per ducem Gelrie factam, quodque, non contentus de dampnis et injuriis ex oppido de Gravia sibi et patrie sue Brabancie illatis, sed subditos comitatuum de Velua et de Kessele ac insularum de Tiele et Boemele, qui ipsius censentur homines principaliter et vasalli, cum hujusmodi comitatus et insule moventur in feudum ab eadem, ejusque patriam offendere multipliciter et hostiliter impugnare compulsit, ipsum pro tanto deprecans, quatenus sibi contra dictum ducem Gelrie assistenciam facere vellet opportunam. Quare idem dux Burgundie
1389 anno Domini M° CCC° LXXXIX° suis sub expensis misit prelibate ducisse in auxilium quingentos lanceatos, quorum erant capitanei Wilhelmus de Latremoille et dominus Odardus Chafferon, quibus ex parte domini ducis Burgundie stipendia fuerunt persoluta de tribus mensibus, et fuerunt locati in Millem, Gangelt et Vucht. Quibus fuit adjunctus dominus de Borne, cujus consilio et auxilio totam terram circa Ruremonde in terra

Gelrie situatam incendiis, cedibus et rapinis depopulando destruxerunt. Similia eciam dampna intulerunt Gelrensibus capitanei de Ravesteyn et Os constituti. Dum vero tres menses expiraverant, gentes armorum domini ducis Burgundie recedere voluerunt, sed, ob instanciam predicte domine ducisse, que ipsis providit de novis stipendiis, manserunt per estatem futuram, infra quam ceperunt per assultum vi armorum oppidum de Stralen et funditus destruxerunt.

Subsequenter vero dux Gelrie se transtulit versus Parisios in Francia apud ducem Aurelianensem, qui contemplacione ducis Gelrie tantum fecit apud ducem Burgundie, quod certe treuge et guerrarum abstinencie fuerunt facte inter ducissam Brabancie et ducem Gelrie patriasque et subditos eorumdem. Tandem, de consilio consilii ducisse et ducis predictorum, iidem ducissa et dux compromiserunt in XII personas de ipsorum consilio, quorum sex ipsa domina ducissa et alios sex dux Gelrie ducerent nominandos, qui deberent intrare Ravensteyn, et abhinc non recedere donec integram pacem inter ipsos et patrias ipsorum subditorumque atque adjutorum fecissent : quam fecerunt et pronunciaverunt in die Beati Severini anno Domini M° CCC° XC°. Nomina vero dictorum consiliariorum sunt hec : et 1390
primo, ex parte ducisse, dominus Swederus de Opecoude, dominus de Gaesbeke et de Putte et de Stryen, dominus Thomas dominus de Diest, Wilhelmus junior comes de Seyne, Wilhelmus dominus de Craendonck, dominus Johannes dictus Vander Calstren miles et dominus Heinricus Vander Lecke; et ex parte ducis Gelrie, dominus Gerardus dominus de Werdenborch, dominus Wilhelmus de Muysbach, dominus Warnerus Buffel, dominus Hermannus de Lievendale, milites, Walramus de Oy et Reynaldus de Reis.

Qualiter Walterus van Overryn decollatus fuit in Buscoducis, unde oriebatur nova guerra inter Brabanciam et Gelriam. Cap. LX.

Accidit anno Domini M° CCC° XCVII°, die dominica proxima post Nati- 1397.
vitatem beati Johannis Baptiste, dum ferebatur in Buscoducis ymago beate Virginis, certa pugna ibidem in quadam taberna, inter Walterum dictum van Overryn, officiatum ducis Gelrie in insula de Boemele, dicta Boemele-

weerde, cum suis complicibus, ex una, et unum burgensem de Buscoducis suis cum sodalibus, parte ex altera. Walterus vero primo et deinde sui satellites ceperant clamare : « Gelrie, Gelrie. » Ob cujus clamorem advenit ibidem magna copia Gelrensium, qui suis contra incolas Buscoducenses talem assistenciam fecerunt, ac si voluissent oppidum de Buscoducis expugnasse et in manibus ducis Gelrie reportasse, sub spe quod assistenciam habuissent ab aliquibus burgensibus, qui, ut dicitur, partem ducis Gelrie fovebant. Populus autem hujusmodi percipiens tumultum statim ad arma concurrens, Gelrenses invasit taliter, quod ab utraque parte fuerunt ibi vulnerati lethaliter et interfecti. Walterus vero cum multis suis complicibus fuit captus et vinculis carceralibus mancipatus. Et quia fuit debita informacione previa compertum, quod fuit causa commocionis, et primus qui clamavit : « Gelrie, Gelrie, » et unum famulum, servitorem domine Johanne ducisse Brabancie, deferentem ipsius vestes cum librata, dictum Goeswinum Vander Diesen, proprio gladio transfigendo interfecit, ob quam causam ipse Walterus fuit, dictante justicia, decollatus.

Quibus sic peractis, Wilhelmus dux Gelrie scripsit domine ducisse Brabancie, qualiter ad suam devenit noticiam, quod Walterus van Overryn, suus consiliarius, officiarius et subditus, cum nonnullis aliis suis famulis et subditis, bona fide ad festum beate Marie, dum ejus ferebatur ymago, in oppidum suum de Buscoducis venisset, ubi ipse Walterus fuit decapitatus, et nonnulli familiares ejus et subditi interfecti, vulnerati et captivati : petens ab eadem domina ducissa cerciorari, an ipsa istud factum, sicut premittitur, perpetratum ad se traheret, sive ratum et gratum haberet, an ne? quodque certa die nominata suos consiliarios pleno mandato sive plena potestate fulcitos mitteret in Ravensteyn contra suos consiliarios, ad faciendum sibi ibidem emendam et satisfactionem de factis predictis; et, casu quo hujusmodi rei perpetrate se nollet intromittere, quod tunc subditos suos de Buscoducis taliter induceret, quod sibi indilate certa die de commissis prelibatis facerent reparacionem et emendam, quam si dicta die sibi facere recusarent, tunc ad hoc instaret omnibus viis et mediis, quod sibi reparacio fieri deberet, per hec scripta honori suo realiter precavendo contra dictam ducissam prelibatam, sub quibus ejus responsionem transcribi indilate requisivit. Ducissa vero dicto duci Gelrie rescripsit, quod ad prenominatam diem in Ravensteyn suos consiliarios destinaret ad

ipsum seu consiliarios suos clare et veridice informandum de re gesta, et desuper secum tractandum et concordandum. Que quidem dieta fuit tenta in Ravensteyn mensis augusti die III[a], anno Domini M° CCC° XCVII° predicto. Et quia in hujusmodi dieta nichil fuit conclusum, ob hoc quod emendam et reparacionem, quam Gelrenses petiverunt, dicte domine ducisse consiliarii facere recusarent, dicentes quod secundum exigenciam casus domina ducissa ad hoc minime teneretur astricta, dux vero Gelrie, predictarum sue pronunciacionis vigore literarum, ad guerram se disposuit, ut sequitur.

De quadam expedicione, quam dux Gelrie in ista ultima guerra fecit in Brabancia. Cap. LXI.

Deinde vero dux Gelrie, collecto exercitu copiosissimo, in quo archiepiscopus Coloniensis ac episcopi Monasteriensis, Trajecti, Osnaburgensis et Padebornensis, et plures alii magnates, comites et barones, sui auxiliarii, cum innumera multitudine armatorum bellatorum extiterant, Brabanciam intravit, terram vastando rapinis et captivis et incendia promiscendo. Quod ducissa Johanna percipiens, statim misit versus oppidum de Buscoducis, ad ipsum custodiendum, dominum Johannem dominum de Withem, suum senescallum, et secum dominos de Parweis, de Diest, de Schoenvorst, de Wesemael, de Rotselaer, de Bergis, de Leck et Breda, barones, et quasi omnes milites et militares Brabancie, qui omnes fuerunt infra predictum oppidum collocati. Quibus percipientibus quod dux Gelrie voluit ulterius transire in Brabanciam per strictum passum inter Buscumducis et Engelen, aliqui ex nobilibus libenter vidissent, quod ipsi dicti ducis transitum bellando secum impedivissent; aliqui vero et sapientiores consuluerunt, dicentes quod nequaquam tam prope oppidum secum esset bellandum, propter tres raciones : primo, quia hoc non habuerunt in mandatis a domina ducissa: secundum, quia multum periculosum est tam prope civitatem bellare, propter timidos et pusillanimos, qui oppidum reintrantes et fortes secum in fugam convertentes. magis studerent se salvare, quam contra hostes confligere, qui, si in campis remote a latibulo vel oppido essent, utique pro conjugum et liberorum salute et defensione

patrie viriliter decertarent; tercio, quia dubius est eventus belli, si dux victoriam reportasset, procul dubio oppidum predictum habuisset. Potest addi quarta racio, quia, si barones et nobiles exivissent, timuerunt quod ad voluntatem ipsorum non reintrassent, impedientibus ipsius ducis fautoribus et amicis in ipso oppido constitutis : dicebatur enim tunc communiter, quod dux istam expedicionem fecerat sub firma spe, quod sui fautores et amici ipsum in dicto oppido intromisisse debuissent. Quare videbatur ipsis expediencius, quod ipsum ducem per dictum passum permitterent versus Brabanciam transire, et decem vel duodecim villas rurales cremare. quam se et oppidum periculo perdendi exponere.

Et sic dux cum suis transivit, et ivit de nocte in Oesterwyck. Barones vero per certos nuncios et exploratores perceperunt, quod ipse dux proposuerat in crastinum oppidum de Eyndoven oppugnare et expugnare, si posset : ad quod precavendum miserunt comitem de Megem, tunc scultetum de Buscoducis, cum trecentis lanceatis pro presidio et custodia oppidi. quod dux proficiscendo versus Eyndoven in itinere percipiens, retrocedendo oppidum de Eyndoven inpugnatum dimisit. Plurime autem congressiones inter ipsum ducem et Brabantinos, et multa certaminum discrimina vicissim successerunt, que nimis longum esset omnia enarrare.

Qualiter ducissa Johanna indixit duci Gelrie bellum. Cap. LXII.

Porro ducissa Johanna, magnanimitatis virum induens in mente, primo per certum suum messagereum literatorie, et deinde per certum suum heraldum, ipsius armorum insigniis decoratum, nudum ensem in manibus deferentem, sibi bellum indici fecit, sub modo et forma sequenti : videlicet quod ipse cum pseudo suis pontificibus, quibus juxta canonicas sanxiones in bello injusto non licuit ad impugnandum quempiam, et signanter viduam, arma movere, pauperes, villanos et rusticos indempnes dimittens. flumine Mose transvadendo in terram suam Gelrie, per quinque dies ipsam ducissam et suos vellet expectare, ipsa utique infra predictos quinque dies ipsum in eadem sua terra visitare, et fortune vices bellando secum deberet experiri; quod si fortassis sibi non placeret, quod tunc per tres dies a dampnis inferendis abstineret, se cum dictis suis pseudo-pontificibus infra

limites suos Brabancie contineret, ipsum, eisdem tribus diebus non elapsis, bello aggredi non formidaret. Et ne propter victualium defectum causam resistendi a bello allegare seu pretendere valeret, fecit sibi offerri qualibet die expensis propriis deliberare centum plaustra vini et cerevisiam quantum indigere posset, necnon qualibet die trecentos boves atque panem et alia vite necessaria, quod merito sibi sufficere deberet.

Ipsa autem ducissa Johanna, sperans quod ipse dux Gelrie, quem cognovit magnanimum, calidum et superbum, unam istarum duarum viarum acceptasse non denegasset, congregatis suorum oppidorum ac franciscearum tociusque sue terre Brabancie armatorum copiis, cum apparatu bellico versus ducem predictum, ut ipsum ad longius certa die debellare posset, acceleravit proficisci. Interim vero dux, suis cum pseudo-pontificibus communicato consilio, cognoscens innumeram bellatorum multitudinem, qua ipsa erat fulcita, necnon maximam baronum et aliorum nobilium potestatem, tam in Buscoducis quam in Eyndoven congregatam, unam predictarum duarum viarum acceptare recusans, ad terram suam Gelrie se duxit transferendum, non sine parvis dampnis per nobiles Brabancie sibi diversimode illatis atque irrogatis.

De expedicione per ducissam et patriam Brabancie facta ultra Mosam in terra sive ducatu Juliacensi. Cap. LXIII.

Dum vero domina ducissa Brabancie cum exercitu suo venerat apud et 1397.
circum Herentals, animo ulterius proficiscendi, et dictum ducem Gelrie debellandi, percipiens quod idem dux et sui pseudo-antistites extra limites patrie sue Brabancie versus terram suam Gelrie recesserant, inito brevi consilio, cum eodem suo exercitu arripuit iter versus oppidum suum Trajectense, animo et intencione ulterius proficiscendi, et dictum ducem visitandi in terram suam Juliacensem. Mandavit igitur memoratis baronibus, militibus et nobilibus, in Buscoducis et in Eyndoven constitutis, ut ipsam sine mora manu armata sequerentur usque ad Trajectum vel Vleitingen, ubi ipsos expectare deberet. Dicti vero barones, milites et nobiles in Trajecto applicantes, dicta domina ducissa, que utique cum ipsis proficisci volebat, magnis precibus ibidem permansit, barones vero unacum

predicto exercitu coadunati transiverunt usque ad Vleitingen, ubi pernoctabant; die vero sequenti, ordinatis ordinandis, capitaneisque constitutis, terram Juliacensem intraverunt, ubi primo expugnaverunt villam sive municionem de Audenhoven, fossatis et vallo clausam, fortificatam et bene communitam, quam totaliter combusserunt.

Et quia incole bona sua mobilia et suppellectilia portaverunt in et super ecclesiam et cimiterium extra oppidum constitutas, sperantes immunitate ecclesie gaudere debere, nichilominus quidam scurre et garsiones aliqua bona, que extra ecclesiam asportare poterant, depredati fuerunt, quos capitanei Brabancie exercitus, nolentes immunitatem ecclesie per suos infringi, in terrorem aliorum ad arbores suspendi fecerunt.

Et abinde ulterius progredientes, per decem dies continuos terram Juliacensem pervagantes, cedibus, incendiis et rapinis depopulando devastarunt, ubi plus quam vicesies majora dampna intulerunt, quam dux Gelrie umquam fecerat in Brabancia : et sic revertentes per Trajectum unacum dicta domina ducissa ad Brabanciam victoriose remearunt. Hec autem expedicio facta est in mense septembri, anno Domini M° CCC° XCVII°.

De pensionibus oppidorum comitatus Lossensis debitis subditis Brabancie, et confederacione facta inter dominam ducissam et patriam suam Brabanciam, ex una, et civitatem et patriam Leodiensem et Lossensem, parte ex altera. Cap. LXIV.

1398. Postquam domina ducissa Johanna cum exercitu suo reversa fuerat in Brabancia, proposuit et ordinavit, cum consilio et assensu baronum, militum, nobilium atque rectorum et consulum bonorum oppidorum suorum Brabancie, quod in estate anni futuri immediate sequentis, scilicet M[i] CCC[i] XCVIII[i], Wilhelmum ducem Gelrie et ejus terram Juliacensem vi armata cum exercitu hostili, adjutorio Dei, vellet visitare. Et quia oppida comitatus Lossensis multas pensiones annales ad vitam tenebantur nonnullis burgensibus et subditis Brabancie, quas commode solvere non potuerunt, quare mercatores et subditi dicti comitatus Lossensis, dum poterant apprehendi, cum bonis suis in Brabancia arrestabantur et detinebantur captivi, propter defectum solucionis pensionum predictarum, et

sic mercatores cum suis mercanticiis et negociacionibus exercendis terram Lossensem amplius non exire audebant; et quia aliqui timebant quod, occasione pensionum hujusmodi non persolutarum et arrestamentorum inde subsecutorum, oppidani et incole oppidorum Lossensis predictorum exercitui Brabancie, in prelibato anno futuro transeundo per terram ipsorum, victualibus et provenanciis impedimentum possent prestare, quemadmodum hactenus fecerunt tempore Johannis hujus nominis Brabancie ducis tercii, quod ab ipso non remansit inultum, tempore quo sua cum expedicione venit de obsidione de Valkenborch, quoniam villam et municionem de Beringen et majorem partem comitatus Lossensis incendiis et rapinis perlustrando devastavit, prout supra in gestis ipsius ducis Johannis plenius habetur : ad quod evitandum, et ut certus modus reperiri posset, per quem pensiones antedicte absque arrestamento ulterius persolvi deberent, necnon ut confederaciones ab antiquo inter patrias Brabancie et Leodiensis facte, que aliquando interrupte fuerunt, innovarentur et de cetero inviolabiliter observarentur, fuit certa dieta tenta in oppido Diestensi, mensis februarii die XI[a], anno Domini M° CCC° XCVIII° stilo Leodiensi, inter ducissam Johannam et magistros communitatum, scabinos, proconsules et universitates oppidorum Lovaniensis, Bruxellensis et Buscoducensis, Thenensis, Leeuwensis, Nyvellensis, Lierensis, Herentalensis, Diestensis, de Breda, de Bergis supra Zomam, pro ipsis et aliis oppidis Brabancie, ex una, et magistros, juratos, gubernatores, proconsules et universitates civitatis Leodiensis et oppidorum Hoyensis, Tongrensis, Sancti Trudonis, Lossensis, de Hasselt, de Harke, de Bilsen, de Eycke, pro ipsis et pro aliis oppidis patrie Leodiensis et comitatus Lossensis, parte ex altera, necnon magistros, gubernatores, juratos, proconsules et universitatem Trajectensem, ad dominacionem sive dominia domine ducisse Brabancie et ecclesie sive patrie Leodiensis, ex utraque parte.

In qua siquidem dieta fuit tractatum et concordatum, per quem modum absque arrestamento pensiones per oppida comitatus Lossensis pensionariis et subditis Brabancie ulterius persolvi deberent. Item confederaciones per dictum Johannem ducem tercium, patrem ducisse Johanne antedicte, ac patrias Brabancie et Leodiensis inite et facte fuerunt innovate, perpetuo durature; et nichilominus ipsa ducissa Johanna et oppida Brabancie, Leodiensis et comitatus Lossensis suprascripta de novo pepigerunt et inie-

runt novam ligam et unionem, preter confederacionem antiquam prescriptam innovatam, ut premittitur, eciam perpetuo duraturam. In qua cavetur inter cetera quod, si qui ab hac die in antea cum vexillis levatis aliquam terram Brabancie, Leodiensis et Lossensis predictarum hostili more intraverint, dampna inferendo, quod incole et subditi propinquius situati illi terre ubi hostes intraverint, ad succurrendum hincinde alterutri terrarum hujusmodi potenter exire, et hostibus sive inimicis dampna inferentibus resistere, et totis viribus contra ipsos insurgere tenebuntur; si vero unam parcium predictarum cum expedicione et exercitu contra inimicos et terras ipsorum proficisci contigerit, tunc relique parcium antedictarum infra dies octo, postquam ad hoc fuerint requisiti, cum apparatu bellico aliam partem sequi et se eidem conjungere debebunt. Item, quod nulla parcium predictarum inimicos alterius aut dampna inferre volentes sustinebit, nullaque victualia seu provenancias ipsis ministrabit, aut ministrari permitteret cum eisdem. Item, quod mercatores parcium predictarum de una parte in aliam, ab utraque parte Mose, secure et libere, eundo vel redeundo ac stando et morando, conversari mutuo, et suas mercancias et negociaciones invicem more mercatorum tractare poterunt et exercere, et tale jus, sicut mercatores Brabancie solvent in terris Leodiensi et Lossensi, simile solvent mercatores Leodienses et Lossenses in terra Brabancie, juribus dominorum terrarum predictarum semper salvis. Item, quod tale servicium sive obsequium, prout terre Leodiensis et Lossensis contra omnes homines facere tenentur terre Brabancie, vigore confederacionis predicte, simile facere tenebuntur domina ducissa et oppida Brabancie oppidis et terris Leodiensi et Lossensi supradictis. Item, si tempore futuro, quod absit, aliqua dissencio oriretur inter predictas terras vel partem earumdem, tunc ad sedandum et pacificandum dissensionem hujusmodi eligentur ab utraque parte quatuor persone notabiles, infra octo dies postquam ab aliqua parcium earumdem fuerit requisitum: que quidem persone, infra octo dies ex tunc immediate sequentes, tenebuntur intrare oppidum Juliacense, et ex illo non recedere, donec per ipsas contencio seu dissensio hujusmodi fuerit pacificata et sedata.

Et ut confederacio prescripta et omnia et singula supradicta in eadem contenta cunctis futuris temporibus irrefragabiliter observentur, partes prescripte ad observacionem premissorum se obligaverunt, et quelibet

earundem altera alteri se obligavit, super pena centum millium scutorum antiquorum, applicandorum pro medietate parti confederacionem servanti, et pro reliqua medietate domino temporali partis ejusdem confederacionem hujusmodi observantis, sine fraude et malo ingenio: prout in literis domine ducisse Brabancie ac oppidorum trium parcium subscriptorum, impressionibus sigillorum communitis, desuper confectis plenius continetur, que fuerunt date in oppido Diestensi, mensis februarii die VI[a], anno Domini M° CCC° XCVIII° stilo Leodiensi, sed stilo curie Cameracensis scribebatur annus XCVII usque ad festum Pasche.

De secunda expedicione facta in terra Juliacensi. Cap. LXV.

Quia vigore confederacionis suprascripte civitas et oppida terrarum Leodiensis et Lossensis erant astricta contra omnem hominem ducisse Johanne et ejus patrie Brabancie servire, et cum eisdem contra suos inimicos in expedicionibus proficisci, infra octo dies postquam duxerit requirendum, idcirco ipsa ducissa Johanna ipsis diem sui profectus sive exitus versus terram Juliacensem literatorie significavit. Ipsa vero ducissa, suorum baronum et aliorum nobilium oppidanorumque sive burgensium, fidelium et subditorum suorum, usque ad quadraginta millium virorum bellatorum vel circiter, exercitu jam congregato, anno Domini M° CCC° XCVIII°, mensis junii die XVI[a] Bruxellam exiens, cum eodem suo exercitu et apparatu bellico profecta fuit usque flumen Dycke prope Trajectum, ubi castra metari fecit, donec suus exercitus fuit totaliter congregatus. Deinde vero, eadem domina ducissa oppidum suum Trajectense intrante, inibique permanente, exercitus suus cum ipsa ibidem valedixit, et Deo commendavit ipsum, et per pontem ibidem Mosam pertransiens, properavit usque ad Vleitingen : ubi in capitaneos fuerunt ordinati et electi dominus Thomas dominus de Diest et dominus Reynaldus de Schoenvorst, cum domino Walramo comite Sancti Pauli, quem dominus Philippus dux Burgundie, suis stipendiis et expensis propriis, matertere sue ducisse Johanne in auxilium transmisit cum trecentis lanceatis. Paulo post supervenit ibidem exercitus terrarum Leodiensis et Lossensis, unacum duce Johanne Bavarie, electo Leodiensi, eorum domino et mamburno, et nobilibus terrarum sua-

rum, cum apparatu bellico se exercitui Brabancie conjungentes, cui licet in numero equari poterat, in milicia tamen et armis incomparabilis fuit.

Qui quidem exercitus, sicut premittitur, apud Vleitingen ab utraque parte congregati, sapientum usi consilio, ne ipsis victualia atque pabulum pro se suisque curribus et equitibus in itinere deessent, se in duas partes dividentes, exercitus Leodiensis et Lossensis per unam viam terram Juliacensem, cedibus, rapinis et incendiis cuncta depopulando, devastavit; exercitus vero Brabancie per aliam gressus suos dirigens, terram igne et gladio perlustrando, usque ad oppidum Nuwestat appellatum, portis, fossatis et vallo undique firmatum et hominibus armorum bene communitum, in quo dux Gelrie tunc adesse dicebatur, perveniens, ante ipsum oppidum circumvallari et castra sua metari ceperunt. Gelrenses in eodem constituti, potenciam et bellicum Brabantinorum apparatum metuentes, igne in eodem ad ipsum comburendum accenso, dum Brabantini per unam portam, quam expugnaverant, intrant, ipsi Gelrenses per aliam aufugiunt. In vigilia vero Beati Johannis Baptiste, exercitu Brabancie ante Nuwestat existente, inter quos fuerunt quatuor antiqui scabini ex oppido Bruxellensi, domina ducissa Johanna, ut moris est anno quolibet legem sive scabinos in oppido Bruxellensi renovare, misit suum ammannum Bruxellensem in expedicione ante Nuwestat, cum nominibus septem personarum quas pro anno futuro voluit in scabinos statui et ordinari, quarum sex in eadem expedicione presentes fuerunt, et junior, qui septimus fuerat, suum juramentum prestiterat in oppido Trajectensi, qui cum dicto ammanno equitans ante Nuwestat, ab hiis sex conscabinis juramentum accepit solitum et consuetum. Quo facto, tribus ex eisdem versus Bruxellam transmeantibus, ad legem et justiciam unicuique ministrandum, reliqui quatuor de novo instituti cum capitaneis in exercitu permanserunt.

Qualiter exercitus terrarum Brabancie, Leodiensis et Lossensis apud Nuwestat congregati, ulterius proficiscentes oppidum Ruremonde obsidione cinxerunt; et qualiter dux Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, cum suis terris inter ipsum et ducem Gelrie pacem secrete iniit, absque scitu et consensu Brabantinorum. Cap. LXVI.

Subsequenter vero terrarum Brabancie et Leodiensis et Lossensis exercitus, apud Nuwestat se congregantes, consilio inito versus oppidum Ruremonde, inquam principalius ducatus Gelrie, acies suas direxerunt: Leodienses et Lossenses inter flumina Mose et Rure, et Brabantini ab alia parte trans Ruram se collocantes, ipsum oppidum obsidione circumvallarunt, quod die noctuque diversis generibus machinarum et bombardarum, portas, turres meniaque saxis conquassando, antemuralia ipsius insultarunt ac oppugnaverunt, sed expugnare sive captare nequiverunt. Qua siquidem obsidione sic durante, dux Johannes Bavarie, cujus sororem dux Gelrie habuit in uxorem, cum nonnullis capitaneis et rectoribus terrarum suarum, secrete, absque scitu, consensu et voluntate ducisse Johanne et patrie sue Brabancie, cum eodem duce Gelrie duplicem tractatum inierunt, unum scilicet induciarum sive guerrarum abstinencie, per tres annos, et alium pacis integre perpetuo duraturum inter eosdem et terras ac adjutores utriusque ipsorum : super quo tractatu duplici fuerunt facte duplices litere, scilicet treugarum et pacis: litere vero ducis Johannis Bavarie fuerunt date lune XV^a julii, et ducis Gelrie martis XVI^a julii, anno Domini M° CCC° XCVIII°. 1398.

Porro in isto duplici tractatu ipse dux Johannes electus Leodiensis dedit opcionem dominis infrascriptis, qui in comitiva sua venerunt, et dictos tractatus libenter impedivissent, scilicet domino Heinrico de Hoerne, domino de Parweis et domino Balduino, domino de Monjardyn, domino Johanni domino de Arkenteel et filio domini Wilhelmi de Horion, an illi cum eorum adjutoribus in hujusmodi tractatibus comprehendi vellent an non : qui unanimiter et constanter responderunt, quod in eisdem nollent comprehendi, attento quod sine consensu et scitu domine ducisse et patrie Brabancie facti fuerunt, et cum parvo honore, ut ipsis videbatur: sed domine ducisse Brabancie, cujus homines feudales erant ac subditi et va-

salli, et sue patrie, corporibus eorum atque bonis servire et assistere vellent, ut tenebantur. Quo audito, dux Johannes precepit ipsis et cuilibet ipsorum, prout eciam est in dictis literis condicionatum, ne ex terris suis Leodiensi et Lossensi, nec exeundo neque reintrando, dicto duci Gelrie et terris suis et subditis aliquod dampnum inferrent quoquo modo : prout hec et plura alia in dictis literis, dictorum electi et ducis sigillis sigillatis, plenius comprehenduntur.

Qualiter exercitus Leodiensis et Lossensis, soluta obsidione ante Ruremundam posita, insciis Brabantinis repatriarunt; et qualiter exercitus Brabancie iterum terram Juliacensem reintravit. Cap. LXVII.

Dum vero supradicte litere pacis et treuge erant scripte, sigillate et hincinde tradite, absque scitu et consensu et voluntate Brabantinorum, exercitus Leodiensis et Lossensis, ab obsidione Ruremunde recedentes, apprehenderunt in itinere de facto et rapuerunt victualia et provenancias, que ducebantur de Trajecto versus exercitus Brabancie ante Ruremundam adhuc existentes, dicentes quod illis opus habuerunt seu indiguerunt : in quibus scilicet recessu et ablatione victualium notorie confederacionem fregerunt, et penam commiserunt. Dum autem recessus Leodiensis exercitui Brabancie, ab alia parte trans flumen Rure collocato, innotuit, capitanei Brabancie, cum consensu tocius exercitus in crastinum soluta obsidione ob oppido Ruremunde, inexpugnato licet viriliter oppugnato, recedentes, terram Juliacensem iterum reintrarunt, et totam illam regionem cedibus, incendiis et rapinis perlustrando devastarunt. Et inter cetera oppidum Lennich, duobus fossatis et vallo per girum bene fortificatum et munitum, incolis abinde fugientibus, ceperunt et spoliarunt, ubi magnam quantitatem vini Renensis, sed nullum panem invenerunt, quod tandem combusserunt, et totaliter portis et muris eversis destruxerunt.

Altera vero die capitanei libenter profecti fuissent versus urbem Aquensem, sed ob rogatum domini Walrami comitis Sancti Pauli, cujus pater Guido olim in bello de Baeswilre in servicio Wenceslai ducis Lucemburgensis et Brabancie fuit occisus, et ipse comes Walramus capitaneique direxerunt exercitum et expedicionem versus oppidum de Gulick, unde

duces Juliacenses titulum gerunt: ad quod dum venirent, viderunt incolas ejusdem cum bonis suis, que portare poterant, ipsum oppidum exire, quare dicti capitanei in crastinum cum machinis et ingeniis bellicis ipsum oppidum assultare et oppugnare decreverunt, habentes firmam spem, quod ipsum expugnare possent. Sed nocte superveniente dominus Walramus comes Sancti Pauli fecit taliter cum ejusdem oppidi incolis tractari, quod, ne expugnarentur neque incendio lederentur, sibi promiserunt, et in brevi bene persolverunt summam triginta millium florenorum Renensium, quam summam totus exercitus Brabancie sibi bene favit et nullam partem inde habere voluit, propter grata servicia per ipsum patrie Brabancie impensa. Et sic die sequenti dicti capitanei cum predicto exercitu iter arripuerunt versus urbem Aquensem predictam, omnes villas in itinere situatas incendiis et rapinis depopulantes. Dicta autem die capitanei miserunt ad urbem Aquensem, petentes quatenus ipsis victualia suis pro denariis vellent transmittere, quod Aquenses facere denegarunt.

Circa idem tempus fuit dedicacio septennalis in basilica Beate Marie, pro indulgenciis peccaminum consequendis a beato Karolo magno, imperatore Romanorum et Francorum rege, impetratis, et a beato Leone papa, qui ipsam basilicam consecravit, concessis: quare peregrini tunc temporis in Aquis existentes, timentes a gentibus armorum in itinere depredari, se mutuo congregaverunt, numero quasi quinque millia: quos cum exploratores exercitus Brabancie vidissent de extra urbem Aquensem venire, credebant ducem Gelrie ibi fuisse, qui ipsos vellet debellare. Capitanei hoc percipientes et totus exercitus, de adventu ducis Gelrie multum gavisi, animo bellandi acies suas ordinarunt: sed dum capitanei cognoverunt illos fore peregrinos, jusserunt et clangenti tuba preconizari fecerunt, quod quilibet quiete se teneret, et se de loco ad locum non moveret, sed ipsos peregrinos per medios exercitus secure et libere dimitteret pertransire; quodque nullus dampnum aut gravamen illis inferret, sub capitis pena. Et sic capitanei fecerunt dictos peregrinos per unam leucam, ne depredarentur, manu armata conduci.

Post transitum et recessum peregrinorum, capitanei cum exercitu proficiscentes prope urbem se collocarunt, et iterum in urbem pro victualibus emendis et habendis miserunt. Tunc Aquenses miserunt unam bigam dumtaxat cum panibus oneratam; et quia tam modici panes inter tot viros

non profuissent, sed magna rixa in divisione panis hujusmodi inter ipsos fortassis insurexisset, dicti capitanei, animo indignanti et irato, ipsis bigam cum panibus remiserunt, intimantes eisdem, quia exercitui Brabancie pro precio et denariis suis victualia vendere recusarunt, antequam abinde recederent, ipsos taliter circumcirca illuminarent, quod de nocte absque lucerna infra urbem suam bene incedere possent. Die vero sequenti, cum aurora radios sue lucis representaret, capitanei cum exercitu Brabancie prope urbem Aquensem transeuntes, quia Aquenses ipsis victualia vendere noluerunt, ut premittitur, omnes villas omnesque curtes et domos infra regionem et libertatem Aquensem situatas flammis exurentes, ad montem Sancti Salvatoris ascenderunt, ubi unus alium propter fumum ignis cognoscere vix potuit. Deinde vero ulterius proficiscentes, de nocte prope Withem se reclinaverunt, ubi panis et aliorum victualium a Trajecto transmissorum sufficienciam habuerunt. Abhinc die sequenti per Trajectum transeuntes ad propria remearunt : qui mensis julii die XVI^{a} exiverant, et per dies XXXVIII continuos in expedicione fuerunt, antequam in Brabanciam redirent.

De electione Ruperti comitis palatini Reni et Bavarie ducis, et ejus coronacione in regem Romanorum; et de pace facta inter Johannam ducissam Brabancie et Wilhelmum ducem Gelrie et patrias eorundem. CAP. LXVIII.

1399. Supra in gestis Wenceslai Romanorum et Bohemie regis scribitur, qualiter et ob quam causam ipse per Bonifacium papam IX^{um} fuit destitutus de imperio sive regno Romanorum : post cujus destitucionem electores imperii, ad hoc apud Franckenvorde congregati, anno Domini M° CCC° XCIX° elegerunt in Romanorum regem dominum Rupertum comitem palatinum Reni et ducem Bavarie, communiter appellatum ducem Heidelbergensem, tempore Bonifacii pape noni, qui dictum regem Wenceslaum deposuerat, sub obediencia Romana, et tempore Benedicti pape XIII^{i} de obediencia Gallicana. Hic fuit eodem anno, paulo post quam exercitus Brabancie fuerat in terra Juliacensi et Gelrie et ante urbem Aquensem, coronatus in Aquisgrani, ut moris est, ubi Wilhelmus dux Gelrie et Juliacensis venit ad eum, sibi querulose significans dampna inextimabilia per exercitum Bra-

bancie imperio et civibus Aquensibus, necnon eidem duci in terris suis Gelrie et Juliacensi, cedibus et rapinis ac incendiis hostiliter illata: tantumque procuravit, quod dictus Rupertus rex sibi promisit, quod in estate futura cum potencia rediret, patriam Brabancie sibi et Romano imperio devolutam petiturus et recepturus, et, in casu inobediencie et rebellionis, ipsam patriam Brabancie, auxilio principum et fidelium imperii, ad suam et imperii obedienciam vi armorum de facto adepturus: in quo supradictus dux Gelrie sibi totis viribus suis assistere promisit. Et sic predictus rex corona adepta ad Bavariam remeavit. Quod dominus Philippus dux Burgundie percipiens, statim mandavit omnibus comitibus, baronibus, militibus et aliis nobilibus fidelibus suis, in terris et dicionibus suis utriusque Burgundie, imperialis scilicet et regalis, Flandrie, Arthesie, Nyvernensis et Registetensis constitutis, rogavitque quamplures magnates et nobiles regni Francie, quatenus se pararent ad arma, secum in estate futura profecturi in expedicione sua contra ducem Gelrie et Juliacensem predictum, quem Dei omnipotentis auxilio ac virtute suorum fidelium taliter debellare proposuit, quod de cetero dominam ducissam Johannam materteram suam et ejus patriam Brabancie in pace dimittere deberet, et cum Ruperto Bavarie, suo pretenso rege, amplius comminari non auderet.

Dux autem Gelrie, dum premissa ad ipsius venerunt noticiam, potenciam ducis Burgundie veritus, tantum procuravit apud amicos suos in curia ducisse Brabancie existentes, quod una dieta fuit ordinata, amicabiliter et pro pace tractanda apud Ravensteyn tenenda per et inter consiliarios et amicos ducisse Johanne et ducis Wilhelmi predictorum. Ad quam dietam fuerunt missi, ex parte ducisse predicte: Swederus dominus de Gaesbeke, Wilhelmus dominus de Craendonck, dominus Johannes de Calstris, miles, et dominus Reynerus Goethere, prepositus ecclesie Sancti Servatii Trajectensis; et, ex parte ducis Gelrie, dominus de Rysserscheyt, dominus de Culenborch, dominus de Oy et dominus de Mere: qui octo, antequam Ravensteyn exirent, fecerunt et tractaverunt pacem integram inter ducissam et ducem antedictos ipsorumque adjutores et subditos ab utraque parte. Hec pax facta fuit in Ravensteyn anno Domini M° CCC° XCIX°, ipso die beati Bonifacii [1].

[1] Cfr. Butkens, t. I p. 520, et Nyhoff, *Gedenkw. van de Gesch. van Gelderland*, t. III p. 215 et sqq.

In hujusmodi siquidem pace facta fuit inter cetera tractatum et concordatum, quod Wilhelmus filius bastardus ducis Gelrie suprascripti, dominus de Kuyck, oppidum de Gravia cum suis attinenciis et omnibus juribus, sicut domini de Kuyck, qui ante hec tempora fuerunt, dictum oppidum de Gravia cum suis pertinenciis a ducibus Brabancie hactenus in feudum relevare et tenere solebant, relevabit et habebit a dominua ducissa Brabancie prelibata, que ipsum de hoc oppido infeudavit cum literis suis in forma ad hoc requisita, sic quod dictum oppidum de Gravia cum suis pertinenciis jure feudali semper ad Brabanciam manebit; et insuper quod, quamdiu ipse dux Gelrie vixerit, memorate ducisse Johanne, ejusque oppidis, castris, terris, hominibus, subditis et servitoribus, ex oppido de Gravia neque ejus attinenciis, exeundo neque iterum in eodem redeundo, nullum dampnum inferetur a predicto duce Gelrie, nec ejus oppidis, castris, terris, hominibus neque servitoribus, quoquo modo, absque fraude et dolo; quodque pari modo oppido de Gravia neque terris ad ipsum pertinentibus eciam nullum dampnum inferri debebit per dominam ducissam Brabancie antedictam, neque ipsius oppida, castra, terras, homines, subditos neque servitores, ex ejusdem domine ducisse terra Brabancie, exeundo neque iterum redeundo in eadem. Quam quidem ordinacionem de predicto oppido de Gravia, sicut premittitur, concordatam, memoratus dux Gelrie promisit in bona fide stabilire atque firmam tenere et observare, et non contra facere modo quocumque, prout hec omnia patent per ipsius ducis Gelrie literas patentes desuper confectas, ipsius impendente sigillo sigillatas, quas in majoris roboris firmitatem, ad ejusdem ducis requisicionem et rogatum, Johannes dominus de Ryfferscheyt, Theodoricus de Bronchorst, dominus de Batenborch, Hubertus dominus de Culenborch, Alardus dominus de Bueren, Gerardus dominus de Weerdenborch et Johannes baro de Molenarch, necnon oppida de Nymegen, de Ruremunde, de Zutphen et de Aernhem ipsorum impendentibus sigillis eciam sigillaverunt, in testimonium veritatis tractatus et concordie facte de oppido Gravensi predicto. Datum anno Domini M° CCC° XCIX°, die lune proxima post festum Bonifacii episcopi. Et erant dicte litere in plica sic signate : Per dominum ducem, presentibus de consilio dominis Johanne de Hoenselaer, dicto Vanden Velde, Roberto de Appelteren et Otthone de Bylant, militaribus.

De qua quidem pace dux Burgundie, sic absque ipsius scitu et voluntate tractata, fuit pessime contentus de illis qui ipsam fecerunt, quare dictum prepositum, quamdiu vixit, in odio habuit, adeo quod in ejus presencia venire non audebat; alios tres per medium ducisse Johanne in graciam suam recepit. Dux vero Burgundie pro preparamento expedicionis sue future, ut dicebatur, plus quam XII millia coronarum Francie, antequam pax fuit facta, jam exposuerat.

Supradictus vero rex Rupertus, Aquisgrani, ut premittitur, in regem coronatus, ad coronam regni Italie necnon ad imperialem coronam aspirans, associatus principibus electoribus, ecclesiasticis et secularibus, ac aliis Alemannie principibus, magnatibus et imperii fidelibus, in multitudine copiosa Alpium aspera juga transcendere sive transire temptavit, magnis laboribus et expensis, animo et intencione ulterius proficiscendi, primo ad civitatem Mediolanensem, ab archiepiscopo ibidem pro corona Italie, et deinde versus urbem Romanam, pro imperiali diademate a domino apostolico adipiscendis; sed obstantibus sibi Venetianis, ab una parte, et Gebellinis, qui partem regis Wenceslai fovebant, ab altera, suo frustratus desiderio, coronas hujusmodi adipisci nequivit.

Hic Rupertus fundavit studium universale Heydelbergense, dotavit et privilegiavit notabiliter, erigendo ibidem unam notabilem ecclesiam collegiatam, in qua sunt semper tres doctores sacre theologie, similiter tres in jure canonico, unus doctor in medicinis, unus doctor theologie, qui sit predicator, tres magistri in artibus, et duodecimus est eorum decanus, qui debet esse unus doctor de facultate theologie aut juris canonici; eciam plebanus ecclesie debet esse ad minus bacularius formatus in theologia. Hujus eciam tempore fundatum fuit studium universale in Colonia, quod ipse mirabiliter privilegiavit, ad instar studii Parisiensis.

Hic plures labores fecit ad tollendum scisma in Dei ecclesia, sed nichil profecit. Hic Rupertus rex regnavit annis undecim, et obiit Heydelberge, ubi cum sua regina in choro ecclesie est sepultus.

Hujus Ruperti regis tempore hii pontifices prefuerunt Romane ecclesie: scilicet Bonifacius IX^us in Roma, et Benedictus XIII^us in Avignione, de regno Arragonie, qui antea vocabatur Petrus de Luna, Sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis; Innocencius VII^us, nacione Romanus, qui fuit Rome electus anno Domini M° CCCC° IV°, qui ante electionem suam

vocabatur Cosmatus de Celinova: Gregorius XII[us], nacione Venetus, qui ante suam electionem Angelus Corario vocabatur : hic fuit Rome electus anno Domini M° CCCC° VI°; et Alexander V[us], qui fuit ab utroque cardinalium collegio, scilicet Benedicti XIII[i] et Gregorii XII[i], in papam electus in concilio Pisano, anno Domini M° CCCC° IX° mensis junii XXVII[a]. Hic ante electionem vocabatur frater Petrus de Candia, ordinis fratrum Minorum, solempnissimus doctor in theologia.

Qualiter et ob quam causam Philippus dux Burgundie venit in Brabanciam penes ducissam Johannam, materteram suam, que sui contemplacione fecit congregari tres status Brabancie ad dietam in Bruxella. CAP. LXIX.

Philippus Francorum quondam regis filius, dux Burgundie, comes Flandrie, etc., attendens quod Margareta ducissa, uxor sua, neptis domine Johanne ducisse Brabancie, scilicet filia sue sororis quondam Margarete de Brabancia, comitisse Flandrie, que primo et immediate post eandem Johannam fuit nata, racione et jure nature personam ejusdem sue matris representans, dicte ducisse Johanne tamquam ejus heres proximior debebat succedere, post suum decessum, in ducatum et patriam Brabancie: et ut ipsa ducissa Johanna sibi et dicte uxori sue et filiis sive heredibus suis, in presencia et cum consensu trium statuum patrie Brabancie, hujusmodi successionem recognoscere, et super hoc eosdem status congregare vellet, instanter postulavit, quodque hoc propter bonum publicum dicte patrie sue necessarium videretur, ad evitanda magna inconveniencia, post ejus decessum verisimiliter eventura, et signanter propter quandam ordinacionem dudum inter eandem ducissam Johannam et ducem Wenceslaum ejus consortem, authoritate et consensu Karoli quarti Romanorum imperatoris, super successione sive successiva devolucione patrie Brabancie factam, ut dicitur, continentem inter cetera, quod, si predictos ducem Wenceslaum et ducissam Johannam sine liberis ab eorum corporibus procreatis mori contigerit, quod tunc dicta patria Brabancie ad proximiorem domus sive prosapie Lucemburgensis heredem, qui pro tempore fuerit, libere devolveretur : ob quam rem post dicte ducisse Johanne decessum multe divisiones et discordie essent verisimiliter eventure, quod Deus avertat.

Quapropter eadem ducissa ad certam diem predictos tres status in Bruxella congregari fecit. quibus congregatis, dominus Philippus dux Burgundie prelibatos ducissam et tres status racionibus suprascriptis prenarratis requisivit, quatenus post ejusdem ducisse decessum supradicte Margarete ducisse uxori sue et filiis sive heredibus suis successionem predictam recognoscere vellent, ipse, per misericordiam Dei et suorum subditorum et amicorum fretus auxilio, speraret ipsos defendere et tueri a quorumcumque emulorum et adversariorum incursibus, ac in pace et tranquillitate manutenere. Ad quod dicti tres status unanimiter sibi responderi fecerunt, quod nullum alium dominum aut aliam dominam recognoscerent quam dominam Johannam, quamdiu vitam duceret in humanis : post cujus decessum dicti tres status se quitarent bona fide ac juste et legaliter, ut tenentur, in illum qui de jure verus dominus esse tenetur. De qua responsione ipse dux Philippus non fuit bene contentus, quare ut prius ipsos requisivit, quatenus predicte uxori sue, unice et legitime dicte ducisse Johanne heredi, ac filiis et heredibus suis jus successionis sue recognoscere vellent : ipsis eciam pro illo obtulit transferre ad Brabanciam perpetuo permansura oppida sua Antwerpiense et Mechliniense, cum appendenciis suis, necnon oppidum et terram de Dendremonde, in manibus patrie Brabancie, donec ad eandem patriam suis custibus et expensis oppidum de Gravia et terram Kukensem libere transportasset seu deliberasset. Sed quidquid ipse Burgundie dux obtulit, pro tunc aliam responsionom habere non potuit.

Qualiter Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex suam notabilem ambassiatam misit in Lovanio. Cap. LXX.

Dum vero ad supradicti Wenceslai Romanorum et Bohemie regis ac ducis Lucemburgensis pervenit noticiam, qualiter Philippus dux Burgundie, nomine uxoris sue, proximioris heredis domine Johanne, a tribus statibus Brabancie requisivisset, quatenus sibi, filiis et heredibus suis, recognoscerent jus successionis in patria Brabancie post ejusdem ducisse Johanne decessum, quare suos solempnes nuncios destinavit in oppido Lovaniensi, ubi ipsi nuncii tribus statibus Brabancie, ibidem ad eorum

requestam congregatis, ex parte dicti regis exposuerunt tenorem literarum cujusdam translacionis ducatus et patrie Brabancie, authoritate et consensu quondam Karoli quarti in ducem Wenceslaum ejus consortem alias facte, ut asseruerunt, continentis inter cetera quod, si ipsam ducissam sine liberis sive heredibus contingeret decedere, tunc post ejus decessum dictus ducatus Brabancie ad proximiorem domus sive prosapie veniret. Quare ex parte ejusdem regis, qui est verus et indubitatus dux Lucemburgensis, ac ex domo et prosapia Lucemburgensi exortus, predictos tres status requisiverunt, quatenus eundem regem et Lucemburgensem ducem juxta predictarum literarum tenorem pro vero herede et futuro hereditario domino ducatus Brabancie prescripti cognoscerent tenerentque; quodque nullum alium post memorate ducisse Johanne decessum in eorum dominum, in contrarium literarum predictarum et ejusdem regis prejudicium, admittere neque recipere curarent. Super quo predicti tres status dictis nunciis responderi fecerunt, quod ipsi post prefate ducisse Johanne decessum cum quolibet se haberent sicut de jure facere tenerentur.

Dux vero Burgundie, dum predicti regis Bohemie requisicio ad ejus devenit noticiam, ne jus uxori sue, nepti et vere heredi ducisse Johanne predicte, post ejusdem ducisse mortem in ejus successione quesitum, sibi, suis filiis et heredibus tolleretur, remediis opportunis providere desiderans, amicos sibi in curia dicte ducisse Johanne inter barones et alios ejusdem ducisse consiliarios acquisivit : per quorum medium tantum procuravit, quod ipsa ducissa ordinavit, quod ducissa Burgundie, neptis sua, tamquam heres sua proximior, filii et heredes sui sibi succedere debeant in ducatu Brabancie in decessu suo, quem ut ejus verum allodium donacione inter vivos ipsis donavit, salvo sibi usufructu, etc.

Et insuper ipse dux Burgundie eciam impetravit, quod dicta ducissa Johanna, in presencia sui consilii, prelatorum, nobilium et deputatorum bonorum oppidorum, tres status Brabancie representancium, et de consensu eorum, consentiit et voluit, quod Anthonius, nepos suus, filius secundogenitus ducis et ducisse Burgundie, post suum et sue matris decessum sit dux Brabancie, juxta partificacionem per dictos ducem et ducissam Burgundie inter filios suos factam, prout infra immediate gracia Dei per ordinem cum nonnullis aliis tractatibus successive patebit.

Domina Johanna ducissa Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et

Lymburgis, etc., ordinavit, quod Margareta ducissa Burgundie, neptis sua, scilicet filia sororis sue Margarete, quondam comitisse Flandrie, tamquam heres sua proximior, filii, heredes et successores ejus sibi succedere debeant in ducatu et patria Brabancie post ejus decessum, quos donacione inter vivos ipsis donavit, salvo sibi usufructu, etc.

Memorata Johanna ducissa Brabancie, attendens quod domina Margareta ducissa Burgundie, neptis sua, scilicet filia sue sororis quondam domine Margarete de Brabancia, comitisse Flandrie, que primo et immediate post eandem ducissam Johannam fuit nata, racione et jure nature personam ejusdem sue matris comitisse Flandrie representans, sibi debeat succedere post suum decessum in ducatu et patria Brabancie, et quod necessarium foret, propter bonum publicum ejusdem patrie Brabancie, ad gubernandum et manutenendum eandem in pace et tranquillitate, et evitandum magna inconveniencia post ejus decessum verisimiliter eventura, si post decessum ejusdem ipsa patria sua Brabancie maneret in divisione et discordia, quodque eadem patria sua per illustrem principem dominum Philippum, Francorum quondam regis filium, ducem Burgundie, comitem Flandrie, etc., suum nepotem et maritum neptis sue prelibate, melius, potencius et securius posset manuteneri et gubernari in pace et tranquillitate contra omnes quam per quemcumque alium principem, dominum aut dominam; et quod, propter plures alias causas justas et racionabiles ipsam in ejus consciencia ad hoc moventes, prelibata ducissa Johanna ad conplacendum suo Creatori, et ob anime sue remedium et salutem, bene consulta et avisata, magna et matura deliberacione prehabita, ex certa sciencia ordinavit, quod supradicti nepos et neptis sui, eorum liberi, heredes et successores, immediate post ejus decessum, predictos ducatum et patriam Brabancie possiderent, atque eisdem pacifice gauderent et fruerentur; et ex nunc, prout ex tunc, propter majorem securitatem, attento quod ipsum suum ducatum in liberum et francum teneret allodium, donavit, concessit et transportavit prefatis nepoti et nepti suis, pro ipsis, ipsorum liberis, heredibus et successoribus, donatione inter vivos, pure et irrevocabiliter in perpetuum, suos ducatum et patriam Brabancie antedictos, quantum ad dominium et proprietatem, cum pertinenciis et dependenciis eorundem, retento et reservato sibi, quamdiu vitam duceret in humanis, usufructu et vite ductu, ac perceptione et fruicione fructuum, reddituum, proventuum

et emolumentorum ducatus et patrie sepedictorum et exercicii dominii eorundem, se a dominio et proprietate ipsorum devestiendo ad profectum et in manus prelibatorum nepotis et neptis suorum per modum supradictum, facientes ipsos veros dominos, possessores et proprietarios, salvis et reservatis sibi suo usufructu et vite ductu et exercicio dominii, prout superius est expressum. Et ex habundanti se constituit et stabilivit tenere et possidere predictos ducatum et patriam Brabancie tamquam usufructuariam pro dictis suis nepote et nepte, tamquam veris legitimis possessoribus et proprietariis, conservando, pro ipsis et nomine ipsorum, et post eorum decessum pro suis liberis, heredibus et successoribus, dominium et proprietatem ducatus et patrie predictorum.

Voluit insuper et ordinavit eadem ducissa Johanna, quod immediate post suum decessum predicti sui nepos vel neptis, vel eorum filii, heredes et successores, possent apprehendere corporaliter, realiter et de facto possessionem corporalem et saysinam suorum ducatus et patrie Brabancie, cum pertinenciis et dependenciis eorumdem, necnon uti atque frui pacifice villis, castris, fortaliciis, terris, feudis et redditibus, proventibus, nobilitatibus et dominiis atque juribus et aliis negociis quibuscumque : mandantes et injungentes districte omnibus capitaneis, castellanis et gardiatoribus castrorum, villarum, fortaliciorum, passuum, pontium et districtuum suorum ducatus et patrie Brabancie prefatorum, quatenus immediate post suum decessum darent et deliberarent plenarie sine difficultate prefatis suis nepoti et nepti, vel eorum filiis, heredibus et successoribus, omnia castra, villas et fortalicia, portus et districtus, de quibus tunc custodiam habuerunt; ac universis baronibus, militibus, scutiferis, vasallis et aliis ab ipsa feuda tenentibus, quatenus immediate post suum decessum dictis suis nepoti et nepti ac eorum filiis, heredibus et successoribus facerent homagium, et prestarent fidelitatis juramentum; necnon omnibus bonis villis dictorum ducatus et patrie Brabancie, scabinis, burgensibus et habitatoribus eorumdem, quatenus sepedictis suis nepoti atque nepti ipsorumque filiis, heredibus et successoribus obedirent, tamquam veris ducibus et dominis Brabancie, et ipsis prestarent juramenta consueta : et similiter senescallo, receptori generali Brabancie, balivis, scultetis, prepositis, magistris nemorum, forestariis, servientibus, et aliis officiariis suis quibuscumque, qui pro tempore fuerunt, quatenus supradictis duci et ducisse.

suis nepoti atque nepti, filiis et heredibus ipsorum obedirent, tamquam eorum veris domino et domine, et ipsis prestarent juramenta talia sicuti pertinerent. Prout hec et quedam alia plenius et luculencius habentur in supradicte ducisse Johanne literis in lingua gallicana conscriptis, ex quibus prescripta in latinum sunt translata, desuper confectis. Que fuerunt date Tornaci die XXVIII^{a} mensis septembris, anno Domini M^{o} CCC^{o} XC^{o}. Et 1390.
erant dicte litere sic signate : Per dominam ducissam, presentibus dominis Johanne domino de Bouchout et Johanne de Ophem magistro Hospicii, militibus. Jo. de Gravia.

Qualiter Philippus dux Burgundie secundario venit in Bruxella, et tantum fecit et tractavit, quod ducissa Johanna consentiit et voluit, quod Anthonius de Burgundia nepos suus sit dux Brabancie, post suum et neptis sue domine Margarete Burgundie, matris ejusdem Anthonii, decessum, juxta tenorem literarum partificacionum inter tres fratres. Cap. LXXI.

Subsequenter vero memorata ducissa Johanna per alias suas patentes 1403
certi tenoris literas notum fecit universis, quod per sepefatum illustrem principem dominum Philippum ducem Burgundie, nepotem suum, in presencia sui consilii, prelatorum, nobilium et deputatorum bonorum oppidorum, representancium tres status Brabancie, sibi graciose extiterat significatum, qualiter ipse et neptis ipsius ducisse Johanne, Margareta, uxor sua, ejusdem ducisse Johanne heres proximior, sola et universalis, considerantes se fore mortales, nescientes quamdiu vivere haberent, dissensio et controversia inter filios ipsorum propter eorum terras et dominia, que habent, et ipsis verisimiliter debeant advenire, et quod dicta terre dominia manerent integra et indivisa neque dimembrata, haberent desiderium et voluntatem inter tres filios suos masculos, scilicet Johannem, Anthonium et Philippum, per consensum et voluntatem ejusdem ducisse Johanne, faciendi partificacionem et divisionem de predictis suis terris, dominiis, que jam haberent, et verisimiliter essent adventura, tradendo et assignando unicuique ipsorum talem porcionem, quod racione dictante quilibet ipsorum merito deberet contentari.

Et quia scirent, quod incole dicte patrie Brabancie desiderarent secum

dominum suum habere ad ipsos gubernandum, defendendum, succurrendum atque adjuvandum, dum opus fuerit, quodque Johannes, filius senior sive primogenitus, pro sua porcione ad gubernandum haberet alia plura magna dominia, ipsi inter cetera avisaverunt, pro bono publico supradicte patrie Brabancie et subditorum ejusdem, quod predictus Anthonius, filius ipsorum secundogenitus, haberet pro sua partificacione ducatum Brabancie, comprehensis villa sive oppido, terra et castellania Antwerpiensi, ducatu Lymburgensi cum aliis terris ultra Mosam; et, si dictus Anthonius decederet, relinquens filios masculos sive femellos ex suo corpore de legitimo matrimonio procreatos, prelibata ducissa Johanna et ejus nepte ducissa Burgundie viventibus, quod iidem filii representarent Anthonium ipsorum patrem, et quod senior eorumdem filiorum masculus, aut senior filia, si masculum non habuerit, haberet post eorumdem ducisse Johanne et neptis sue decessum ducatum Brabancie, comprehensis Antwerpia, ducatu Lymburgensi et aliis terris ultramosanis supradictis, sicuti et quemadmodum haberet predictus Anthonius, si adhuc vitam duceret in humanis, cum nonnullis aliis causis et racionibus per predictum ducem Philippum coram memorata ducissa Johanna ejusque consilio et tribus statibus Brabancie propositis et allegatis: eandem ducissam Johannam pro se et dicta nepte sua ducissa Burgundie affectuose deprecantes et requirentes, quatenus ipsa suprascriptum eorum avisamentum vellet ratificare, laudare, consentire et accordare, attento quod Johannes et Anthonius, eorum filii supradicti, in dictum eorum avisamentum suum prestitissent assensum et consensum, ipsumque haberent gratum et ratum: quodque dicta ducissa Johanna ipsis super premissis suas vellet dare literas patentes desuper oportunas.

Super quibus quidem peticionibus et requestis memorata ducissa Johanna, maturis deliberacione et consilio prehabitis, consideratisque considerandis, et signanter utilitate et profectu predicte patrie sue et subditorum ejusdem, consentiit, laudavit, approbavit, ratificavit et accordavit omnia et singula per prelibatum nepotem suum ejusque uxorem, suam neptem et proximiorem suam heredem, avisata et ordinata. Et ex tunc voluit et expresse consentiit, quod, post suum ejusque neptis decessum, Anthonius predictus ejus filius foret dux Brabancie, comprehensis Antwerpia et ducatu Lymburgensi ac dominiis aliarum terrarum et dominiorum superius declaratorum, prout hec et quedam alia lacius declarantur in

supradictis literis desuper confectis, avisamentum suprascriptum concernentibus. Que quidem litere in lingua gallicana confecte, ex quibus supradicta sunt extracta sive translata, fuerunt date Bruxelle, die XXIX[a] septembris anno Domini M° CCCC° III°, et erant dicte litere sic signate : De speciali proprio mandato domine ducisse. W. Bont.

Qualiter ducissa Brabancie nepti sue ducisse Burgundie contulit et commisit regimen et gubernationem ducatus Brabancie sub certis condicionibus infra declaratis. Cap. LXXII.

Deinde vero, postquam memorata ducissa Johanna Brabancie, certis justis et racionalibus causis animum suum ad hoc moventibus, cum prelibato domino Philippo duce Burgundie, suo nepote consorteque legitimo domine Margarete, neptis ac solius et unice heredis sue, qui ea de causa venerat ad se et ad terram suam Brabancie, convenerat et concordaverat, quod eidem duci Philippo suo nepoti committere et in ipsum transferre deberet, quamdiu vitam duceret in humanis, regimen et gubernacionem ducatus sui Brabancie, cum universis et singulis pertinenciis suis, sub certis condicionibus, modis atque formis in tractatu desuper concepto et inchoato comprehensis et declaratis, idem dux Philippus, ante hujusmodi tractatus consummacionem, gravi sibi superveniente morbo laborans, et repatriare proponens, in recessu suo de Bruxella in oppido de Hal ab hoc seculo migravit.

Quem quidem tractatum post ipsius ducis decessum, qui morte preventus ipsum perficere et ad effectum ducere nequivit, supradicta ducissa Margareta ejusque duo majores filii, Johannes et Anthonius, ratum et gratum habentes, ipsumque cum dicta ducissa Johanna confirmare et perficere desiderantes; et pari modo eadem ducissa Johanna, ob singularem amorem et affectum, quos ad predictum quondam ducem Philippum gerebat, dum viveret, ac eciam perfectam et indubitatam fidem, quam habuit in suam neptem ducissam Burgundie ejusque filios, suos nepotes supradictos, cupiens atque volens tractatum hujusmodi in personam ejusdem neptis sue perficere, quemadmodum inter ipsam et dictum ducem Philippum bone memorie conceptus fuerat : quapropter eadem ducissa Johanna, animo

deliberato, sua mera, spontanea et libera voluntate, propter pacem, concordiam commodumque, utilitatem et profectum sibi et communi patrie sue Brabancie verisimiliter provenientes, de magna fidelitate et perfecta legalitate neptis et nepotum suorum predictorum plenarie confidens, eidem ducisse Margarete nepti sue supportavit, cessit, donavit et in ipsam transtulit regimen et gubernacionem ducatus sui Brabancie predicti, dans sibi et alteri filiorum suorum predictorum, quem in suum locum tenentem per ejus literas patentes duceret ordinandum et substituendum, plenariam et omnimodam potestatem castellanos castrorum, senescallum, receptorem generalem, magistros nemorum et warandiarum et alios quoscumque officiarios, receptores, scabinos et alios justiciarios ponendi et destituendi, justiciam altam, mediam atque bassam exercendi, fructus, redditus et proventus recipiendi et levandi, et generaliter omnia alia et singula faciendi, quamdiu ipsam vivere contigerit, que ipsamet faceret et facere posset, si premissam translacionem sive transportacionem non fecisset : salvo quod occasione premissorum predicta ducissa Burgundie, neptis sua, sibi quolibet anno tradere et persolvere teneretur XXVIII millia coronarum cugni regis Francie, aut valorem earundem, in quatuor terminis anni, scilicet in festis Nativitatis sancti Johannis Baptiste, Sancti Bavonis, Nativitatis Christi et Pasche, in quolibet termino septem millia coronarum predictarum, sua vita durante; salvis eciam et reservatis sibi feudis et homagiis et juribus inde provenientibus, et similiter collocacionibus, presentacionibus et institucionibus prebendarum, ecclesiarum et aliorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum in Brabancia, et pari modo institucione forestariorum, exceptis forestariis nemorum et silvarum : item medietatem proventuum monete.

Item, quod quolibet anno haberet duo millia cuniculorum inter festa Remigii et carnisprivium, et medietatem omnium silvestrium bestiarum, cervorum, hinnulorum, aprorum, et aliorum que pro tempore caperentur; quodque tenere posset tres famulos ad capiendum perdices pro domo sua; et quod pro combustilibus suis quolibet anno haberet XXIIII millia asmatarum [1] lignorum, ac mille et quingenta modia carbonum, et trecentas corweydas curruum : quodque moram continuam traheret et suum statum

[1] Lege *asinatarum*. Sumitur *asinata* pro onere quod ferre possit asinus.

teneret Bruxelle in curia sua apud Frigidum Montem. et pro se haberet curtem de Nuwermolen cum molendino et aliis pertinenciis suis. et eciam haberet liberum introitum et exitum omnium castrorum et oppidorum Brabancie pro sue libito voluntatis. Reservavit eciam usumfructum suum quem annuatim habuit super oppidum Lovaniense, necnon duwarium suum in Hollandia et terram Lucemburgensem cum arreragiis, pro quibus consequendis supradicta ducissa Burgundie, neptis sua, vel alter filiorum suorum predictorum, quem in locum tenentem suum substituerit, operam daret. et omnimodam potestatem de predicto duwario cum arreragiis persolucionem consequendam plenariam et integram: offerens sibi pro suis labore et expensis medietatem de hiis que de hujusmodi duwario et arreragiis consequi possit. Fuit eciam convencionatum. quod ipsius ducisse Burgundie locum tenens, scilicet unus filiorum suorum predictorum, continuam residentiam teneret in Brabancia. et quod ipsa neptis sua et ejus locum tenens tenerentur dictam terram Brabancie, prelatos, nobiles, oppida. habitatores et incolas ejusdem terre regere, manutenere et defendere ab injuriis et violenciis ipsis illatis vel inferendis. ac tenere et observare eorum jura, privilegia, libertates et franchiseas, omniaque alia et singula facere. que bonus et fidelis gubernator et locum tenens terre Brabancie facere tenetur. Quocirca sepetacta ducissa Johanna districte precipiendo mandavit universis et singulis vasallis, officiatis et subditis suis. quatenus prenominate ducisse Burgundie. nepti sue, et dicto ejus locum tenenti in omnibus et singulis fideliter parerent et intenderent. tamquam sibimet ipsi, quamdiu vitam ducerent in humanis, prout suprascripta in multis clausulis. punctis et articulis in literis patentibus ejusdem ducisse Johanne desuper confectis plenius continentur, que fuerunt date Bruxelle. die septima mensis maii anno M° CCCC° IIII°.

Qualiter ducissa Burgundie promittit ducisse Johanne matertere sue servare et adimplere omnia et singula in ejusdem ducisse Johanne literis comprehensa. Cap. LXXIIII.

Memorata vero domina Margareta ducissa Burgundie per patentes suas 1404
contra-literas promisit. sub ejus fide et honore. prelibate ducisse Johanne.

matertere sue, satisfacere, observare et fideliter adimplere omnia et singula in ejusdem sue matertere literis contenta et expressata, que eciam in suis literis sunt inserta, et specialiter de solucione XXVIII millium coronarum annuatim. Et ad majorem securitatem solucionis predicte obligavit per modum pignoris redditus et proventus oppidi sui Mechliniensis atque dominium, fructus et emolumenta oppidi sui Antwerpiensis, etc., consentiens quod, si ipsa aut ejus filius, nomine gubernator Brabancie, in solucione dictarum XXVIII millium coronarum negligens fuerit, quod tunc redditus et proventus oppidorum suorum Mechliniensis et Antwerpiensis eidem matertere sue cederent, quousque, etc., necnon quod subditi terre Brabancie sibi aut dicto gubernatori amplius non parerent neque dicte ejus matertere obedirent, et ad ipsam reverterentur sicut prius, etc. Et ultra premissa promisit et convenit, quod ipsa aut ejus heredes solvere deberent omnia predicte matertere sue justa et racionabilia debita, et de omnibus aliis debitis, que ab ipsa peti possent, indempnem relevare. Et insuper, quod omnes proclamaciones, preconizaciones et mandata publica, que hactenus ex parte ducis sive ducisse Brabancie fieri consueverunt, ammodo fierent de mandato et ex parte sue matertere et filii sui, gubernatoris terre Brabancie predicte, conjunctim : cum multis aliis punctis, articulis et clausulis oportunis in dictis suis literis contentis, quas causa brevitatis hic inserere pretermitto. Et fuerunt litere eciam date predicta die mensis maii anno Domini M° CCCC° IIII° predicto.

Commissio per dictam ducissam Burgundie Anthonio filio suo secundogenito de regimine et gubernacione ducatus Brabancie concessa. Cap. LXXIV.

1404. Item sepedicta ducissa Burgundie, vigore potestatis per prelibatam ducissam Johannam, materteram suam, per suprascriptas literas suas patentes sibi attribute sive concesse, quod alterum filiorum duorum suorum seniorum in gubernatorem ducatus Brabancie et ejus locum tenentem constituere possit; attendens quod in partificacione sive divisione per quondam ducem Philippum ducem Burgundie, suum consortem, et ipsam inter eorum tres filios, Johannem scilicet, Anthonium et Philippum, ordi-

nata, de consensu antedicte ducisse Johanne matertere sue est comprehensum, quod dictus Anthonius succedere haberet in ducatu Brabancie post ejus et dicte sue matertere decessum : quapropter eadem ducissa Burgundie, consideratis racionibus prescriptis, eundem Anthonium suum filium constituit et ordinavit, ex parte ipsius, gubernatorem dicti ducatus Brabancie et ejus locum tenentem in eodem, dando sibi et concedendo plenariam potestatem gubernandi, manutenendi et defendendi in jure et justicia predictum ducatum Brabancie, prelatos et alias personas ecclesiasticas, nobiles, bona oppida, burgenses, subditos et incolas ejusdem, ponendique et ordinandi officiarios, tam judices justicie ministrande, quam receptores aliosque servitores pro custodia castrorum et fortaliciorum, consiliarios quoque, burgimagistros, magistros communitatis, scabinos et juratos, et eosdem revocandi et destituendi, tociens quociens fuerit opportunum, et ab aliis juramenta recipiendi, juxta traditam sibi potestatem per literas matertere sue predicte, salvis exceptionibus in eisdem literis contentis et declaratis; et insuper de fructibus et redditibus, receptis, levatis ac deinde recipiendis et levandis, receptiones computare faciendi, necnon de observandis juribus, jurisdictionibus, privilegiis et libertatibus prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, nobilium, baronum, militum et scutiferorum ac bonorum oppidorum, franchisearum omniumque aliorum subditorum et incolarum terre Brabancie, et de manutenendo ipsos et defendendo in jure et justicia, et tractando secundum legem patrie et secundum jus loci ubi sunt situati, sine hoc quod ab ipsis aliquam talliam sive precariam caperet, quamdiu dicta sua matertera vitam duceret in humanis, juramentum prestandi, cum clausulis, ratishabitacione et aliis in talibus requisitis, quas causa brevitatis inserere omitto, expressatis in literis ducisse Burgundie, que date fuerunt Atrebati, die XIX^a^ mensis maii anno Domini M° CCCC° IIII°.

Juramentum quod dictus Anthonius prestitit patrie Brabancie in receptione gubernacionis ejusdem, contentum in litera sua desuper confecta, cujus copia de vulgari theutonico in latinum translata sequitur et est talis. Cap. LXXV.

1404. « Anthonius de Burgundia, comes Registetensis et castellanus Insulensis, universis presentes literas visuris salutem. Cum illustris principissa domina Johanna, ducissa Lucemburgensis, Brabancie et Lymburgensis, nostra predicta domina et matertera, transtulerit et supportaverit carissime domine et matri nostre, ducisse Burgundie, comitisse Flandrie, Arthesie et Burgundie, occasione certarum convencionum, composicionum et tractatuum inter ipsos factarum, initarum et concordatarum, ac in literis desuper confectis et bene declaratis, regimen et gubernacionem terre et ducatus Brabancie cum pertinenciis suis; et cum eadem domina et mater nostra regimen et gubernacionem ejusdem ducatus per ipsius literas patentes nobis commiserit: hinc est, quod nos expresse recognoscimus per presentes, nos promisisse et tactis sacrosanctis evangeliis corporaliter ad sancta jurasse, quod, statim et incontinenti postquam predicta domina et matertera nutu divino de vita ad mortem pervenerit, prelibatam terram Brabancie cum suis pertinenciis transire permittemus ad prefatam dominam et matrem nostram Burgundie ducissam, legitimam heredem ejusdem. Item promisimus et juravimus, ut supra, prelibatis baronibus, militibus, oppidis, franchiseis et omnibus aliis subditis terre Brabancie firma et stabilia tenere omnia ipsorum jura, cartas et privilegia, usus, observancias, et contra illa non contrafacere per nos vel aliquem alium nostra ex parte, sine malo ingenio: et insuper promisimus, quod moram et residenciam nostram tenebimus in terra Brabancie, salvo quod, quandocumque nobis placuerit vel opus fuerit extra dictam terram abessendi, quod tunc bonum locum tenentem pro nobis et in eadem terra dimittemus, omni fraude et dolo in omnibus causis seclusis. In cujus rei testimonium presentes literas sigilli nostri appensione fecimus communiri. Datum Bruxelle, die VI^{a} junii anno Domini M^{o} CCCC^{o} IIII°. Et erant dicte litere sic signate: Per dominum comitem, presentibus de suo consilio domino Diestensi, domino de Liedekercke, domino Petro de Zype, gubernatore Insulensi, domino de Bosco, et Wilhelmo de Blondelle. Jo. de Opstal. »

De obitu domine Johanne ducisse Brabancie, ac domine Margarete ducisse Burgundie, et eciam domine Marie ducisse Gelrie. Cap. LXXVI.

Johanna vero ducissa Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, nulla ex supradictis duobus maritis suis prole relicta, postquam prefuerat ducatibus Lotharingie, Brabancie et Lymburgis predictis cum marchionatu sacri imperii annis LI, obiit Bruxelle, anno Domini M° CCCC° VI°, mensis decembris die prima, et est ididem sepulta in ecclesia fratrum Carmelitarum. 1406.

Et junior soror ejus, Maria nomine, ducissa Gelrie, etc., nulla prole relicta decessit anno Domini M° CCC° XCIX°, mensis marcii die prima, dicta ducissa adhuc vivente. Margareta vero comitissa Flandrie, soror ducisse Johanne secundogenita, decessit ante ducissam Gelrie predictam. Et Margareta filia comitisse Flandrie, ducissa Burgundie predicta, non diu ante obitum ducisse Johanne sue matertere eciam decessit, ipsa ducissa Johanna superstite, ut premittitur : cui successit in ducatibus Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ac marchionatu sacri imperii Anthonius supradictus, vigore convencionis, divisionis et partificacionis predictarum.

De receptione et intronizacione Anthonii in ducem Brabancie, etc., cum crucibus et vexillis. Cap. LXXVII.

Anthonius supradictus post decessum quondam domine ducisse Johanne bone memorie fuit intronizatus et receptus in ducem Brabancie, etc. : primo Lovanii, anno Domini M° CCCC° VI°, die sabbati XVIIIª mensis decembris, et deinde consimiliter in aliis oppidis certis diebus ad hoc ordinatis. 1406.

Posquam vero prefatus Anthonius fuit intronizatus processionaliter cum crucibus et vexillis, ut moris est, fuit primo ductus ad ecclesiam Sancti Petri Lovaniensis per prepositum ejusdem ecclesie, ubi primo, et deinde in domo consulum, prestitit juramenta sequentia in theutonico, que hic in latinum habentur translata, ut sequitur.

Juramenta a duce Anthonio prestita. Cap. LXXVIII.

Juramentum quod prestitit dux Anthonius ante majus altare in dicta ecclesia Sancti Petri, tactis sacrosanctis evangeliis :

« Nos promittimus et juramus ad hec sancta evangelia, quod ab hac die in antea servabimus et observari faciemus jura, usus, observancias, libertates, consuetudines privilegiaque ecclesie nostre Sancti Petri Lovaniensis et omnium aliarum ecclesiarum ducatus nostri Brabancie, necnon libertates hominum Sancti Petri, quemadmodum observarunt predecessores nostri duces Brabancie. Sic juvet nos Deus, hii sancti et omnes sancti Dei. »

Juramentum quod prestitit in domo consulum, lectis primitus publice alta et intelligibili voce coram communitate ante dictam domum congregata literis sui jocundi adventus :

« Ego promitto et juro, quod omnia puncta, que litera modo coram oculis meis perlecta comprehendit, nichil inde excepto, observabo et servari faciam bene et fideliter, sicut bonus dominus sue terre et suis subditis facere tenetur. Sic Deus me adjuvet, isti sancti et omnes sancti. »

Juramentum quod prestitit Lovanii in camera anteriori dicte domus coram burgimagistris, scabinis, consulibus et juratis :

« Ego promitto et juro, quod oppido meo Lovaniensi servabo et observari faciam fideliter et bene, sicut bonus et verus dominus facere tenetur, omnia ipsorum jura, privilegia, cartas, consuetudines, usus et observancias, prout habent a dilectis meis predecessoribus, ducibus et ducissis in Brabancia, et prout illa observavit sine fractione. Sic adjuvet me Deus, hii sancti et omnes sancti Dei. »

Quibus juramentis sic prestitis, predicta communitas, ante domum consulum congregata, prestitit juramentum sequens, per unum secretariorum ducis pronunciatum :

« Nos omnes universaliter, et quilibet nostrum singulariter et pro se ipso, promittimus, creantamus et juramus generoso domino nostro duci Brabancie, qui hic presens est, et suum juramentum prestitit, prout verus dux Brabancie facere tenetur, quod sibi ammodo erimus boni et fideles, et in omnibus causis parentes et obedientes, et suum dominium, patriam

et limites juvabimus manutenere, observare, defendere, et suam injuriam resistere sive repellere contra unumquemque, ac servire et facere in omnibus causis, sicut boni et fideles homines coram vero domino facere tenentur. Sic Deus nos adjuvet et omnes sancti ejus. »

Qualiter in crastinum fecit predictus dux coram tribus statibus Brabancie legi literam renunciacionis ducis Johannis Burgundie, fratris sui, super ducatu Brabancie, promittens in forma vidimus *ipsis dare certas clausulas ex literis partificacionum trium fratrum extractas, in dicto* vidimus *conscriptas.* Cap. LXXIX.

Die vero sequenti, scilicet XIX^{a} mensis decembris anni M^{i} CCCC^{i} VI^{i} predicti, memoratus dux Anthonius prelatis, baronibus, militibus et aliis nobilibus, necnon deputatis bonorum oppidorum ducatus Brabancie, tres status ejusdem representantibus, ad suum mandatum in castro Lovaniensi penes ipsum congregatis, ostendit et publice legi fecit unam literam patentem, sigillatam sigillo illustris principis domini Johannis Burgundie ducis, Flandrie, Arthesie et Burgundie comitis, sui germani, per quam, ut continebatur in eadem, idem dux Johannes germanus suus cessit et renunciavit omni juri et successioni que sibi competere poterant in predicto ducatu Brabancie, in Antwerpia et ejus pertinenciis, atque in ducatu Lymburgensi et aliis terris ultramosanis et earum appendiciis. Quam quidem literam ipse dux Anthonius tunc posuit in manibus oppidi Lovaniensis, promittens quod infra certum tempus tunc expressatum quatuor consimiles ejusdem tenoris sigillatas literas deliberari sive tradi faceret, scilicet unam prelatis, aliam baronibus et militibus, terciam Lovaniensi et quartam Bruxellensi oppidis, ad opus communis patrie Brabancie prelibate. Promisit insuper, quod eciam infra certi temporis spacium tradi faceret dictis oppidis Lovaniensi et Bruxellensi, ad opus dicte patrie Brabancie, duo *vidimus* sub suo sigillo aut alio sigillo auctentico ex literis partificacionis per quondam Philippum ducem, suum genitorem, et dominam Margaretam ejus genitricem, ducissam Burgundie etc., inter ipsum et alios suos fratres, scilicet Johannem ducem Burgundie et Philippum comitem Nyvernensem, facte et ordinate, et per quondam dominam Johannam

ducissam Brabancie, quantum in ipsa fuit, confirmate, ratificate et approbate, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Datum Lovanii, die dominica XIX^a mensis decembris anno M^o CCCC^o VI° suprascripto.

Sequuntur clausule ex literis partificacionum extracte et in literis vidimus, *de quibus immediate fit mencio, contente, de gallico in latinum translate.* Cap. LXXX.

1407. Subsequenter vero prelibatus dux Anthonius tradi et exhiberi fecit supradictis duobus oppidis Lovaniensi et Bruxellensi duas literas in forma *vidimus* factas, sub sigillo domini Gerardi de Platea prepositi ecclesie Sancti Jacobi Frigidi Montis in Bruxella, ordinis Sancti Augustini Cameracensis diocesis, per quas ipse notificat se vidisse unam literam patentem sanam et integram, sigillatam sigillis bone memorie quondam domini Philippi, filii quondam regis Francie, ducis Burgundie, comitis Flandrie, Arthesie et Burgundie, et domine Margareta, ducisse et comitisse ducatus et comitatuum predictorum, continentem partificacionem per ipsos factam et ordinatam inter filios eorum masculos, scilicet potentes principes, dominum Johannem impresenciarum ducem Burgundie, filium ipsorum seniorem, dominum Anthonium nunc ducem Brabancie et Lymburgis, ipsorum filium secundogenitum, et Philippum de Burgundia, impresenciarum, scilicet tempore date *vidimus,* comitem Nyvernensem, filium eorum juniorem : que quidem litera fuit data Atrebati, die XXVII^a mensis novembris anno Domini M^o CCCC^o III°. In qua quidem litera continentur de verbo ad verbum clausule subsequentes, de gallico in latinum translate :

« Et primo, predictus Johannes noster senior filius habebit pro se et heredibus suis ducatum et comitatum Burgundie, cum dominio et eorum pertinenciis, et comitatum Flandrie, cum terris Alostensi, Dendermondensi et Mechliniensi et eorum pertinenciis, et comitatum Arthesie, cum suis pertinenciis, et habebit predicta dominia atque terras integre, absque hoc quod Anthonius et Philippus sui fratres poterunt petere aliquam porcionem causa partificacionis, appanagie, nec alias nec alio modo : videlicet dictum ducatum post decessum nostri ducis, et dictos comitatus et alias

terras supradictas post decessum nostre ducisse, et tunc dimittet comitatum Nyvernensem et baroniam de Douzy, et que antea tenuit et fuerunt sibi in suum matrimonium collata.

» Item, dictus Anthonius filius noster secundogenitus habebit pro se et heredibus suis ducatum Brabancie, comprehensis villa et castellania Antwerpiensi cum pertinenciis, ducatu Lymburgensi, et aliis terris nostris ultramosanis: et habebit dicta dominia et terras post decessum domine nostre ducisse et matertere nostre, ducisse Brabancie, absque hoc quod alii fratres predicti Anthonii poterunt petere aliquam porcionem racione primogeniture, partificacionis, appanagie, nec alias nec alio modo. Et si dicta matertera nostra ducissa Brabancie superviveret, dictus Anthonius gauderet comitatu Arthesie usque post prefate matertere nostre decessum, et tunc erit dux Brabancie et Lymburgis, et dimittet predictum comitatum Arthesie, et eciam comitatum Registetensem, qui sibi ad suum matrimonium sive nupcias fuit collatus, dum habuerit obedienciam et possessionem majoris partis bonarum villarum, et obedienciam majoris partis nobilium ducatuum predictorum, juxta continenciam literarum sui matrimonii.

» Item, dictus Philippus noster posterior filius habebit pro se et heredibus suis comitatum Nyvernensem et baroniam de Douzy, comitatum Registetensem, castrum Reynault Vranx, cum pertinenciis ipsorum, terras nostras de Campania cum eorum pertinenciis, post decessum matertere nostre ducisse: comitatum de Stampis, villas, castra et castellanias de Dourdam et de Gyen, que nobis debent advenire, cedit ad heredes nostros masculos per decessum nostri belli fratris Byturicensis, si discedat absque herede masculo de suo corpore, et casu quo dictus frater noster haberet heredem masculum, et dictus comitatus et alie terre nobis non advenirent vel heredibus nostris, et dictus Philippus vel ejus heredes pro eorum partificacione non haberent alias terras de nobis duce et ducissa, quam illas que sunt in presenti articulo declarate.

» Item, habebit castrum et castellaniam de Monreal, cum suis pertinenciis, in comitatu Burgundie, castrum de Chastelguyon, et tria millia francorum in redditibus de saleneria de salinis comprehensis, quos solebat levare sive recipere dominus Johannes de Thalon in dicta saleneria : que quidem castra, cum redditibus, proventibus et pertinenciis, nobis sunt acquisita ac per judicium et sentenciam adjudicata: et sexaginta millia

francorum, quorum quadraginta millia solventur per dictum Johannem filium nostrum aut ejus heredes, et viginti millia per predictum filium nostrum Anthonium aut ejus heredes solventur post decessum nostrum ducis et ducisse; absque hoc quod in dicta partificacione alii sui fratres predicti poterunt demandare sive petere per primogenituram sive senioritatem, partificacionem, appanagiam, neque aliter vel alio modo.

» Et fuit dictum *vidimus* sigillatum sigillo prepositure prepositi ecclesie Sancti Jacobi Frigidi Montis predicti. Datum XXI[a] mensis junii anno Domini M° CCCC° VII°. »

Sequuntur juramenta per prelibatum Anthonium ducem in oppido Bruxellensi et aliis oppidis ducatus Brabancie prestita, de theutonico in latinum translata, et primo Bruxelle prestita ad opus communis patrie Brabancie. Cap. LXXXI.

« Ego promitto et juro ad sancta et super sacrum evangelium, quod patrie Brabancie, et omnibus habitantibus in ea, et quos concernit et quos concernere poterit in futurum, ero bonus, justus et fidelis dominus, et quod nullam violenciam, voluntatem neque vim ipsis inferam nec inferri faciam quoquo modo, et quod ipsos extra judicium et sentenciam non tractabo neque tractari faciam, sed quod omnes meos bonos homines et subditos bonorum oppidorum meorum, franchisearum, villarum et patrie mee Brabancie, et omnes alios quos tangere poterit, in corporibus et bonis ducam et duci faciam in omnibus causis mediante judicio sive justicia, juxta et secundum jura curiarum, oppidorum et scampnorum, ubi hoc pertinebit et fieri debebit. Et insuper promitto, confirmo, ratifico et approbo omnibus prelatis, claustris, ecclesiis Dei, baronibus, militibus, oppidis, franchiseis, villis et omnibus subditis meis et bonis hominibus terre mee Brabancie universaliter, et cuilibet ipsorum in solidum, omnia ipsorum jura, privilegia, libertates, cartas, ordinaciones, statuta, usus, consuetudines et observancias, que tenent, pertractant et habent, et eciam ea que ipsis a meis predecessoribus, ducibus et ducissis Brabancie felicis recordacionis, concessa sunt et collata. Promittoque ipsis omnia generaliter sive conjunctim, et quelibet specialiter sive divisim, servare sive servari facere, pro

me, meis heredibus et successoribus, ammodo in perpetuum et fideliter, firma, stabilia et sine infractione, et quod contra illa non faciam neque fieri permittam quoquo modo. Sic me Deus adjuvet, isti sancti et omnes sancti Dei. »

Juramentum prestitum oppido Bruxellensi :

« Ego promitto et juro, quod oppido meo Bruxellensi servabo et servari faciam bene et fideliter, sicut bonus dominus facere tenetur, omnia ejus jura, privilegia, cartas, ordinaciones, statuta, consuetudines, usus et observancias, sigillata et non sigillata, prout et quemadmodum habet a meis predecessoribus, dilectis ducibus et ducissis in Brabancia, prout illa observavit, absque infringendo. Sic adjuvet me Deus et omnes sancti ejus. »

Sequitur juramentum Antwerpie prestitum :

« Nos juramus oppido nostro Antwerpiensi servare et facere servari firma et stabilia omnia jura, privilegia, libertates, statuta et consuetudines, usus et observancias, vetera et nova, bene et fideliter, et omnia facere que bonus dominus suis hominibus et subditis facere tenetur. Sic Deus me adjuvet et omnes sancti Dei. »

Aliud juramentum pro incolis oppidi Antwerpiensis et marchionatus sacri imperii :

« Nos juramus sancte ecclesie, oppido Antwerpiensi et marchionatui terre de Ryen, generaliter sive universaliter, ipsorum privilegia, cartas, libertates, et omnia ipsorum jura, vetera et nova, servare et servari facere bene et fideliter, ipsorumque consuetudines, usus et observancias observare absque aliqua infractione, et quod contra illa non faciemus neque fieri permittemus, in parte vel in toto, quoquo modo; et quod omnia ea faciemus que bonus et verus dominus oppido suo Antwerpiensi et marchionatui sacri imperii suisque subditis et incolis idem facere tenebitur. Sic Deus nos adjuvet, hii sancti et omnes sancti Dei. »

Juramentum communitatis in Antwerpia ante domum oppidi, similiter scabinorum et consulum ejusdem in eadem domo :

« Nos juramus domino nostro generoso duci Brabancie et marchioni, qui hic presens est, quod sibi erimus boni et fideles homines, et omnia faciemus, que boni et fideles homines eorum vero domino facere tenentur. Sic Deus nos adjuvet et omnes sancti ejus. »

Juramentum prestitum in Buscoducis :

« Ego promitto et juro ad sancta et super sacrum evangelium, quod oppido de Buscoducis servabo et servari faciam bene et fideliter, prout bonus et verus dominus facere tenetur, omnia ipsorum jura, privilegia, cartas, consuetudines, usus, observancias, sicuti habent a dilectis nostris predecessoribus, ducibus et ducissis in Brabancia, et quemadmodum observavit sine infractione. Sic adjuvet me Deus, hii sancti, et omnes sancti Dei.

» Et insuper promitto et juro ad sancta et super sacrum evangelium, quod omnibus prelatis, claustris, ecclesiis Dei, baronibus, militibus, oppidis, franchiseis, villis, et omnibus meis subditis et bonis hominibus patrie mee Brabancie, generaliter et specialiter, servabo et servari faciam bene et fideliter, sicut bonus dominus et fidelis facere tenetur, omnia ipsorum jura, privilegia, cartas, consuetudines, usus et observancias, quemadmodum ipsi habent a dilectis nostris predecessoribus, ducibus et ducissis in Brabancia, et prout ipsi illis usi fuerunt, sine infractione. Sic me Deus adjuvet, hii sancti et omnes sancti Dei. »

Juramentum vero prestitum per communitatem est simile juramento in Lovanio et in Bruxella prestito.

Juramentum prestitum in Thenismonte et Leeuwis :

« Ego juro et promitto ad sancta et super sacrum evangelium, quod oppido Thenensi, Leeuwensi servabo et servari faciam bene et fideliter, sicut bonus et fidelis dominus facere tenetur, omnia ipsorum jura, privilegia, carthas, ordinaciones, statuta, consuetudines, usus et observancias, sigillata et non sigillata, sicut habent a dilectis predecessoribus nostris, ducibus et ducissis in Brabancia, et sicuti illa observarunt, sine infractione. Sic juvet me Deus, isti sancti et omnes sancti Dei. »

Simile juramentum prestitit dictus dux Anthonius in Nyvella pro oppido et communi terra gallica.

Et communitas prestitit juramentum simile juramento Lovanii prestito, excepto quod in fine addiderunt istam clausulam, scilicet : *salvis et reservatis juribus domine mee sancte Gertrudis et ecclesie.*

Juramentum ducis in Trajecto prestitum ante majus altare ecclesie Sancti Servacii ibidem, quo prestito, et viceversa juramento sibi per communitatem in eadem ecclesia prestito, traxit sive pulsavit campanam unam in turri ecclesie pendentem :

« Nos dux Brabancie et Lymburgis promittimus et juramus ad sancta et super istud sacrum evangelium, quod ecclesie nostre Beati Servacii et bono oppido nostro, burgensibus et subditis Trajectensibus omnia ipsorum jura, cartas, privilegia, consuetudines, statuta, usus, libertates et observancias, per quemcumque modum et formam illa a predecessoribus nostris, ducibus et ducissis in Brabancia, et a nobis habent, tenent, et illis utuntur, habuerunt, tenuerunt et usi fuerunt, cum justiciis et appendiciis, intus et extra nostram civitatem, et quemadmodum scabini nostri ejusdem nostre civitatis illa pro juribus et libertatibus tenent sive custodiunt, bene et fideliter servabimus et illis gaudere permittemus, absque infractione, et ipsos de omnibus impressionibus, injuriis, violenciis, ipsis a quibuscumque personis illatis vel inferendis, tuebimur et deffendemus, juxta melius posse nostrum, prout bonus dominus facere tenetur. Sic Deus nos adjuvet, isti sancti et omnes sancti Dei. »

Juramentum per communitatem duci prestitum est simile juramento per communitatem in Lovanio et in Bruxella prestito duci.

Quibus juramentis hincinde, sicut premittitur, prestitis, memoratus dux fuit per burgimagistros dicte civitatis ductus subtus campanile in dicta ecclesia, ubi pulsavit campanam, sicut prescriptum est.

De amicabili concordia et unione quam dux Anthonius, ipso gubernatore ducatus Brabancie existente, pepigit sive iniit cum civium magistris, scabinis, consulibus et ceteris civibus regalis urbis Aquensis. Cap. LXXXII.

Anno Domini M° CCCC° VI°, mensis junii die sexta, supradictus dux 1406.
Anthonius, dux Lymburgensis, comes Registetensis, ipso tunc gubernatore ducatus Brabancie existente, pepigit sive iniit certam amicabilem concordiam et unionem cum prudentibus et honestis viris, magistris civium, scabinis, consulibus et ceteris civibus regalis sedis civitatis Aquensis, continentem inter cetera quod, si sibi et terris suis Lymburgensibus de Daelhem et de Rode guerra supervenerit, et sibi notorie opus foret castra sua de Lymborch, de Daelhem et de Rode cum militibus et militaribus communiendi, quod tunc ipsa civitas Aquensis, cum per ejusdem ducis Anthonii literas patentes fuerit requisita, in dictis castris destinare tenebitur quinquaginta

arbalistarios bene armatos, ut moris est, cum suis pertinenciis, et ibidem, propriis ejusdem civitatis expensis, pro custodia castrornm perseverare, quamdiu dicti milites et militares ibidem manerent, nisi notorie timerent obsideri, vel aliquod oppidum sive castrum propter guerram ipsis illatam obsidere vellent; tunc suos arbalistarios transmittere non tenebuntur : quos quidem arbalistarios idem dux suis expensis, eundo et redeundo, et eorum victualia conducere sive conduci facere debebit. Possent eciam, si opus esset, dicti milites et militares et arbalistarii equali numero dividi, et ad dicta castra transmitti, sed ipsi arbalistarii aliunde et ad alicujus dampnum extra dicta castra transire non tenerentur. Item, si prelibatus dux propter guerras victualibus indigeret, quod illa in dicta civitate posset facere comparari, in prompta pecunia, pro tali precio sicut unus civis contra alium civem emere deberet, et illa extra eandem civitatem ad loca sibi necessaria facere duci et transportari. Item, quod memoratus dux Anthonius, propter assistenciam tam arbalistariorum quam victualium sibi pactam, predictam sedem et civitatem regalem et ejus incolas sive cives tamquam subditos proprios conservare, promovere et tueri, et, dum requisierint ejus favorem, consilium, auxilium et assistenciam impertire debebit. Item, quod omnes cives, incole et mercatores civitatis Aquensis predicte, ejusdem civitatis verum signum deferentes, de omnibus suis mercimoniis sive mercanciis, qualescumque fuerint, per totam terram Brabancie et Lymburgis ob omni theloneo ita liberi erunt, sicut fuerunt tempore ducis Wenceslai bone memorie, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Item ipsa civitas regalis Aquensis dedit eidem duci Anthonio pro suo jocundo adventu IIII millia florenorum Renensium.

De prefati ducis Anthonii uxore prima, et ejus obitu et sepultura. Cap. LXXXIII.

1407. Postquam dux Anthonius fuit receptus et intronizatus in ducem Brabancie ab oppidis et incolis ejusdem, ut premittitur, revolvit in mente sua, qualiter Reynaldus dux Juliacensis, ab ipso licet requisitus, non relevavit in feudum oppidum de Gravia, sicut facere tenebatur juxta continenciam pacis dudum facte inter dominam Johannam ducissam Brabancie et Wil-

helmum ducem Gelrie et Juliacensem; necnon quod dux Wilhelmus de Bavaria, comes Hannonie, Hollandie et Zelandie ac dominus Frisie, quondam ducisse Johanne predicte adhuc viventi fecerat impedimentum in solucione duwarii sive dotalicii, per quondam Wilhelmum comitem Hannonie, Hollandie, Zelandie, etc., suum primum maritum, sibi assignati, et eidem per plures annos retroactos debiti. Quapropter idem dux Anthonius proposuit dictos duces Gelrie et Bavarie taliter inducere, cum amore vel rigore, quod sibi facerent de oppido Graviensi et duwario sive dotalicio predictis, quod juris foret et racionis; sed Deus, cujus occulta sunt judicia, aliter disposuit, quia de medio sustulit Johannam suam conthoralem, filiam unicam domini Walrami comitis Sancti Pauli et Lyneio, que adhuc vivens dicebatur pulchrior inter omnes harum parcium mulieres : quam idem Anthonius duxerat in uxorem diu antequam fuit gubernator Brabancie, et ex ea genuerat duos filios, scilicet Johannem et Philippum, qui successive fuerunt duces Brabancie, ut infra patebit, et unam filiam, que juvenis obiit; dicta vero Johanna ducis Anthonii uxor prima obiit die XII^a^ mensis augusti anno Domini M° CCCC° VII°, et fuit cum solempnibus obsequiis apud Furam, in choro ecclesie Beati Johannis ibidem, ubi eciam juvenis filia jacet, tumulata.

Qualiter dux Anthonius cum magna expedicione hominum armatorum profectus fuit ultra Mosam versus Valkenborch. Cap. LXXXIV.

Memoratus dux Anthonius, lugens et lamentans, ac secundum usum nature cordialiter deplorans obitum predilectissime domicelle Johanne quondam uxoris sue, recognoscensque omnipotenciam Dei sui creatoris, cui nemo resistere potest, seipsum consolatus est melius quo potuit. Iterum in mente sua revolvendo et recogitando ea que de Reynaldo duce Juliacensi et Gelrie et Wilhelmo duce in Bavaria ac Hannonie, Hollandie et Zelandie comite, supra dicta sunt, desiderans ea execucioni demandare, tribus statibus Brabancie patrie sue convocatis, petiit et requisivit ab eisdem, quatenus sibi cum potencia et copia hominum armatorum servire, et secum proficisci vellent, et ipsum sequi quo ipsos ducere et dirigere deberet. Dicti tres status petiverunt ab ipso cerciorari, quo, contra quem,

et ad quem profectum, et ob quam causam ipsos ducere vellet. Ad quod ipse dux non respondit, sed modo quo supra servicium postulavit impendi: quod quidem servicium nobiles patrie Brabancie pro seipsis sibi tunc consencierunt; sed deputati omnium bonorum oppidorum tali modo sibi consentire recusabant, de quorum numero fuerunt deputati oppidorum Antwerpiensis et de Buscoducis. Sed illo non obstante dux Anthonius taliter tractari fecit, quod Antwerpienses cum marchionatu ipsum ducem cum magna hominum armatorum copia et apparatu bellico versus Mosam usque ad Dipenbeke, et similiter cum illis de Buscoducis, quod ipsum cum villicacione manu armata et apparatu bellico secuti sunt eum usque ad Sonne.

Deinde vero dux Anthonius personaliter venit ad domum consulum Bruxellensem, ante quod supra forum jussit totam communitatem congregari, et assumptis secum VII scabinis, petiit a populo, quatenus sibi servire et ipsum in expedicione sequi vellent. Tunc omnes clamaverunt : « Ita, domine, ita. » Tunc loquebatur unus VII scabinorum, nomine Nicolaus de Sancto Gaugerico : « Illi qui domino nostro duci servicium » consenserunt, possunt ipsum sequi, si voluerint. » Sed ab oppido Bruxellensi nec ab oppido Lovaniensi neque ab aliis oppidis Brabancie nullum servicium habere potuit[1], preterquam ab oppidis Antwerpiensi et de Buscoducis, ut superius est expressum. Quibus peractis, dux Anthonius, cum baronibus, militibus et aliis nobilibus Brabancie in magno numero congregatis, profectus est versus Valkenborh, quem sequebatur socer suus Walramus comes Sancti Pauli et frater suus Philippus comes Nyvernensis, cum ingenti multitudine fortium pugnatorum seu bellatorum.

Causa vero ob quam dux Anthonius istam expedicionem manu tam potenti facere proposuit, fuit multum secrete tenta. Aliqui dixerunt, quod partem oppidi Trajectensis ad ecclesiam Trajectensem spectantem intendebat parti sue applicare, et sic totum oppidum occupare sive ad Brabanciam trahere, ex eo quod dux Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, plus juris in dicto oppido ad se traxit quam sibi competebat. Alii dixerunt, quod civitati Aquensi voluit movere guerram, quia alias denegavit exer-

[1] Lovanienses enim et Bruxellenses impulsu Leodiensium exercitum Antonii subsidiis juvare detractarunt, uti et caeterae urbes ad eorum exemplum.

citui Brabancie victualia ministrare pro denariis suis: cujus contrarium fuit verum, propter concordiam jam cum Aquensibus initam atque factam. Alii dixerunt, quod hujusmodi expedicionem assumpsit ad resistendum Ruperto de Bavaria contra Wenceslaum Bohemie regem, in Romanorum regem electum, qui descendit cum magna potencia ad extorquendum ex manibus ducis Anthonii ducatus Brabancie et Lymburgis, sibi et imperio, ut pretendebat, devolutos: ad quod faciendum Reynaldus dux Juliacensis et Gelrie et Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, sibi assistenciam promiserunt, ut aliqui tunc dixerunt. Sed neutrum predictorum fuit verum: causa enim principalis profectus ducis Anthonii fuit ista, quod dux Reynaldus prelibatus, qui post decessum fratris sui Wilhelmi ducis Gelrie et Juliacensis occupaverat oppidum de Gravia cum suis attinenciis, illud non relevaverat in feudum, ut decebat, a ducissa Johanna, dum vivebat, neque post ejus decessum ab ipso duce Anthonio, sicut facere tenebatur secundum continenciam pacis inter eosdem ducissam Johannam et ducem Wilhelmum facte, ut premittitur; quare intendebat jus suum vi armata contra dictum Reynaldum ducem prosequi, et dictum oppidum tam diu tenere sine vasallo, sicuti dux Reynaldus illud tenuerat sine domino feudi directo.

Qualiter dux Anthonius fuit receptus et intronizatus in ducem et dominum in oppido suo Trajectensi, et qualiter homines sui armorum transiverunt per Trajectum usque Valkenborch. Cap. LXXXV.

Anno Domini M° CCCC° VII°, mensis octobris die prima, Leodienses 1407. cum eorum mamburno, domino Heinrico de Parweys, cum maximo exercitu existentes, venerunt apud Woncke et circa Trajectum valde prope, ubi magna dampna intulerunt incendio et rapina. Oppidum vero Trajectense, ad se defendendum et Leodiensibus resistendum, ordinavit quatuor capitaneos, scilicet Goderolem de Elderen, Theodoricum de Norbertingen, Johannem de Chymen et Heinricum Bovier, quibus cum duobus burgimagistris, scilicet Anthonio Yserman et Arnoldo de Heer, commiserunt honorem, curam, regimen, administracionem et defensionem oppidi predicti. Eadem vero die dux Anthonius cum exercitu copioso valde applicuit

ad duas leucas prope civitatem Trajectensem prelibatam, ubi suo exercitu hominibusque armorum dimissis, ipse propria in persona, cum suis consiliariis et deputatis bonorum oppidorum Brabancie secum assumptis, perrexit in exercitum Leodiensium predictorum, temptans tractare pacem inter ipsos, ex una parte, et Johannem de Bavaria, electum Leodiensem, eorum dominum, ex altera, eosdem deprecantes, quatenus obsidionem solvere vellent et ad propria redirent: ipse enim sperabat laborare adeo, quod firma pax et concordia inter ipsos fieri deberet.

Sed preces ejus non fuerunt admisse, quare ad exercitum suum fuit reversus, et quia ipse tamquam dominus adhuc non erat in dicta civitate receptus, misit de suo consilio ad eandem, requirentes ut se pararent et disponerent ad ipsum in eorum dominum recipiendum et admittendum, juramentaque debita sibi prestandum. Ad quod Trajectenses responderunt, quod ipsum libenter intromitterent et in eorum dominum reciperent, per talem modum et cum tali comitiva sicuti duces Brabancie, sui antecessores, eorum jocundum adventum inibi facere consueverunt: salvo quod ipsis servare promitteret et juraret certa puncta, que specialiter habere desideraverunt, et generaliter omnia ipsorum jura, privilegia, libertates, consuetudines, observancias, etc. Propter quod inter ducem et burgenses oriebatur certa contencio, ex eo quod Trajectenses unum punctum pro jure ipsorum tenuerunt, quod dux Anthonius ipsis confirmare recusavit: que contencio fuit per medium deputatorum Brabancie oppidorum, qui ibi affuerunt et se interposuerunt, sedata et concordata. Et insuper fuit tractatum et concordatum, quod dux cum toto suo exercitu infra civitatem debite intrare ac recipi et admitti deberet, sub tali condicione, quod ipse dux dominum Heinricum de Parweys, mamburnum Leodiensem, infra predictam civitatem secum introducere non deberet.

Quibus sic peractis, die octava mensis octobris supradicti plus quam trecentos currus, cum eorum equis et pertinenciis, quos extra Trajectum per portam de Wycke conduci fecerunt, post hoc intromiserunt infra civitatem per duas vices, et extra eandem conduxerunt duo millia armatorum vel circiter. Die vero dominica, nona dicti mensis octobris, a mane usque ad meridiem dicti Trajectenses fuerunt impediti propter introitum et exitum hominum armatorum, qui sine intervallo ex gentibus ducis cum magnis turmis ad transeundum advenerunt. Post meridiem vero dictus

Anthonius dux fuit solempniter, cum crucibus et vexillis, per clerum et totum oppidum, qui sibi obviam venerunt, processionaliter infra dictam civitatem usque in ecclesiam Sancti Servacii ductus, et intronizatus ad majus altare in choro ejusdem ecclesie, ubi, reliquiis humiliter et devote osculatis, suum debitum prestitit juramentum, sicuti antecessores sui, duces Brabancie, prestare consueverunt : quo juramento prestito, vice versa gubernatores et communitas ejusdem civitatis dicto duci Anthonio fidelitatis et obediencie debitum prestiterunt juramentum. Quibus juramentis hincinde, sicut premittitur, prestitis, sepefatus Anthonius fuit per burgimagistros dicte civitatis ductus subtus campanile dicte ecclesie, ubi pulsavit campanam in dicto campanili pendentem : et accidit ibidem quod, dum clericus civitatis dicto duci prelegeret puncta que jurare debebat, immutavit legendo unum verbum aliter quam per deputatos oppidorum Brabancie et Trajectenses fuerat concordatum, quod ipse percipiens fuit iratus valde et pessime de ipso clerico contentus, quare dux ipsum libenter captivasset, sed latenter aufugit.

Et sic dux Anthonius, immediate post suam intronizacionem et recepcionem, cum suis nobilibus et gentibus armorum predictam civitatem exiens, versus Valkenborch se duxit transferendum. Die vero sequente, videlicet decima mensis octobris predicti, Trajectenses fuerunt tota die de mane usque ad vesperam occupati propter introitum et exitum hominum armatorum, qui ipsum ducem sequebantur. Et sic patet, quod dux Anthonius propter presentem suam expedicionem tot bellatores et homines armatos collegerat, quod infra tres dies civitatem Trajectensem vix poterant pertransire; tunc comes Nyvernensis cum suis, et oppida Antwerpiense et Buscoducense cum suis villicacionibus nondum advenerant, sed apud Diepenbeke et Sonne, ut premittitur, permanserunt.

De tractatu facto inter ducem Anthonium Brabancie et Reynaldum ducem Gelrie et Juliacensem, et qualiter Graviam a dicto duce Brabancie in feudum relevavit. Cap. LXXXVI.

Memorato duce Anthonio, sicut premittitur, cum potencia gencium armorum apud Valkenborch existente, omnes principes et magnates cir- 1407.

cumvicini ipsum timuerunt. Et licet causa expedicionis presentis fuit valde secrete tenta, tamen non fuit usque adeo secrete observata, quin Reynaldus Juliacensis et Gelrensis dux, aliquid percipiens de eadem, verebatur quod dux Anthonius contra ipsum et terras suas hostiliter insurgere volebat. Quapropter idem dux Reynaldus, futuris periculis in foribus existentibus precavere et obviare desiderans, suos solempnes ambaxiatores, pleno mandato fulcitos, ad dictum ducem Anthonium apud Valkenborch duxit transmittendos, ad tractandum secum et concordandum de omnibus et singulis peticionibus et demandis, de quibus ipsum impetere posset. Breviter loquendo, ibi fuit tractatum et convencionatum, quod dux Reynaldus, certis terminis tunc nominatis, dicto duci Anthonio dare et realiter persolvere deberet magnam summam multorum millium coronarum aurearum cugni regis Francie, aut valorem earundem in moneta aurea equivalenti, quodque idem dux Reynaldus infra breve temporis spacium ab eodem duce Anthonio relevare deberet oppidum de Gravia cum attinenciis suis in feudum, sibique proinde prestare fidelitatis juramentum, suasque desuper dare literas oportunas.

Quibus, sicut premittitur, tractatis, dux Anthonius transmisit socerum suum comitem Sancti Pauli versus exercitum Leodiensem, ad tractandum treugas inter ipsos, ex una parte, et Trajectenses, ex altera, qui inefficax ad ducem Anthonium fuit reversus. Est verum, quod ipse dux, dum in Trajecto fuit intronizatus, erat intencionis inducias sive guerrarum abstinenciam inter partes predictas pertractandi; sed dum clericus mutavit sensum, et aliter legit quam fuit concordatum, ut premissum est, fuit contra ipsum in tantum commotus, quod animo irato absque tractando ex Trajecto recessit. Qui, dum comes Sancti Pauli ad ipsum fuit reversus, cum suo exercitu de Valkenborch profectus fuit versus Trajectum, ubi intravit mensis octobris die XVII[a], ubi inter partes antedictas tractavit treugas per VII septimanas duraturas. Quo facto, Leodienses cum eorum mamburno ad propria remearunt; dux vero Anthonius, suis hominibus armorum et aliis de Antwerpia et Buscoducis licenciatis, similiter licenciavit eciam gentes armorum, quas frater suus comes Nyvernensis ex Francia ad servicium suum secum adduxerat. Et sic dux Anthonius cum dicto fratre suo in terram suam Brabancie est reversus.

Deinde vero dux Anthonius cum dicto fratre suo, comite Nyvernensi,

se transtulit versus Buscumducis, et deinde apud Empel prope Mosam, ubi Reynaldus dux Juliacensis et Gelrensis, veniens ad ipsum in die Sancti Severini, que fuit XXIII[a] octobris anno Domini M° CCCC° VII°, de predicto oppido de Gravia, quod ab ipso junctis manibus cum osculo in feudum relevavit, debitum prestitit fidelitatis juramentum in manibus Wilhelmi juvenis comitis de Seyne, qui ipsum juramentum sibi predictavit. Quibus peractis, prelibati principes, postquam cibum et potum sumpserant, amicabiliter ab invicem recesserunt. De qua quidem recepcione dux Reynaldus dedit suas patentes literas tenoris infrascripti :

« Wy Reynault, by der gracien Godts hertoghe van Gulich ende van Gelre ende greve van Zutphen, doen cont allen lieden, bekennen dat wy op ten dach van huden, datum des brieffs, tot Empel opter Maese, van onsen lieven neve, den hertoghe van Brabant ende van Lymborch, ontfanghen hebben te leen onsse stad ende slot van den Grave, alsoe als die van hem te leen rueren, ende hebben hem daeraf manschap gedaen, in oorconden ons segels aen desen brief gehangen. Gegeven in't jaer Ons Heeren M CCCC VII, des sondaeghs op Sinte Severyns dach. »

Predicta litera fuit sic signata : Per dominum ducem, presentibus de consilio nobili domino Johanne domino de Arckel et Hagensteyn, et domino Johanne Schelaert de Obbendorpe, magistro curie, et Johanne de Wyenheyst, militibus.

Anno supradicto M° CCCC° VII°, mensis novembris die XXIII[a], Ludovicus dux Aurelianensis, frater germanus regis Francie, fuit de nocte in civitate Parisiensi per aliquos satellites, ut dicebatur, Johannis ducis Burgundie interfectus, unde multa mala et guerrarum discrimina sunt, proch dolor! subsecuta.

Qualiter Leodienses civitatem Trajectensem obsidione circumvallarunt. Cap. LXXXVII.

Supra proxime narratur, qualiter dux Anthonius inter Leodienses et 1408.
Trajectenses tractavit treugas per septem septimanas duraturas : que quidem treuge non diu post dicti ducis Anthonii recessum fuerunt violate, altera parcium alteri impingente quod ipsas treugas primitus infregit.

Quare dux Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, collecto nobilium exercitu copioso, civitatem Trajectensem intravit, ubi sex instituit capitaneos, videlicet dominum de Heynsberch, dominum Scheifardum de Merode, dominum de Alpen, advocatum Coloniensem, dominum de Roye et dominum de Milendonck, quorum quilibet habuit sub se trecentos homines armatorum equestrium ad sibi serviendum, ubi et quando sibi placeret, exceptis burgensibus et incolis civitatis predicte.

Dominus vero Heinricus dominus de Parweys, mamburnus Leodiensis, anno predicto M° CCCC° VII°, mensis novembris die XXIIII[a], unacum tota patria Leodiensi et Lossensi dictam civitatem obsidione circumvallavit per sex septimanas, videlicet usque ad VII[am] januarii, inibi continue perseverantes, infra quos dies nichil aut modicum profecerunt propter maximum frigus tunc vigens : nam in die Sancti Martini incepit gelare, et duravit continue per XI septimanas sine intermissione, sic quod multi homines et multa animalia frigore perierunt. Gelu eciam die XXVIII[a] januarii ex tunc immediate sequenti fecit maxima dampna, tam in Leodio quam alibi, in fractione poncium et molendinorum. Et postquam soluta obsidione predicta Leodienses et Lossenses repatriarant, dirum bellum intestinum insurrexit inter eosdem, altero alteri gravia dampna inferendo cedibus, incendiis et rapinis.

Deinde vero, anno Domini M° CCCC° VIII°, mensis maii die penultima, Leodienses et Lossenses cum eorum predicto mamburno, domino de Parweys, prelibatam civitatem Trajectensem secundario obsidione circumcinxerunt, ubi plus quam per XVI septimanas continuo permanserunt, videlicet usque ad XXII[am] diem mensis septembris. Infra quem terminum dux Anthonius fuit ab utraque parte pro adhesione et assistencia sibi facienda instantissime requisitus: quod ipse dux Anthonius, multis causis racionalibus animum suum ad hoc moventibus, facere recusavit, et inter partes predictas se neutralem tenere conclusit: nec mirum, attento quod dominus de Parweys fuit subditus suus nativus et vasallus, quodque dux Burgundie dominus Johannes, germanus suus, habuit in uxorem dicti ducis Johannis de Bavaria sororem, et sic se tenere voluit neutralem, nisi dictus germanus suus Burgundie dux personaliter in ducis Johannis de Bavaria auxilium veniret, et tunc vellet cum potencia sua eidem suo germano assistere propria in persona. Dux vero Johannes de Bavaria infra

Trajectum obsessus, hoc percipiens, non cessavit dictum ducem Burgundie et ducem Wilhelmum de Bavaria germanum suum, comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie, pro auxilio sibi ministrando et ab obsidione liberando cordialiter exhortari, quod sollicicius procuravit, nam ambo in eorum propriis personis cum innumerabili bellatorum copia terram Leodiensem intrarunt: quod Leodienses et Lossenses percipientes, obsidione soluta ad lares proprias remearunt, ea intencione quod in crastinum unacum populo exire vellent, et predictos duces Burgundie et comitem Hannonie debellare, antequam extra terram Leodiensem recedere possent.

Dum vero dux Anthonius percepit, quod ambo fratres sui, scilicet dux Burgundie et Hannonie comes, jam cum potencia terram Leodiensem intraverant, magna nobilium copia armatorum congregata, versus Thenismontem se duxit transferendum, ubi applicuit dominica XXIII[a] mensis septembris predicti, animo in crastinum penes dictos fratres suos proficiscendi. Leodienses vero, qui, ut premittitur, die sabbato XXII[a] mensis septembris soluta obsidione de ante Trajectum ad propria recesserant, die sequenti, videlicet dominica XXIII[a] septembris predicta, cum exercitu copioso valde exeuntes, cum eorum episcopo et mamburno versus inimicos suos, scilicet Burgundie ducem et Hannonie comitem, etc., gressus suos direxerunt, quos cum appropinquassent, ad statim bellare voluerunt; sed dominus Heinricus de Parweys, eorum mamburnus, consuluit quod illa dominica die propter festivitatem ejusdem non bellarent; quod quia facere recusarunt, hortabatur ipsos, quod tunc expectarent quousque Lossenses et alia oppida terre Leodiensis advenissent, quia pro tunc solum ibidem fuerunt congregati Leodienses et Hoyenses. Tunc omnes una voce clamaverunt: « Non, non, sed bellare volumus, » arroganterque jactarunt se fore fortes satis, quodque, si ipsos non adduceret in hostes, ipsum interficerent. Quibus auditis, dominus de Parweys fecit perscrutari, an vexillum ducis Brabancie esset in campis an ne, quia cicius ad ipsius ducis partem transmisisset contra Leodienses pugnaturus, quam contra eundem, qui fuit dominus suus naturalis et feudalis directus. Tunc fuit sibi dictum, quod dicti ducis Brabancie vexillum non erat in campis, sed vexilla amborum fratrum suorum predictorum ibi videbantur displicata. Tunc dixit mamburnus ad vociferantes: « Postquam est ita, hodie volo dulce et amarum vobiscum experiri, » et continuo in aciem adversariorum viriliter

irruit; clamor in celum tollitur, pugna summa virtute conseritur, acies Burgundorum cum magna cede per duos vel tres passus retrocedere compellitur. Sed Burgundi illico viribus resumptis, sicut ignis in stipula immissus furit et in momento cuncta devorat, ita acies Leodiensium irrumpentes ipsos ferro conterunt, terre prosternunt, adeo quod tandem dux Burgundie et comes Hannonie, etc., non sine parva cede suorum, victoriam reportarunt. In quo siquidem bello dominus de Parweys et Theodoricus filius suus, qui ex parte Petri de Luna, qui in sua obediencia Benedictus papa XIII^us nuncupatur, fuit episcopus Leodiensis ordinatus, et plus quam XVI millia Leodiensium ceciderunt, qui quasi omnes fuerunt de Leodio et Hoyo, quia cetera oppida terre Leodiensis et oppida comitatus Lossensis, ut premittitur, nondum advenerant. Hoc autem prelium fuit gestum inter Leodium et Tongrim, in die Beate Tecle virginis, que fuit dominica XXIII^a septembris anni M^i CCCC^i VIII^i predicti. Finito bello dux Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, per dominos Johannem ducem Burgundie, suum socerum, et Wilhelmum comitem Hannonie et Hollandie, suum germanum, in sedem et civitatem suam Leodiensem et in pacificam suam possessionem terrarum Leodiensis et Lossensis fuit recollocatus. Quibus peractis, quilibet victoriose ad propria remeavit.

Qualiter dux Anthonius misit in Bohemia pro uxore sua secunda. CAP. LXXXVIII.

Non diu post bellum sive conflictum Leodiensem memoratus Anthonius Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, sua prima orbatus uxore, de consilio et assensu serenissimi principis domini Karoli tunc Francorum regis et aliorum illustrium Francie domus principum inclite, suos solempnes transmisit ambaxiatores, scilicet Engelbertum comitem de Nassouw, dominum de Lecka et Breda, et Wilhelmum juvenem comitem de Seyne, dominum de Rode Sancte Agathe, plena potestate fulcitos, cum multis strenuis militibus et militaribus usque ad numerum ducentorum equitum, ad serenissimos principes dominos Wenceslaum Romanorum et Bohemie ac Sigismundum Hungarie reges : cum quibus prelibatus Karolus Francorum rex et Johannes Burgundie dux, ejusdem ducis Anthonii ger-

manus, eciam miserunt reverendum in Christo patrem dominum episcopum Cabilonensem, et magnificum militem dominum Reinerum Pot, cum centum equitibus, ad matrimonium inter ducem Anthonium, ex una parte, et inclitam dominam Elyzabeth, filiam illustris Johannis quondam ducis Gorlicensis, fratris germani dominorum Wenceslai et Sigismundi regum antedictorum, parte ex altera. Qui ex Brabancia ipso die Beati Luce evangeliste recedentes, perrexerunt usque ad Pragam ad predictum Bohemie regem, cum quo de hujusmodi matrimonio tractaverunt, ut infra patebit in literis matrimonialibus desuper confectis. Deinde vero ad habendam de isto matrimonio voluntatem et consensum regis Hungarie, perrexerunt ad ipsum in Buda in regno Hungarie existentem episcopus Cabilonensis et Wilhelmus comes de Seyne prelibati, qui ipsius consensum ad hoc eciam impetraverunt. Ob quam causam supradicti ambaxiatores erant extra, antequam redirent in Brabanciam, per novem menses et ultra.

De secundo matrimonio ducis Anthonii, et patria Lucemburgis ac comitatu Tzini et advocacia Alsacie sibi impignoratis. Cap. LXXXIX.

Supradictus autem dux Anthonius, qui ex prima uxore sua, nomine Johanna, filia quondam domini Walrami comitis de Lyneio et Sancti Pauli, genuerat duos filios, Johannem scilicet et Philippum, qui sibi successerunt in ducatibus Brabancie et Lymburgis, predictos, post decessum ejusdem Johanne duxit inclitam dominam Elyzabeth, filiam illustris Johannis ducis Gorlicensis, fratris germani serenissimorum principum dominorum Wenceslai Romanorum et Bohemie regis et Sigismundi tunc Hungarie et deinde Romanorum regis et postea imperatoris. Cum quibus Anthonio et Elyzabeth, quia in tercio consanguinitatis gradu sibi invicem attinebant, Benedictus papa XIII^{us} dispensavit.

Et est sciendum, quod predictus rex Wenceslaus racione hujusmodi sacri matrimonii inter alia donavit dicto Anthonio duci Brabancie, heredibus et successoribus suis, ducatum Lucemburgensem, comitatum Tzini et advocaciam Alsacie via veri pignoris tenendum et pacifice possidendum, cum omnibus suis pertinenciis, quousque eidem Anthonio vel suis heredibus summa pecunie, pro qua ipsa Elyzabeth, seu Anthonius suo nomine,

ipsos et ipsam a Judoco Brandeburgensi et Moravie marchioni, suo patruo, redemerit, unacum centum et viginti millibus florenorum Renensium, sibi parata in pecunia data, persoluta et numerata fuerit integraliter et ad plenum. Quibus summis debet superaddi quidquid dampni perceperit et exposuerit in defensione predicte patrie, et similiter quidquid solverit pro redempcione castrorum et solucione debitorum, et similiter omnes expensas quas ipse Anthonius mittendo ad partes Bohemie, pro dicta domina Elyzabeth recipienda et suis partibus conducenda, expenderit : que omnia predicte summe centum viginti millium florenorum Renensium voluit superaddi, cum multis aliis punctis, clausulis et articulis contentis in literis dicti regis Wenceslai desuper confectis, que fuerunt date Prage, anno Domini M° CCCC° IX°, die XXVII[a] aprilis, regnorum suorum Bohemie XLVI°, Romanorum XXXIII°. Quarum quidem literarum tenor sequitur et est talis :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex. Notum facimus tenore presencium universis, quod ad peticionem serenissimi principis domini Karoli, Dei gracia Francorum regis, et aliorum illustrium inclite domus Francie principum, avunculorum et patruorum ejusdem domini Karoli, consanguineorum nostrorum carissimorum, necnon ob singularem favorem, quem ad personam illustris Anthonii ducis Brabancie, consanguinei nostri carissimi, habere dinoscimus, matrimonii sive parentele contractum inter ipsum Anthonium et illustrem Elyzabeth, natam quondam illustris Johannis ducis Gorlicensis principis, fratris nostri carissimi, neptem nostram carissimam, hoc modo et ordine duximus ordinandum :

» Sic videlicet, quod nos eandem neptem nostram Elyzabeth predicto Anthonio duci Brabancie tradere debemus et volumus legitimam in uxorem : cui eciam Elyzabeth nepti nostre in favorem hujusmodi sacri matrimonii, non per errorem aut improvide, sed animo deliberato sanoque, fidelium nostrorum accedente consilio, roboramus, approbamus, ratificamus et confirmamus omnia jura, successiones et devoluciones, que sibi de jure, consuetudine et ordine post nostram necnon serenissimi domini Sigismundi regis Hungarie, eciam illustris Judoci Brandeburgensis et Moravie marchionis, patrui nostri, carissimorum mortem possint competere quovis modo, in casu videlicet quo nos, regem Hungarie et Judocum marchio-

nem. liberis et heredibus ex nostris corporibus procreatis post nos non derelictis, ab hac luce (quod avertat Deus) migrare contigerit: quo casu nos Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex ipsam Elyzabeth reddimus habilem et habilitamus ad succedendum, debebitque ipsa succedere et succedet ad omnes dignitates, principatus, dominia et terras nostras, necnon eorundem regis Hungarie et marchionis, pacifice et quiete, jure et ordine ut supra, impedimentis non obstantibus quibuscumque.

» Item, in casu quo nos, regem Hungarie et marchionem Judocum heredes et liberos ex nostris corporibus procreatos habere contigerit, tunc ducatus Gorlicensis, marchionatus Lusachie, necnon alia dominia sive terre, quos, que et quas Johannes quondam dux Gorlicensis, prefate Elyzabeth genitor, habuit, dum vixit in humanis, tenuit et possedit, ad ipsam Elyzabeth, liberos et heredes suos devolventur et pertinebunt pleno jure, impedimentis non obstantibus quibuscumque.

» Item, prefate Elyzabeth nepti nostre favimus et indulsimus, regiaque auctoritate Bohemie indulgemus, ut ipsa, et ejus nomine Anthonius predictus, ducatum Lucemburgensem cum comitatu de Tzini et advocacia Alsacie cum suis pertinenciis, que omnia prefatus Judocus a nobis Bohemie rege supradicto via pignoris tenet et possidet, ab eodem Judoco redimere et exsolvere possit et valeat; que eciam Elyzabeth sibi de cetero, quamdiu sibi vita fuerit comes, ejusdem ducatus Lucemburgensis ducissam poterit effectualiter nominare. Et si eandem Elyzabeth liberos et heredes, ut speratur, habere contigerit, tunc hujusmodi sui liberi et heredes ad ipsum ducatum Lucemburgensem, comitatum Tzini et advocaciam Alsacie succedere debebunt et succedent, et vasalli regni et corone Bohemie hereditarie nuncupari, ipsorumque ducatus, comitatus et advocacie erunt veri heredes et domini.

» Item, si predicta Elyzabeth, liberis et heredibus ex jam dicto matrimonio non derelictis, dies suos clauderet extremos, vel eciam ipsa Elyzabeth liberis ex hujusmodi matrimonio existentibus decesserit, et postea iidem liberi et heredes decederent, tunc idem Anthonius, heredes et successores sui ducatum Lucemburgensem cum comitatu Tzini, et eciam advocaciam Alsacie, cum territoriis, civitatibus, villis, oppidis, castris, fortaliciis et eorum universis pertinenciis, castro Fels duntaxat excepto, pro hujusmodi summa pecunie, pro qua ipsa Elyzabeth, seu Anthonius suo

nomine, ipsos et ipsam a prefato Judoco virtute indulti, ut premittitur, redemerit et exsolverit, absque aliqua fructuum, reddituum et proventuum, de eisdem ducatu Lucemburgensi et comitatu Tzini et eciam advocacia Alsacie perceptorum, defalcacione, quos in sortem ipsius summe principalis computare nolumus quoquo modo, verum ipsos eidem Anthonio donavimus et donamus, de gracia speciali, titulo veri et justi pignoris habere et tenere et pacifice possidere, cum omnibus suis pertinenciis quibuscumque, debeant et habebunt, tenebunt et possidebunt ita ample et integre, sicut dux Wenceslaus defunctus tenuit unquam illos et illam ipso vivente, tamdiu quousque eidem Anthonio vel suis heredibus et successoribus prefata pecunie summa per nos, heredes et successores nostros, unacum centum viginti millibus florenorum Renensium monete, quos prefate Elyzabeth, in subsidium felicis consummacionis dicte sue parentele et matrimonii, in et super ipso ducatu Lucemburgensi, comitatu Tzini et eciam advocacia Alsacie, cum pertinenciis suis, nos Wenceslaus de munificencia nostra speciali dedimus et generose deputamus, parata in pecunia data, persoluta et numerata fuit integraliter et ad plenum.

» Et in casu quo ipsum Anthonium predictum vel heredes et successores suos, pro defensione ducatus Lucemburgensis, comitatus Tzini et advocacie Alsacie predictorum, necnon tuicione ac eciam conservacione jurium suorum, quibuscumque invasoribus seu oppressoribus ipsorum, de scitu tamen nostro, guerram movere contingeret, quidquid dampni tam racione impensarum quam eciam gentium perceperint, id ipsum nobis et successoribus nostris, Bohemie regibus, in sortem principalis summe, pro qua ipse ducatus Lucemburgensis cum comitatu Tzini et advocacia Alsacie per prefatam Elyzabeth, seu ipsius nomine per eundem Anthonium predictum, exsoluti fuerint et redempti, volumus et decrevimus superaddi, unacum predicta summa centum et viginti millium florenorum Renensium prefate Elyzabeth in subsidium sui matrimonii, ut prefertur, deputatorum; et similiter, quidquid dictus Anthonius, heredes et successores sui in exsolucione et redempcione castrorum, oppidorum, villarum seu bonorum per predecessores nostros, duces Lucemburgenses, aut eciam per nos, conjunctim vel divisim, obligatorum, seu eciam in persolucione debitorum, per ipsos predecessores nostros aut nos in dictis ducatu Lucemburgensi, comitatu Tzini et advocacia Alsacie contractorum; et pariter omnes sumptus et

expensas, quos idem Anthonius faciet mittendo ad partes nostras Bohemie, pro dicta Elyzabeth recipienda et suis partibus conducenda, expenderit, hoc ipsum unacum impensis, de quibus supra fit mentio, ad principalem, sicut premittitur, summam, sine aliqua diminucione aut defalcacione fructuum, reddituum et proventuum predictorum quacumque, nobis et predictis nostris heredibus volumus computari, nominatim et expresse, taliter ut, dum nos, heredes et successores nostri, reges Bohemie, ducatum ipsum Lucemburgensem, cum comitatu Tzini et advocacia Alsacie predictis, ab eodem Anthonio, heredibus et successoribus suis, seu causam ab eis habentibus, redimere voluerimus, quod ex tunc ipsis ante omnia principalem summam, pro qua dicti ducatus Lucemburgensis, comitatus Tzini et advocacia Alsacie redempti et exsoluti fuerint, et eciam predictam summam C et XX millium florenorum Renensium monete, unacum summa pecunie, tam racione expensarum quam eciam impensarum proveniente, necnon et omni eo quod in exsolucione debitorum, ut prefertur, expenderint, integraliter sine diminucione qualibet persolvere debebimus. Qua solucione, sicut prefertur, integre facta, ducatus Lucemburgensis cum comitatu Tzini et advocacia Alsacie, unacum universis et singulis eorum pertinenciis, ad nos et successores nostros, reges Bohemie, libere redire debebunt, et de ipsis idem Anthonius, heredes et successores sui, seu causam ab eis habentes, nobis et successoribus nostris, regibus Bohemie, sine contradictione quacumque condescendere finaliter debebunt et tenentur, fraude et dolo quibuslibet procul motis.

» Item, idem Anthonius dabit et firmabit, dat et firmat predicte Elyzabeth in suo dotalicio comitatum Tzini et civitatem Ywodii cum castro ibidem, prepositura Dorbey et Bastnach cum ipsorum pertinenciis universis, ad prefatum ducatum Lucemburgensem spectantes, per ipsam, tamdiu quam sibi vita ex alto concessa fuerit, sine impedimento quolibet pacifice et quiete possidendum : sic tamen quod hujusmodi bona post ipsius Elyzabeth obitum ad dictum Anthonium, heredes et successores suos vice versa devolvantur, per ipsos via pignoris, prout expressatur superius, possidendum.

» Item, nos potestatem et omnimodam facultatem redimendi et exsolvendi ducatum Lucemburgensem cum comitatu Tzini et advocacia Alsacie predictis, cum suis pertinenciis universis, a dicto Anthonio, heredibus et

successoribus suis, seu causam ab eis habentibus, nobis et successoribus nostris quibuscumque, Bohemie regibus, et corone Bohemie plenarie pro summis et expensis ac modo et forma, ut premittitur, reservamus.

» Item, declaravimus et declaramus ipsum Anthonium predictum rite, bene et juste ad dominium ducatus Brabancie legitima successione devenisse, et ipso ducatu cum omnibus suis pertinenciis licite et bono titulo gaudere et gaudere debere. Et insuper, in quantum opus est aut fuerit, omne jus, quod nobis tamquam Romanorum et Bohemie regi, racione ducatus Lucemburgensis aut alias, in ducatu Brabancie per modum devolucionis sive alio quocumque modo competit aut competere potest, et unacum hoc omne jus, quod nobis in castris, fortaliciis inter Mosam et Renum sitis, ad ducatum Lucemburgensem spectantibus, que idem Anthonius tenet et possidet, competere dicitur, eidem Anthonio, heredibus et successoribus suis dedimus et damus, et in eos plenarie transtulimus et transferimus. Et idem Anthonius ipsum ducatum Brabancie cum suis pertinenciis a nobis Romanorum rege infra unius anni spacium, dum tamen sibi infra dictum annum locum et diem competentem assignaverimus, in feudum suscipere debebit, propria in persona, et nobis racione hujusmodi homagii universa et singula prestare et facere, ad que ille princeps et vasallus sacri Romani imperii tamquam suo naturali domino obligatus et astrictus est, quomodolibet, de consuetudine vel de jure.

» Item, idem Anthonius, heredes et successores sui universos et singulos comites, barones, nobiles, milites, clientes, magistros civium, consules, juratos et communitates civitatum, oppidorum, villarum, locorum, necnon terras ducatus Lucemburgensis, comitatus Tzini et advocacie Alsacie predictorum, spirituales et seculares personas, seu cujuscumque alterius status, gradus seu condicionis, subditos et fideles, circa ipsorum libertates, gracias, privilegia, consuetudines et jura ipsorum, quibus hucusque per multorum annorum curricula usi, freti et gavisi sunt, debebit effectualiter illesos et indempnes conservare.

» Item, postquam ducatus Lucemburgensis predictus cum suis pertinenciis, sicut premittitur, per prefatam Elyzabeth, aut ejus nomine per predictum Anthonium, a prefato Judoco exsolutus et redemptus, aut ipse Judocus a dicto Anthonio contentus fuerit, ex tunc universi et singuli comites, barones, nobiles, ministeriales, milites, clientes, prepositi, mayerii,

magistri civium, judices, consules, jurati et communitates civitatum, oppidorum, villarum et locorum, necnon ceteri ipsorum ducatus Lucemburgensis, comitatus Tzini et advocacie Alsacie subditi et fideles, cujuscumque status, gradus, seu condicionis extiterint, et signanter capitaneus Lucemburgensis, qui in eodem ducatu de utriusque nostrum Wenceslai et Anthonii consensu pro capitaneo datus et deputatus fuerit, nobis regi Bohemie tamquam duci Lucemburgis, ipsorum domino naturali et legitimo, ac eciam predicte Elyzabeth et dicto Anthonio via pignoris debite fidelitatis juramentum prestare debebunt, et facere solitum sacramentum, sic videlicet, quod ipsi universaliter universi, et singulariter singuli, ad nos, tamquam ducem Lucemburgensem, cum omnibus et singulis dicti ducatus Lucemburgis castris, civitatibus, oppidis, villis et fortaliciis, respectum habere, nobis cum eisdem parere, obedire et intendere debeant: necnon de censibus, redditibus, fructibus, obvencionibus, proventibus et emolumentis singulis, ad ipsum ducatum Lucemburgensem spectantibus, in quibuscumque consistant, quibusve possent et valeant specialibus nominibus designari, nil penitus excepto, integraliter respondere cunctis vite nostre temporibus, quociescumque in eodem ducatu Lucemburgensi fuerimus personaliter constituti. Et si nos ad predictum ducatum Lucemburgensem in vita nostra personaliter, ut prefertur, venire non contingeret, nichilominus tamen officialibus nostris, quos regia nostra serenitas ibidem in nostris et sacri imperii Romani negociis prosequendis et dirigendis transmittere decreverit, universa et singula predicti ducatus Lucemburgensis castra, civitates, oppida, ville et fortalicia, quecumque cum scitu dicti Anthonii aperta erunt, ac si ibidem eadem regia nostra serenitas pro hujusmodi nostris et sacri Romani imperii prosequendis negociis esset personaliter constituta: sic quod iidem officiales nostri se cum nostris armorum gentibus nostro nomine, adversus quoscumque emulos nostros, et signanter Rupertum de Bavaria, in prefatis nostris et sacri Romani imperii, necnon singulis aliis nostris opportunitatibus atque causis de eisdem et ad eadem vice versa juvare valeant atque possint, tocies quocies fuerit oportunum. Et quandocumque capitaneum Lucemburgensem mori aut mutari contigerit, mox alius in locum suum institui debebit, qui eciam nobis et dicto Anthonio et Elyzabeth jurabit premissa singula effectualiter adimplere, fraude et dolo quibuslibet procul motis, impignoracione et obligacione predicti ducatus

Lucemburgensis, comitatus Tzini et advocacie Alsacie, cum suis pertinenciis, per nos eidem Anthonio et Elyzabeth predictis facta, quam in singulis, prout superius expressatur, permanere volumus, semper salva.

» Item, nos Wenceslaus rex Romanorum et Bohemie prefatus unire et confederare debebimus, unimus et confederamus cum dictis Johanne et Anthonio, ducibus Burgundie et Brabancie, per presentes, sic videlicet, quod ipsi nobis, heredibus et successoribus nostris, Bohemie regibus, in nostris et sacri Romani imperii, necnon corone Bohemie negociis atque causis, et signanter adversus Rupertum de Bavaria, adversarium nostrum, cum duobus millibus lanceatis, propriis eorum sumptibus et expensis, prestare debeant et teneantur consilium, auxilium et juvamen, dum et quando nos pro hujusmodi nostris et sacri Romani imperii prosequendis negociis in predicto ducatu Lucemburgensi fuerimus personaliter constituti; necnon eciam juxta modum et formam, quemadmodum inclite domus Francie reges et principes nobiscum et inclite domus nostre Bohemie regibus et principibus ab antiquo colligati et confederati sunt et fuerunt, tociens quociens per nos et successores nostros, Bohemie reges, super hoc fuerint requisiti, proviso tamen quod nos et successores nostri, reges Bohemie, ipsis paribus ligis, confederacionibus et promissionibus astringamur et teneamur. Et si contigerit per nos et ipsos invicem aliquas patrias, civitates, terras, villas, castra, fortalicia, aut alia quecumque loca extra dominia nostra subjugari, hec omnia sic conquisita inter nos per medium legitime partientur. Et eciam dum nos in ducatu Lucemburgensi personaliter[1] contigerit, in quibuscumque suis agendis, et cujuslibet ipsorum, tenebimur cum mille lanceatis, propriis nostris sumptibus et expensis, ipsis prestare consilium, auxilium et juvamen, sine renitencia qualibet, quociescumque super hoc ab eis aut eorum altero fuerimus requisiti. Et si contigerit per ipsos et nos aliquas patrias, terras, civitates, villas, castra, fortalicia, aut alia quecumque loca subjugari et pessumdari, videlicet in terris et locis que sunt et erunt extra dominia, patrias et obediencias ipsorum ducum Burgundie et Brabancie, hec omnia conquisita inter nos per medium legitime partientur.

» Que omnia et singula superius declarata promisimus et promittimus,

[1] Verba quaedam desunt, forte: *non venire*, seu: *non esse*

et virtute presencium in verbo nostro regio pollicemur, firmiter et inviolabiliter tenere et adimplere, quantum in nobis est, fraude et dolo cessantibus quibuscumque, sub obligacione omnium bonorum nostrorum, que ad hoc specialiter et expresse obligavimus et obligamus, presencium sub nostre regie majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Prage, anno Domini M° CCCC° IX°, die XXVII^a aprilis, regnorum nostrorum Bohemie anno XLVI°, Romanorum vero XXXIII°. Et erant dicte litere sic signate : Ad mandatum domini regis : Jacobus canonicus Pragensis. »

Qualiter sponsa fuit ducta in Brabanciam, et qualiter matrimonium in facie ecclesie fuit solempnizatum, et nupcie celebrate. Cap. XC.

Supradicti vero matrimonii tractatu perfecto, literisque desuper oppor- 1409.
tune scriptis et sigillatis, et predictis ambaxiatoribus traditis, rex Bohemie fecit dictam sponsam, neptem suam, tradi et deliberari in manibus episcopi Cabilonensis et aliorum ambaxiatorum antedictorum, qui, prius impetratis literis salvi conductus a marchione Mysinensi, duce Bruynswicensi, archiepiscopis Maguntinensi et Coloniensi, ac eciam a Johanne de Bavaria, electo Leodiensi, ex Praga et regno Bohemie cum dicta sponsa recedentes, post aliquot dies applicuerunt in oppido Oudenborch, spectante ad marchionem Mysinensem predictum, qui dictam sponsam cum tota sua familia leta facie receptavit et magnifice pertractavit : cui ipsa sponsa dedit unum pulchrum jocale, lapidibus preciosis decoratum; marchio vero vice versa propinavit eidem unum nobilem domicellum in alba veste, cum quinque bonis equis albis coopertis, solvitque liberaliter omnes expensas per ipsam et totam suam comitivam in dicto oppido de Oudenborch et per totam terram suam factas. Dehinc ulterius progredientes, donec venerant supra Renum ad civitatem Maguntinam, archiepiscopus Maguntinensis liberaliter eciam solvit omnes expensas per ipsam sub sua dicione consumptas, et concessit sibi pulcherrimam navem fenestris vitreis ornatam, in qua navigando per Renum descendit usque Coloniam. Dicta vero sponsa in itinere prope Confluenciam applicante, Gerardus comes de Seyne, frater Wilhelmi juvenis comitis de Seyne antefati, ipsam cum leticia faciei solempniter festivavit, diversi generis ciborum et potus magnifice mini-

strando, unumque plaustrum optimi vini Renensis sibi ministrando. Archiepiscopus vero Coloniensis eciam liberaliter persolvit omnes expensas ubique locorum per totam terram suam consumptas. Similiter eciam exsolvit electus Leodiensis omnes expensas per ipsam in terra sua factas. Et tandem, ulterius progredientes, venerunt usque ad Lovanium cum magno honore, et non sine parvo timore, per paucos dies ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste. Et antequam ambaxiatores redierunt in Brabanciam, fuerunt extra per novem menses vel circiter, infra quem terminum plus quam CL millia coronarum expenderunt.

Tempore vero quo sponsa venit in Brabancia, dux Anthonius sponsus suus fuit in Francia penes Burgundie ducem, fratrem suum : qui ejus adventu percepto, illico festinavit venire ad eandem. Interim magnates et nobiles Brabancie quotidie confluxerunt ad ipsam, in castro Lovaniensi usque ad adventum ducis Anthonii residentem, quam in pratis et nemoribus adduxerunt ad videndum cum solacio et leticia volatus avium, reptilium et cursus canum venaticorum. Dux autem Anthonius adveniens, ipsam cum leto vultu et jocundo, ac omnes dominas et domicellas in ejus comitiva existentes, hylari facie visitando decenter festivavit. Et post paucos dies ipse dux Anthonius, suis baronibus et militibus notabiliter associatus, duxit prelibatam sponsam suam de Lovanio ad Bruxellam, ubi pro nupciis celebrandis omnia fecit preparari, que pro tanta solempnitate erant necessaria et opportuna. Fecit enim ante curiam suam ad Frigidum Montem edificari ex lignis magnam aulam, longam et amplam, quam ab extra supra tectum pannis albi et rubri coloris de scarlaco, et ab intra pannis aureis, parietesque ab extra consimilibus pannis de scarlaco, et ab intra pannis de preciosis tapiceriis fecit cooperiri. Fecit eciam ante dictam aulam mirifico opere fabricari Syrenem, ex una mamilla vinum Belnense, ex altera Renense effluentem.

Fuit autem predictum matrimonium inter ducem Anthonium et dominam Elyzabeth sponsam supradictos in facie ecclesie Sancti Jacobi Frigidi Montis in Bruxella solempnizatum, mensis julii die XVI^a^, anno M^o^ CCCC^o^ IX° supradicto. Quam quidem sponsam duxerunt ad ecclesiam predictam Johannes dux Burgundie et comes Clarimontensis, senior filius ducis Borbonie, et post missarum solempnia in aulam novam reduxerunt ad prandium. Ubi tempore prandendi oriebatur contencio inter comitissas Namur-

censem et Sancti Pauli; utraque ipsarum voluit habere primum locum in mensa : que contencio tam cito sedari non potuit, quoniam ambe exeuntes aulam quelibet per se in sua camera fuit pransa. Prandio autem facto, supradicta sponsa fuit solempniter ducta ad domum scabinorum ad hoc preparatam, ante quam supra forum fiebant hastiludia inter nobiles : sponsus autem dumtaxat tres justas fecit, inter quas duos armatos sibi successive occurrentes cum eorum dextrariis hasta sua ad terram prostravit. Quo facto, sponsus galea exuta, inclinato capite, subrisu letabundo sponsam salutavit, que se erigendo ipsum capite inclinato eciam honoravit, quam illa nocte condormivit, genuitque ex illa unum filium, quem sacro fonte levaverunt Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie, etc., et Johannes de Bavaria, electus Leodiensis, et vocatum est nomen ejus Wilhelmus. Qui parum supervixit, et sepultus est cum merore magno apud Carmelitas in Bruxella, subtus tumbam in qua Johanna ducissa Brabancie jacet tumulata.

De arreragiis ducisse Johanne, causa sui dotalicii sibi assignati per quondam Wilhelmum comitem Hannonie, etc., maritum suum per Frisones occisum, restantibus, per ducem Wilhelmum de Bavaria, comitem Hannonie, Hollandie, etc. Anthonio duci Brabancie persolutis. Cap. XCI.

Anthonius dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgis sacrique imperii 1409. marchio, immemor arreragiorum Johanne ducisse Brabancie, etc., matertere sue, causa sui dotalicii sibi assignati per quondam Wilhelmum comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie, suum, dum vivebat, maritum per Frisones occisum, restancium et debitorum pro hujusmodi arreragiorum, per memoratum ducem Wilhelmum de Bavaria, comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie, etc., sepe moneri fecit et summari, qui tandem, post multas amicabiles dietas inter ipsos desuper tentas, se submiserunt ordinacioni Johannis ducis Burgundie, etc. Qui, submissione hujusmodi in se assumpta, servatis servandis, per suam sentenciam inter easdem partes pronunciavit et ordinavit in oppido Insulensi, Tornacensis dyocesis, anno Domini M° CCCC° IX°, mense augusto, quod prelibatus dux Wilhelmus Bavarie, comes Hannonie, etc., pro suprascriptis arreragiis antedicto duci Anthonio, certis terminis tunc nominatis, in numerata pecunia persolveret summam

septuaginta duorum millium coronarum antiquarum cugni regis Francie, aut valorem earumdem in moneta aurea equivalenti. Quam quidem summam idem dux Wilhelmus dicto duci Anthonio terminis predictis bene et legaliter persolvit eodem anno. Ex eo quod dux Anthonius dicto duci Wilhelmo promisit facere assistenciam contra Reynaldum ducem Juliacensem et Gelrensem et dominum Johannem dominum de Arkele, idem dux Wilhelmus promisit dicto duci Anthonio tradere et in pecunia numerata solvere summam XXIIII millium coronarum Francie, quam summam sibi plenarie persolvit.

De controversia orta inter oppida Antwerpiense et Mechliniense. Cap. XCII.

1410. Anno Domini M° CCCC° X° orta est controversia inter oppida Antwerpiense, ex una, et Mechliniense, parte ex altera, propter fora piscium, salis et avene, Johanne duce Burgundie tamquam comite Flandrie cum Mechliniensibus, et Anthonio duce Brabancie tamquam sacri imperii marchione cum Antwerpiensibus se partes facientibus. Ob quam controversiam amicabiliter sedandam, licet oppida Lovaniense et Bruxellense vices suas interponentes fideliter laborarunt, non sine parvis ipsorum sumptibus et expensis, nichil tamen proficere potuerunt. Quare Antwerpienses ducem Anthonium Brabancie et Mechlinienses ducem Johannem Burgundie de remedio opportuno ipsis desuper providendo instantissime sunt prosecuti, et in tantum quod ambo duces et fratres convenerunt in Mechlinia ad tractandum et de meritis cause hujusmodi cognoscendum : qui in tractando mutuo calore succensi, dux Burgundie dixit fratri suo duci Brabancie, quod illis malas gracias referret, qui ipsum inducerent et sibi in causa hujusmodi consulerent, quodque cum sua plus quam aliorum amicicia proficere posset. Ad quod dux Anthonius, nemine consulente, respondit oretetus : « Domine et frater, ego recognosco vos fore fratrem meum seniorem, » et quidquid servicii et amoris racione primogeniture vobis teneor astrictus, prompto animo adimplere curabo, in quantum me in jurisdictione » mea non leseritis; ego enim tamquam dux Brabancie et marchio nullo » modo vellem sufferre, quod vos tamquam comes Flandrie limites meos

» abbreviare deberetis, in quibus conservandis ultra omnes alios michi
» assistere tenemini auxilio, consilio et favore; et qui vos inducerent ad
» contrarium, non essent bene consulti. » Et hiis dictis ambo fratres animo irato ab invicem recesserunt.

Dux vero Johannes Burgundie fecit et ordinavit dominum Rolandum de Utkercke militem supremum capitaneum in oppido Mechliniensi. E contra autem dux Anthonius instituit supremum gubernatorem et capitaneum dominum Heinricum de Lecka militem in oppido Antwerpiensi, fecitque fieri prope Rumpst unam fortem munitionem, dictam theutonice *een bolwerck,* cum propugnaculis, de quo fecit capitaneum et defensorem Arnoldum de Sevenbergen, pro tunc scultetum Antwerpiensem et marchionem, ad impediendum quod nulle naves per flumen Senne ascendere versus Mechliniam, neque de Mechlinia descendere possent.

Qualiter mortuo Ruperto de Bavaria rege, Judocus marchio Moravie eligitur in regem Romanorum. Cap. XCIII.

Anno Domini M° CCCC° X° Judocus marchio Moravie, post mortem domini Ruperti de Bavaria, Romanorum regis, tempore Gregorii pape XII[i] de obediencia Romana, fuit electus in regem Romanorum, sed non fuit coronatus, et vixit electus per quinque menses vel circiter, et ita obiit nichil insigne faciendo. Et est sciendum quod iste Judocus fuit electus per Johannem Maguntinensem, Fredericum Coloniensem archiepiscopos et per procuratores ducis Saxonie et marchionis Brandenburgensis. Sed archiepiscopus Treverensis et comes palatinus Reni, dux Bavarie, qui tamquam scismatici, adherentes et fautores Gregorii pape predicti, in generali concilio Pisano depositi, fuerunt per alios electores suprascriptos ad eligendum refutati, elegerunt in regem Romanorum serenissimum principem dominum Sigismundum Hungarie regem. Qui postea anno XI° immediate sequenti, post obitum regis Judoci prelibati, mensis julii die XXI[a], fuit per omnes electores in regem Romanorum electus, ut infra clarius patebit suo loco.

Qualiter Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex declaravit ducem Anthonium rite, bene et juste legitima successione ad dominium ducatus Brabancie, etc., devenisse, prout ex literis sequentibus patet. Cap. XCIV.

1411. « Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex. Notum facimus tenore presencium universis, quod, sicut alias ad supplicem precum instanciam serenissimi principis domini Karoli Francorum regis et aliorum illustrium inclite domus Francie principum, patruorum et avunculorum ejusdem domini Karoli, consanguineorum nostrorum dilectorum, necnon ob singularem favorem, quem ad personam illustris Anthonii ducis Brabancie, consanguinei nostri carissimi, parentele seu matrimonii contractum inter ipsum Anthonium ducem Brabancie et inclitam Elizabeth, illustris quondam Johannis Gorlicensis principis, germani nostri carissimi, filiam neptemque nostram predilectam, optatum deduximus in effectum, ipsamque neptem nostram predicto Anthonio duci Brabancie legitimam tradentes in uxorem : ita nos, in favorem hujusmodi sacri matrimonii, et pro confirmacione et in signum amicicie specialis, animo deliberato, sano principum, procerum et fidelium nostrorum accedente consilio, de certa nostra sciencia cum eodem Anthonio duce Brabancie, necnon illustri Johanne duce Burgundie, germano ipsius, similiter consanguineo nostro dilecto, novas ligas, uniones et confederaciones inivimus et virtute presencium subintramus : taliter videlicet, quod ipsi Anthonius Brabancie et Johannes Burgundie duces et consanguinei nostri predicti nobis, heredibus et successoribus nostris, regibus Bohemie, in nostris et sacri Romani imperii ac corone Bohemie negociis atque causis adversus quoscumque, cujuscumque eciam gradus, status, dignitatis seu preeminencie extiterint, cum duobus millibus lanceatorum, propriis eorum sumptibus et expensis, prestare debebunt et tenentur consilium, auxilium et juvamen; et signanter juxta modum et formam, quemadmodum inclite domus Francie reges et principes nobiscum in domo nostra Bohemie et regibus et principibus ipsius ab antiquo colligati et confederati existunt et fuerunt, tociens quociens per nos et successores nostros reges Bohemie super hoc fuerint requisiti : proviso tamen quod nos, heredes et successores nostri, reges Bohemie, ipsis paribus ligis, unionibus et confederacionibus astringamur.

» Insuper vero, ut predictus Anthonius, consanguineus noster, ob prefati matrimonii ac parentele sacrum contractum alicujus munificencie nostre beneficio gaudeat merito in futurum, auctoritate regia Romanorum et Bohemie declaravimus, et virtute presencium declaramus, eundem Anthonium ducem Brabancie, consanguineum nostrum, ad dominium ducatus Brabancie rite, bene et juste legitima successione pervenisse, et ipso ducatu cum omnibus suis pertinenciis licite et bono titulo gaudere, et gaudere debere. Ac eciam, si et in quantum opus est, omne jus quod nobis tamquam Romanorum et Bohemie regi, racione ducatus Lucemburgensis ac alias, in et super ducatu Brabancie, per modum devolucionis seu alio modo quocumque, competit aut competere potest, et similiter omne jus, quod nobis in castris, fortaliciis inter Mosam et Renum sitis, ad ducatum Lucemburgensem spectantibus, que idem Anthonius ad presens tenet et possidet, competere dicitur, eidem Anthonio, heredibus et successoribus suis dedimus et donavimus ac in ipsos transferimus plenarie et in toto, presencium sub regie nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Prage, anno Domini M° CCCC° XI°, die XXV^a augusti, regnorum nostrorum Bohemie anno XLIX°, Romanorum vero XXXVI°. Sic signata : Ad mandatum domini regis : Johannes de Bamberg. »

De successione sive successiva devolucione ducatus Brabancie.
Cap. XCV.

Quia, ut supra in gestis ducis Wenceslai et Johanne ducisse Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis narrative scribitur, qualiter eadem ducissa Johanna per suas literas patentens, datas Bruxelle, anno Domini M° CCC° LVI°, feria secunda proxima ante dominicam *Invocavit,* inter cetera ordinaverat, quod, si ipsa non relictis heredibus, dicto duce Wenceslao consorte suo superstite, moreretur, quod tunc ipse consors suus in principatibus, ducatibus, terris et dominiis suis tamquam naturalis princeps et dominus sibi succederet, et patrie hujusmodi ad ipsum libere devolverentur; si vero ipsa, dicto consorte suo fortassis premortuo, supervixerit, et a corpore suo heredes non habuerit, ipsa tamen hoc non obstante ad tempora vite sue domina patriarum predictarum remaneret.

et, si ab alio marito proprii corporis heredes habuerit, illi sibi in hujusmodi patriis haberent succedere; quod, si dictum ducem Wenceslaum et ipsam nullis relictis heredibus ambos mori contigerit, eo casu principatus, ducatus, terre et dominia Brabancie et Lymburgis ad proximiorem domus seu prosapie Lucemburgensis heredem, qui pro tempore fuerit, libere devolverentur, ut in dictis literis clarius asseritur contineri; et quia supra in gestis ducis Wenceslai et ducisse Johanne predictorum remittitur ad hujusmodi literas in gestis ducis Anthonii inserendas, idcirco copiam sive tenorem earundem hic inscribere curavi, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis [1]:

« Nos Johanna, Dei gracia Lucemburgensis, Brabancie, Lotharingie et Lymburgis ducissa sacrique imperii marchionissa, notum facimus tenore presencium universis, quod serenissimus et invictissimus princeps et dominus, dominus Karolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus et Bohemie rex, dominus noster graciosus, lamentabiles hujus vite vanitates, mutaciones temporum, eventus ambiguos, mundanarum rerum statum instabilem, quibus omnis homo subjicitur, propenso deliberato mentis consilio rite considerans, et futuris altercacionum amfractibus et perniciosis dissensionum dispendiis desiderans salubriter obviare, cum illustri principe domino Wenceslao de Bohemia, Lucemburgis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis duce sacrique imperii marchione, consorte nostro carissimo, et nobiscum super disposicione, condicione, statu, successione seu successiva devolucione principatuum, ducatuum, terrarum et dominiorum Brabancie et Lymburgis, habito cum eodem consorte nostro et nobiscum, necnon cum principibus, proceribus suis imperialibus ac nostris fidelibus super hoc diligenti tractatu et maturo consilio, concordavit, et de hiis, accedente ad hoc benevolo, spontaneo et expresso dicti nostri consortis et nostro consensu, modum et ordinem statuit infrascriptum :

» In primis quidem tota Brabancia et Lymburgensis patria, videlicet oppida, burgenses, oppidani, vasalli, feudales, incole et habitatores ipsius patrie, dicto domino duci, consorti nostro, et nobis ad nostras et heredum nostrorum manus prestiterunt ad sancta, velut legitimis et naturalibus

[1] Cfr. Butkens, t. I Preuv. p. 190.

principibus et dominis suis, solitum et consuetum corporale subjectionis, fidelitatis, obediencie et homagii juramentum. Ipse quoque dominus consors noster statim ex nunc, sive a data presencium, in prefatis principatibus, ducatibus, terris et dominiis, ac ipsorum pertinenciis universis, debebit, absque contradictione qualibet, potenter et actualiter, libere et realiter, tamquam verus et legitimus et naturalis princeps et dominus, dominari, regere, precipere, et expressa feuda seu feudalia jura et bona tradere et conferre, officiatos, quocumque titulo censeantur, instituere, et eciam ad libitum removere, et generaliter ac libere administrare in omnibus et per omnia, sicut veri principes et hereditarii ac naturales et legitimi domini administrare, imperare, regere et disponere consueverunt : verumtamen hec omnia de nostris sciencia et consilio administrabit, faciet et disponet. Sed si ipsius administracioni seu disposicioni contradiceremus, nec vellemus in premissis, seu aliis ex hiis emergentibus, necessariis, opportunis seu dependentibus, consentire, nichilominus ipse consors premissa universa et singula disponendi et faciendi auctoritatem habebit et omnimodam potestatem, et quidquid in hiis faciendum, disponendum duxerit et agendum, ratum, solidum et firmum usque quoque perseverare debebit. Eo tamen signanter expresso, quod, quamdiu vixerimus, jam dictus dominus noster dux, consors noster, sine nostris voluntate et consensu, quecumque immobilia de principatibus, ducatibus, terris et dominiis Brabancie et Lymburgis predictis, fundo et proprietate ipsorum, obligare, permutare, alienare aut vendere non debeat neque possit.

» Sique nos non relictis heredibus, jam dicto consorte nostro superstite, moreremur, ex tunc ipse consors noster in principatibus, ducatibus, terris et dominiis antedictis tamquam naturalis princeps et dominus nobis, non obstante cujuscumque contradictione, ad ipsum succedet, et ad ipsum principatus, ducatus, terre et dominia hujusmodi libere devolventur. Si vero predicto domino duce consorte nostro fortasse premortuo supervixerimus, nec tamen habuerimus ex corpore ipsius nostri consortis heredes, hoc nequaquam obstante, nos predicte patrie ducissa, princeps et domina remanebimus ad tempora vite nostre : si autem ex alio marito proprii corporis heredes habuerimus, illi nobis habebunt succedere in principatibus, ducatibus, terris et dominiis antedictis. Quod si memoratum consortem nostrum et nos, nullis relictis heredibus, ambos mori contigerit, eo casu

principatus, ducatus, terre et dominia sepedicta Brabancie et Lymburgis ad prefatum dominum nostrum, serenissimum dominum imperatorem, tamquam successorem legitimum, ipso vero ex tunc defuncto, ad proximiorem domus seu prosapie Lucemburgensis heredem, qui pro tempore fuerit, libere devolventur.

» Illud insuper non duximus omittendum, quod in premissis tractatibus specialiter extitit ordinatum, quod memoratus dominus dux, consors noster, et nos, necnon tota Brabancia et Lymburgis patria, preter expressum ipsius domini nostri imperatoris consensum, cum adversariis et hostibus nostris pacem aliquam seu treugas aut concordiam inire, facere vel contrahere non debebimus nec debebunt; nec eciam idem dominus noster dominus imperator cum eisdem adversariis aliquid horum, puta pacem, treugas et concordiam, inire debebit, absque sepedicti consortis nostri nostraque et ejusdem patrie voluntate.

» Quia igitur hec omnia et singula de libero et expresso consensu et nostre voluntatis arbitrio ac ex certa nostra sciencia processerunt, ideoque ea firmiter attendere et perpetuo rata tenere et inviolabiliter, bona fide et sine omni dolo, promittimus adimplere. In cujus testimonium presentes literas fieri et sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Bruxelle, anno Domini M° CCC° LVI° secundum stilum et modum scribendi dyocesis Cameracensis, feria secunda proxima ante dominicam *Invocavit.* »

Et quia juxta earundem literarum continenciam, attento quod memorata ducissa Johanna nullis relictis heredibus a corpore suo procreatis decessit, rex Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex atque Lucemburgensis dux, qui post supradicti Wenceslai obitum ex domo et prosapia Lucemburgensi suus proximior heres fuit, et sibi in ducatu Lucemburgensi successit, ducatus et dominia Brabancie et Lymburgis sibi debebantur devoluta; ideo supradictus Anthonius Brabancie et Lymburgis dux, licet de bono jure suo in dictis ducatibus et dominiis competenti non dubitaret, propter multas raciones, et inter alias, quod translacio ducisse Johanne in ducem Wenceslaum facta, quam prelibati Wenceslai Romanorum et Bohemie regis ducisque Lucemburgis heredes pro se allegare possent, non vindicavit sibi locum, quia fuit donacio inter virum et uxorem, que jure censetur invalida : nichilominus tamen idem dux Anthonius, futuris altercacionum amfractibus et perniciosis dissensionum dispendiis

desiderans salubriter obviare, que alias (quod Deus advertat) ducatui et dominio Brabancie verisimiliter possent evenire, tantum procuravit apud antedictum Wenceslaum Romanorum et Bohemie regem atque Lucemburgensem ducem, quod ipse, in suprascripti matrimonii inter eundem Anthonium et dominam Elizabeth neptem suam contracti confirmacionem et favorem, per supradictas literas suas declaravit, eundem Anthonium ad dominium ducatus Brabancie legitima successione pervenisse; et, si opus esset, omne jus, quod sibi tamquam Romanorum et Bohemie regi, racione ducatus Lucemburgensis aut alio modo quocumque competere potuit, et similiter omne jus, quod sibi in castris et fortaliciis inter Mosam et Renum sitis, ad ducatum Lymburgis spectantibus, competere dicitur, eidem Anthonio, heredibus et successoribus suis dedit et donavit, et in ipsos transtulit plenarie et in toto. Et sic clare patet, quod hujusmodi translacio, per regem Wenceslaum de ducatu Brabancie in ducem Anthonium et ejus heredes facta, excludit, annullat et tacite revocat ordinacionem de successione sive successiva devolucione de predicto ducatu Brabancie per supradictam ducissam Johannam factam.

Quia in literis matrimonialibus inter alia cavetur, qualiter rex Wenceslaus donavit duci Anthonio et suis heredibus ducatum Lucemburgensem et comitatum Tzini cum advocacia Alsacie via veri pignoris tenendum et pacifice possidendum, quousque eidem Anthonio vel suis heredibus summa pecunie, pro qua Elyzabeth neptis sua, etc., seu dux Anthonius suo nomine, ipsos et ipsam a Judoco Brandenburgensi et Moravie marchione, patruo suo, redemerit, unacum centum millibus florenorum Renensium sibi parata in pecunia persoluta et numerata fuerit integraliter et ad plenum, etc.; sed quia dictus marchio Judocus ab hoc seculo migravit, antequam predicti ducatus, comitatus et advocacia per ducem Anthonium ab ipso fuerunt redempti: idcirco idem Anthonius dux ad supradictum Romanorum et Bohemie regem transmisit Wilhelmum juvenem comitem de Seyne, consiliarium, et Petrum de Hal, secretarium suos, qui a predicto rege impetrarunt literas suprascriptas, per quas idem rex declarat ducem Anthonium ad ducatum Brabancie legitima successione pervenisse, necnon literas de alia impignoracione, prout sequitur in hunc modum.

De alia impignoracione ducatus Lucemburgensis. Cap. XCVI.

Item dictus rex Wenceslaus per alias patentes literas, ipsius majestatis impendente sigillo sigillatas, datas Prage anno Domini M° CCCC° XI°, die veneris proxima ante festivitatem Assumptionis beate Marie, regnorum suorum Bohemie anno XLIX°, Romanorum vero XXXVI°, dedit supradicte domine Elyzabeth nepti sue, ducisse Brabancie, titulo veri pignoris super ducatum Lucemburgensem, comitatum Tzini et advocaciam Alsacie, centum et XX millia florenorum Renensium, ad illos et illam tenendum et possidendum, quousque eadem summa sibi fuerit persoluta. Et si ipsa decederet, et liberos ex corpore dicti Anthonii mariti sui procreatos habuerit, sive filii sive filie fuerint, illi dictos ducatum, comitatum et advocaciam possiderent et tenerent, cum universis et singulis suis pertinenciis, quousque, etc. Et si ipsa decederet nulla a dicto Anthonio prole relicta, tunc idem Anthonius illos et illam teneret et possideret pro sexaginta millibus florenorum Renensium, donec, etc., absque hoc quod nullam aliam pecuniam neque dampna desuper superaddere poterunt seve computare. Quocirca mandavit universis et singulis comitibus, baronibus, nobilibus, ministerialibus, militibus, clientibus, prepositis, villicis, magistris civium, judicibus, consulibus, juratis et communitatibus civitatum, oppidorum, villarum, locorum ducatus Lucemburgis, comitatus Tzini et advocacie Alsacie, quatenus predictis Elyzabeth et Anthonio via pignoris debite fidelitatis juramentum et solitum sacramentum prestarent et facerent, prout in dictis literis, cum nonnullis aliis clausulis, punctis et articulis, inter cetera plenius continetur, quarum tenor sequitur in vulgari teuthonico, et est talis :

« Wir Wentzlaw, von Gottes gnaden Roemscher kunig, zu allen zeiten merer des Reichs und kunig zu Behem, bekennen und tun kunt offentlich mit disen brieve allen den die in sehen oder horen lesen, das wir, durch sunderlicher liebe und fruntschafft willen, die wir zu der hochgeboorner Elzbethen, eit wanni seliger gedechtniss des hoochgebornen Johans hertzog zu Gorlitz, unsers lieben bruders und fursten tochter, hertzogin zu Brabant, unser lieber zwestere und furstine, haben und tragen, derselben Elzbethen, unser lieber zwester, mit wol bedachten mute, guten rate

unser fursten, herren, edelen und getruwen, uff unsem hertzogtum und lande zu Lutzenborch, der grafschafft zu Tzini und der lantvogtey zu Elsassen, und allen iren zugehorungen, hundert und zwentzich tausent Rynsch gulden zu rechter furstlicher eesteuer gegeben, vermacht und verschriben haben, machen und verschryben ir die doruff mit rechter wissen, in crafft des brieves und kuniglicher machte zu Behem : alsoe das dieselbe Elzbeth hertzogin zu Brabant, unser lieber zwester, des vurgenomde unser hertzogtum und lande zu Lutzenborch, die graffschaft zu Tzini und die lantvogtei zu Elsassen, mit allen und yglichen iren zugehorungen, die von alders dorzu gehoort haben und noch gehoren, woran die sint, und wie man die mit sunderlichen worten benennen moge, nichts ussgenomen dan allein unses sloss und stat zu Welschenfels, die wir uns zu unsem willen behalden, fur die egenannten hundert und zwentzich tausent Rynsch gulden ynnehaben, halden, besitzen und geruchlich geniessen und gebrauchen sol, die wyle sie lebt, von aldermenich ungehindert.

» Und were es sache das die egenannte Elzbeth unser lieber swester, von Gotes verhengenis wegen (das doch Godt lange spare), sturbe und abginge, und kinder und erben hinder ir liesse, die von dem hochgebornen Anthonien hertzogen zu Brabant, iren gemahel, unsen lieben sune und furste, und auch iren lieben comen weren, sy weren mannen oder weybes geslechte, dieselben ire kinder und erben sullen auch des egenannten unses hertzogtum und lande zu Lutzemborch, die graffschafft zu Tzini und die lantvogtey zu Elsassen, mit iren zugehorungen, fur die egenannte somme geldes hundert und zwentzich tausent Rynsch gulden, innehaben, halten, besitzen, geniessen und gebrauchen, von allermenich ungehindert, als lange bis das wir und unse nachkomen, kuninge zu Behem, die von in mit derselben somme geltes an uns wider losen und bringen.

» Were auch sache das die egenannte Elzbeth, unser lieber zwester, sturbe und abginge, und kinder und erben, die von dem egenannten Anthonien und iren lieben komen weren, hinder ir, des wir doch nicht hoffen, nicht en liesse, soe sal der egenannte Anthonie das egenannte unser hertzogtum und lande zu Lutzemborch, die graffschaft Tzini und die lantvogtey zu Elsassen innehaben, behalden, besitzen, die geniessen und ge-

brauchen, soe lange bis das wir und unse nachkomen, kunige zu Behem. die von in und seinen erben mit sechzich tausent Rynsch gulden an ons wider losen und bringen. Wer auch wir und unse nachkomen, kunige zu Behem, der egenannten Elzbethen, unser lieber swester, erben und kinderen, die hinder ir liesse, hundert und zwentzich tausent Rynsch gulden, und, als sie kinder und erben hinder ir nicht liesse, den egenannten Anthonie iren gemahel sechzich tausent Rynsch gulden, als vorschreven stehet, gerichet und gentzlich und gar betzalt haben, so sollen sie uns die egenannten unses hertzogtums und landes zu Lutzemborch, der graffschaft zu Tzini und der lantvogtey zu Elsassen, mit allen und yglichen iren zugehorungen, wider abtreten, und uns die in unsen henden an alles verzihen und wedersprechen geben und omantworten, und doruff khein ander gelt nicht slahen noch schaden rechten, in kheine weys.

» Auch soe sollen und mugen wir, alle die weile wir leben. in den egenannten vorschreben hertzogtum und lande zu Lutcemborch. der graffschafft zu Tzini und der lantvogtey zu Elsassen einen haubtman setzen. wen wir wollen, und den weder ontsetzen, als ofte uns dat gefallen wirdet. der uns und der egenannten Elzbethen. unser lieber swester. of zulche stuck als oben geschriben stehet, hulden und zweren sol, uns und ir mit dem egenannten hertzogtum und lande zu Lutzemborch. der graffschaft zu Tzini und der lantvogtey zu Elsassen undertenig, gehoorsaem und getreulichen gewartenden zu sein, alle unser und iren lebtage: und sol auch uns der egenannte haubtman von allen renten, nutzen und gefellen, die er von den egenannten unsen hertzogtum und lande zu Lutzemborch, der graffschafft zu Tzini und der lantvogtei zu Elsassen jerlichen innemen und ontphahen wirdet, alle jare gute rechninge tun, und ons auch dovan dorrien jerlich rechten und geben, als wir der mit in werom werden.

» Auch so sal das egenannte unser hertzogtum und lande zu Lutzemborch, die graffschafft zu Tzini und die lantvogtei zu Elsassen, mit allen und yglichen yren slossen und steten, alle die weile die die egenannte Elzbeth. unser lieber swester, und deren egenannte Anthonie, ir gemahel, und ire erben von uns innehaben und besitzen. uns und dem durchluchtichsten fursten und herren Sigismunden kunige zu Ungeren, etc., unsem lieben bruder, von allen unsen nachkomen, kunig zu Behem. offen sein, alsoe das wir uns, und unsse amptlude von unssen wegen, dorus und

dorin. beide in des heiligen Reichs, der cronen zu Behem und sunst in allen anderen unsen sachen. behelffen solen und mogen wider allermenichlich, niemant usgenomen. aen ire schaden.

» Auch sal die egenannte Elzbeth und der egenannte Anthonie, ir gemahel, alle die weile sie und ire erben das egenannte vorschreben hertzogtum und lande zu Lutzemborch, die graffchafft zu Tzini und die lantvogtei zu Elsassen, mit iren zugehoringen, haben und besitzen, graffen, freyen heren, dinstlute, rittere unde knechte, und sunst allen menichlich, in welchen wesen oder wirden die were, geistlich oder weltlich, derselben unsen landen inwooneren und undersessen, bey iren genaden, rechten und freyheten geruchlichen bleiben lassen, und sie daran nicht hinderen noch irren, noch sy daruber besweren, in kheine weis, sunder by lantrecht und alder gewonheit geruchlich behalden. Und dorumb so gebieten wir allen und yglichen, graffen, freyen heren, epten, prelaten, dinstluten, ritteren, knechten, gemeinschefften der stede, merckte und dorffer, und sunst allen anderen des egenannten unses hertzogtums und landes zu Lutzemborch, duitscher und welscher lande, der grafschaft zu Tzini und der lantvogtei zu Elsassen undersessen und inwoneren, in welchen wirden oder wesen die sein, geistlich oder weltlich, die met desen brieve ermanet werden ernstlich und vestichlich, das sy der egenannten Elzbethen und auch den egenannten Anthonien, iren gemahel, mit den egenannten unsen hertzogtum und lande zu Lutzemborch, der graffschaft zu Tzini und der lantvogtei in Elsassen, uff sulche stucke als oben geschreben stehet, hulden und sweren sullen, und undertenig, gehoorsaem und gewartende zu sein, also lange bis wir, unser nachkomen, kunige zu Behem, die van in und iren erben, mit sulcher sommen gelts als oben geschreben stehet, an uns losen und bringen, als lib in sei unse swere ungnade zu vermeiden. Mit urkunt dis brieffs, versigelt mit unser koniglicher majesteyt insigel. Geben zu Praghe, nach Christs geburt viertzehen hundert jar und darnach in dem elfften jare, des nechsten freytachs vor Unser Frouwen tage *Assumptionis,* unser reiche, des Behemischen in den XLIX, und des Romischen in den XXXVI jaren. Ad mandatum domini regis: J. DE BAMBERG. »

De predictis literis sequitur executoria in vulgari teutonico scripta.
Cap. XCVII.

« Wir Wentzlaw, von Gotes genaden Roemischer kunig, zu allen zeiten merer des Reichs und kunig zu Behem. embieten allen und yglichen grafen, freyn heren, epten, prelaten, dinstleuden, ritteren, knechten. proibsten, meyeren, richteren, scheffen und gemeinscheften der stete, merckte und dorffer, und sunst allen anderen unses hertzogtums und lande zu Lutzemburch, duytscher und welscher lande, der graffschaft zu Tzini und der lantvogtei in Elsassen inwoneren und undersessen, in welchen wirden oder wesen die sind, die mit desen brieve ermanet werden, unser gnaden und alles gut. Edelen, lieber getreuwen, wir haben der hochgebornen Elzbethen. ettwein seliger gedechtnis des hochgebornen Johansen hertzogen zu Gorlitz, unses liben bruders und fursten tochter. unser liber swester und furstinn. und auch den hochgebornen Anthonien hertzogen zu Brabant, unsen liben son und fursten, uff unsem hertzogtum und land zu Lutzemborch, der graffschaft zu Tzini und der lantvogtey zu Elsassen und allen yglichen yren zugehorunge, ene genante somme gelts gnadichlich vermachet und verschriben, die dafur zu haben, zu halden. zu besitzen, und der zu geniessen und zu gebrauchen, als das alles unser kuniglicher majestat brieve, die wir in doruber geben haben, eygentlich usweisen. Und dovan so gebieten wy auch allen gemeynnichlich, und einen yglichen sunderlich, ernstelich und vestichlich met disem brive, das er der egenannten Elzbethen, unser liber swester, und auch den egenannten Anthonie iren gemahel, nach laut und inhalten der stucke, als die in den egenannten unsen brieve geschreben steen, hulden, sweren und geloben sollet. in und yren erben mit den unsen hertzogtum und lande zu Lutzemborch, der graffschaft zu Tzini und der lantvogtei zu Elsassen, und allen yren zugehorungen, underdenich. gehorsam und gewartende zu sein, also lange bis wir und unse nachkomen. kunige zu Behem, die von in mit sulchen summen gelts als in die vurgeschreben unsen kuniglichen majestat brieve, die sy van uns doruber haben, eygentlich benant is, an uns wider losen und bringen : und lasset des nicht in kheine weis, als lib euch sein unser hulpe zu behalten. Mit urkunt diss briefs. versigelt mit unser kunig-

licher majestat insigel. Gheben zu Prage, nach Christs geburte vertzen hundert jar und darnach in dem elfsten jare, des nechsten donersdages vore Unser Frouwen tage *Assumptionis*, unser reiche, des Behemischen in den XLIX und des Romischen in den XXXVI jaren. »

De electione Sigismundi regis Ungarie in regem Romanorum.
Cap. XCVIII.

Supra habetur, qualiter post obitum Ruperti de Bavaria Romanorum 1411.
regis, anno Domini M° CCCC° X°, tempore Gregorii pape XII[i], taliter in sua obediencia nominati, Judocus marchio Moravie fuit in Francfordia electus in regem Romanorum per archiepiscopos Maguntinensem et Coloniensem et procuratores ducis Saxonie et marchionis Brandenburgensis; quodque archiepiscopus Trevirensis et comes palatinus Reni dux Bavarie, ad predictam electionem tamquam scismatici, adherentes dicto Gregorio XII° in generali concilio Pisano deposito, per alios electores refutati, inter se elegerunt in Romanorum regem Sigismundum regem Ungarie. Nunc vero est sciendum, quod post supradicti regis Judoci obitum, per ducem Johannem archiepiscopum Maguntinensem omnibus sacri imperii electoribus pro futuri regis electione convocatis, ac eciam quibusdam, videlicet dicto Maguntinensi et Frederico Coloniensi archiepiscopis, in eorum propriis personis, ceterisque, presertim illustribus principibus, domino rege Bohemie, domino duce Saxonie et domino marchione Brandenburgensi, per eorum procuratores congregatis, servatisque post solempnem missarum decantacionem solempnitatibus debitis et consuetis, in Francfordia, die XXI[a] julii anno Domini M° CCCC° XI°, serenissimus princeps Sigismundus rex Ungarie per omnes electores suprascriptos unanimiter et concorditer in regem Romanorum fuit electus, prout iidem electores per eorum literas datas Francfordie, sub predictorum duorum dominorum archiepiscoporum sigillis impressis, quibus alii procuratores tunc utebantur, anno, die et mense supradictis, illustri principi Brabancie et Lymburgis significarunt. Hic Sigismundus fuit coronatus in Aquisgrani, die octava novembris anno Domini M° CCCC° XIIII°.

Tenor litere transmisse domino duci Brabancie per electores imperii de electione regis Ungarie in regem Romanorum. Cap. XCIX.

« Illustris et magnifice princeps et domine, domine Anthoni dux Brabancie et Lymburgis, etc., amice carissime. Sacrosancti Romani imperii decus, quod ab olim superborum, sublimium et singulariter inimicorum nominis Jesu Christi et ecclesie sue sancte colla propria virtute calcavit, qualiter in sue lucis candore defecerit, et, quod pejus est, perniciosa sustinuerit et sustineat detrimenta, quod dolenter referimus, palpavit totus mundus, et tantas scissuras, tam in ecclesiastica quam in seculari potestate, quarum occasione infiniti quasi populi christiani strages et cedes, innumerabiliaque discrimina dispendiosa provenerant, consideranti propensius apparuit manifeste. Et quia, ad tantarum abhominationum sedanda pericula, nunc, ut animo constanti tenemus, in excelso celorum habitaculo in alternos amplexus et oscula misericordiam et veritatem adducens, miserator et misericors Dominus suum incepit mundum clementer visitare, et specialiter in ecclesiastico statu quoad ejus unionem felicia posuit fundamenta; imperii quoque sacri statum, in omnibus, ut premittitur, fere collapsum per sue inordinacionis et consequenter eciam vacacionis incommoda, ad talem statum fecerat pervenire, ut expediens similiter videretur et necessarium, per viam electionis nos, prout de jure debitum et de consuetudine existit introductum, ipsos de imperio de idonea preficienda persona concorditer eligenda debere providere : idcirco per nos Johannem archiepiscopum Maguntinensem, omnibus sacri imperii electoribus convocatis, ac eciam quibusdam, videlicet domino archiepiscopo Coloniensi et nobis, in propriis personis, ceterisque, presertim illustribus principibus, domino rege Bohemie, domino duce Saxonie et domino marchione Brandeburgensi, per eorum procuratores, congregatis, servatisque post solempnem missarum decantacionem solempnitatibus debitis et consuetis, hodierna die, qua, ut credimus, se Spiritus Sanctus in nos tamquam filios adoptionis effudit, nos omnes et singuli, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, intemerate Virginis Marie, tocius curie celestis, necnon ad sublimacionem, utilitatem et commodum universalis ecclesie et pacifici status imperii, unanimiter et concorditer, omnes et singuli serenissimum et glo-

riosissimum principem et dominum, dominum Sigismundum tunc Ungarie, Dalmacie, etc., regem, principem coëlectorem nostrum, in verum, unicum et indubitatum regem Romanorum et in temporale caput elegimus populo christiano, ipsum in talem pronunciantes coram procerum, magnatum, nobilium, prelatorum clerique et populi multitudine copiosa.

» Que omnia et singula gesta similiter et acta, et singulariter hanc nostram electionem justam, canonicam et sanctam, ad vestre caritatis indubitatam noticiam deduximus per presentes, eandem vestram dilectionem exhortantes in Domino, et in fide qua ipsa vestra dilectio sacro obligatur imperio requirentes, quatenus dictum serenissimum principem et dominum, dominum Sigismundum Romanorum regem, ut talem suscipientes reverenter et habentes, ei in omnibus intendatis, obediatis, pareatis, et in singulis faciatis, prout vos vestrique progenitores et predecessores ab olim vero Romanorum regi intendere, obedire, facere et parere de jure vel consuetudine consueverunt: nos enim pro hiis, que ad decus et honorem imperii facere vos continget, omnia que valemus in gratam offerimus recompensacionem. Datum Francfordie sub nostrorum dominorum archiepiscoporum sigillis impressis, quibus nos alii procuratores utimur de presenti, anno Domini M° CCCC° XI°, die XXI^a^ julii.

» Johannes Maguntinensis, Fredericus Coloniensis archiepiscopi, Johannes episcopus Herbipolensis, Ernestus comes palatinus Rheni et dux Bavarie, Bernhardus marchio Badensis, serenissimi principis domini regis Bohemie, Albertus pincerna de Lantsperg, dominus in Sydaw, illustris principis domini ducis Saxonie, et Johannes burggravius Norenbergensis, illustrissimi principis domini marchionis Brandenburgensis, principum electorum, procuratores, et nuncii pro hac vice ad electionem congregati. »

Hic Sigismundus rex sic in regem Romanorum, ut premittitur, electus, fuit filius Karoli quarti imperatoris; et fuit coronatus in Aquisgrani anno Domini M° CCCC° XIIII°, die VIII^a^ novembris, regnorum suorum anno Ungarie XXVIII°, Romanorum vero electionis V°; et demum dyadema imperii assumpsit in die Pentecostes, anno Domini M° CCCC° XXXIII°, ab Eugenio papa quarto in urbe Romana.

Qualiter dux Anthonius Brabancie et Lymburgis cum domina Elizabeth consorte sua in prima sua expedicione adeptus est possessionem ducatus Lucemburgensis et comitatus de Chyneyo. Cap. C.

1411. Anno Domini M° CCCC° XI°, circa festum Circumcisionis Domini, dux Anthonius cum domina ducissa, copiosa et notabili comitum, baronum, militum et nobilium comitiva associatus, ex Lovanio recedens, gressus suos versus ducatum Lucemburgensem dirigendo, pervenit in castro de Monjouw, ubi cum jucunditate festum Epyphanie et Sanctorum trium Magorum celebravit. Et abinde proficiscens, venit ad oppidum Bastonie in Ardenna, ubi convocatis prelatis, nobilibus et deputatis oppidorum ducatus et comitatus dictorum, ipsis presentari et legi fecit literas patentes per dominum Romanorum et Bohemie regem sibi et dicte consorti sue super impignoracione eorumdem ducatus et comitatus concessas, requirentes quatenus ipsis omnimodo parerent et intenderent, debitaque homagii et fidelitatis et obediencie juramenta prestarent juxta predictarum literarum continenciam et tenorem. Ad quod faciendum omnes supradicti se obtulerunt promptos et paratos, et sic diebus ad hoc statutis in omnibus oppidis ducatus et comitatus antedictorum fuerunt solempniter admissi, recepti et intronizati, facientes ipsis debita obediencie et fidelitatis juramenta; nobilesque patriarum predictarum ipsis pari modo homagii et fidelitatis juramenta prestiterunt. Ipsi eciam dux et ducissa, dictis prelatis, nobilibus et oppidis omnia ipsorum jura, privilegia et libertates confirmantes, ipsis ad observanciam eorundem debitum juramentum prestiterunt.

Et isto modo possessionem pacificam patriarum earundem, castrorumque et omnium fortaliciorum, oppidorum, villarum et subditorum ad easdem patrias spectantium successive sunt adepti, dempto domino Huwardo de Altari, et nonnullis nobilibus et militaribus dicti Huwardi fautoribus exceptis, quos tandem prelibatus dux Anthonius successive, vi armorum et virtute ac fortitudine sua castra et fortalicia ipsorum capiendo et demoliendo, et alios tam sapiencia sua quam timore ad suam obedienciam et graciam inflexit. Et quia ipse dominus Huwardus omnium inobediencium et rebellium capitaneus fuit, qui eciam, licet sufficienter requisitus, castra et oppida de Montmedi et Damviller et Orchimont in dictorum ducis et

ducisse manibus tradere, ac homagii, fidelitatis et obediencie juramentum ipsis prestare recusavit, idcirco idem dux Anthonius copioso exercitu congregato castrum de Elter obsidione circumvallavit, ipsum assidue bombardis et aliis machinis et instrumentis insultando et oppugnando. Dominus autem Huwardus, videns quod dicti ducis Anthonii potencie resistere non valebat, dum suum castrum obsidione cingebatur, misit ad statim in Francia versus ducem Aurelianensem, quatenus ipsum ab obsidione liberaret, et predicta tria castra Montmedi, Damviller et Orchimont contra dictum ducem Anthonium vellet communire: qui, ad levandum sive tollendum obsidionem predictam, in predicti domini Huwardi auxilium et favorem dominum Clinget de Brabant, capitaneum famosum, cum magna gentium armorum potencia duxit indilate transmittendum. Qui cum venirent in Montmedi, dux Anthonius, ipsorum adventu percepto, ad statim circa mediam noctem propria in persona equum ascendens, assumptis secum comite de Vyrnenborch, Johanne de Schoenvorst, borchgravio de Monjouw et domino Arnoldo de Crayenhem, domino de Grobbendonck, cum multis armigeris ceteris bene munitis, in predicta obsidione dimissis, cum festinacione profectus est usque ad Montmedi, ubi homines armorum ibi repertos fortiter debellando confudit et devicit, multis ex ipsis captis, vulneratis et occisis. Dominus autem Clinget cum notabilibus viris ad audiendam missam castrum ascenderat, et sic permansit salvatus; sed frater suus fuit captus, quem dux Anthonius cum aliis captivis, propter ipsorum multitudinem, fecit duci in diversis locis, castris et oppidis ducatus Lucemburgensis, vinculis carceralibus mancipandum, et sic capta magna preda victoriose ad exercitum suum cum gaudio et leticia remeavit.

De tractatu facto inter ducem Anthonium et dominum Huwardum de Altari, alias de Elter, apud Arlunium. Cap. CI.

Quibus sic peractis, dominus Huwardus de Elter per medium nonnullorum suorum amicorum tantum procurari fecit, quod inter ducem Anthonium et ipsum super dictis tribus castris Montmedi, Damviller et Orchimont fuit factus certus tractatus in hanc formam: videlicet quod ipse dominus Huwardus predicta tria castra in manibus suis observabit,

juxta modum treuge de eisdem tribus castris dudum facte inter predictum Romanorum et Bohemie regem et patriam Lucemburgensem, ex una parte, et ducem Aurelianensem, ex altera, que durabit usque in crastinum Nativitatis beati Johannis Baptiste proxime venture; quodque ipse Huwardus interim significabit dictis regi et duci, quatenus taliter provideant, quod veniant, aut aliquos cum pleno mandato, literis eorum patentibus fulcitos, transmittant in crastino Beati Johannis predicto, ad petendum et ab ipso recipiendum castra supradicta: et casu quo hoc eadem die non facerent, quod ex tunc ipse dominus Huwardus se de predictis castris non intromitteret, nec aliquem ibi loco suo institueret, salvo quod per sex septimanas durabunt treuge, juxta compromissum super premissis treugis factum; et casu quo supradicti rex et dux interim conjunctim per eorum literas dicto domino Huwardo preciperent et mandarent, quod hujusmodi castra alicui traderet, hoc tamen non faciet, sed hoc dicto duci Anthonio aut ejus castellano in Lucemburgo per quatuordecim dies antea literatorie significabit. Expensas vero, quas ipse infra predictos quatuordecim dies in dictis castris faceret, dux Anthonius persolvet; si eciam interim in eisdem castris aliquibus hominibus indigeret, illos dux Anthonius suis expensis inibi mitteret et teneret; expensas vero, quas dominus Huwardus pro custodia trium castrorum predictorum infra predictos quatuordecim dies faciet, illas sibi restituet infra unum mensem ex tunc sequentem dux Anthonius antedictus, qui infra predictum tempus non faciet, per se vel suos, predictis tribus castris irrogari aliquod dampnum vel gravamen, sed illa et incolas eorundem sicuti propria sua castra interim defendere debebit. Ipse eciam dominus Huwardus promisit, quod interim non procurabit neque procurari faciet aliquas causas, que contra dictum Anthonium ducem venire possent quoquo modo occasione dampnorum, que ipse ob istam causam sustinuit : salvo quod ipse infra predictam alteram diem post festum Beati Johannis humiliter et suppliciter prosequi poterit et facere prosequi supradictos Bohemie et Ungarie reges, quatenus de predictis suis dampnis benignam recompensam sibi velint exhibere, prout hec in predicti domini Huwardi literis desuper confectis plenius continentur. Supradictus tractatus fuit factus anno Domini M° CCCC° XI°, mensis marcii die XII^{a}, secundum stilum curie Trevirensis.

Quo quidem tractatu, sicut premittitur, facto et concluso, dux Antho-

nius soluta obsidione castri de Elter predicti ad suam patriam Brabancie se duxit transferendum, domina ducissa consorte sua in patria Lucemburgensi permanente, cui in absencia sua commisit eandem, cum consilio domini Ruperti domini de Florichingen et Egidii de Rodemachere et nonnullorum aliorum de consilio, ministrandam.

De literis per dominum Wilhelmum de Ham et Bernhardum de Burscheit milites a Romanorum et Bohemie rege impetratis. Cap. CII.

Quia nonnulli milites et nobiles ducatus Lucemburgensis prelibatis duci et ducisse Brabancie fidelitatis et homagii juramenta prestare recusaverant, juxta continenciam literarum eisdem duci et ducisse super impignoratione predicti ducatus Lucemburgensis comitatusque de Tzini et advocacie Alsacie per supradictum Romanorum et Bohemie regem concessarum, dicentes inter se, quod eedem litere de ipsius mente non processerunt, quare iidem nobiles ad eundem regem versus Bohemiam transmiserunt dominos Wilhelmum de Ham et Bernhardum de Burscheit milites, ad ipsius regis voluntatem atque intencionem desuper sciendam : qui idem rex, ipsorum peticionibus auditis et intellectis, respondit tam verbo quam literatorie, prout patet in literis patentibus ipsius majestatis impendente sigillo sigillatis, tenorem qui sequitur continentibus :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis prelatis, comitibus, baronibus, ministerialibus, clientibus, castrensibus et aliis quibuscumque, cujuscumque dignitatis, status vel condicionis existant, ducatus Lucemburgensis, tam teuthonice quam gallice terre, subditis suis fidelibus et dilectis, qui per has literas fuerint requisiti, graciam suam et omne bonum. Nobiles, fideles et dilecti, nunciacionem et peticionem vestram per nobiles Wilhelmum de Ham et Bernhardum de Burscheit, fideles et dilectos nostros, nobis significatam bene intelleximus : et sicuti nuper vobis scripsimus et mandavimus, ita iterum per presentes firmiter et districte precipimus, volentes quatenus illustri Elyzabeth, nepti nostre et principisse, ducisse, et illustri Anthonio duci Brabancie, dilecto filio nostro et principi, consorti suo, jurare et promittere, et cum patria fideliter parere et intendere debeatis, super tali

facto sive causa, prout regie majestatis nostre litere, quas ipsis proxima die veneris ante diem Assumptionis beate Marie, appellatam theutonice *wurtzweyhs*, ultimate preteritam in civitate nostra Pragensi dedimus, desuper confecte continent et declarant, et non alio modo, quousque nos aut nostri successores, Bohemie reges, ipsis talem pecunie summam, quam ipsis supra dictum ducatum nostrum Lucemburgensem prescripsimus sive assignavimus, in eisdem nostris literis expressatam sive nominatam, duxerimus persolvendam, et non diucius, quia hereditatem ejusdem nostri ducatus Lucemburgensis cum hereditariis juramentis, quibus nobis astricti estis et obligati, pro nobis et successoribus nostris, Bohemie regibus, plenarie reservamus, nichil contra premissa facientes quoquo modo, formidinem nostre indignacionis incurrentes, quia eciam prelibatis Wilhelmo et Bernardo illud faciendi et vobis nostri ex parte dicendi oretenus dedimus in mandatis : harum testimonio literarum nostre impendente regie majestatis sigillo sigillatarum. Datum Prage, post nativitatem Christi anno M° CCCC° XII°, die martis ante festum Sancte Dorothee, regnorum nostrorum anno Bohemie XLIX°, Romanorum vero XXXVI°. Et erant dicte litere sic signate : Ad mandatum domini regis. Jo. DE BAMBERG. »

De responsione super dictis literis facta per dominam ducissam in Lucemburgo, in absencia domini ducis. CAP. CIII.

1412 Postquam supradicti nobiles prelibatas literas visitaverant, et ob hoc fuerunt congregati in Essche supra Suram, scripserunt duci Anthonio, et in sua absencia suo locum tenenti in Lucemburgo, quatenus ipsis certam diem assignare vellet, qua ad ipsum secure venire et libere ad lares proprias possent redire, ad audiendum talem responsionem quam sibi facerent super certis literis per supradictos duos milites a Romanorum et Bohemie rege ipsis apportatis. Domina vero ducissa, in absencia ducis Anthonii sui consortis patrie Lucemburgensis administracionem habens, supradictorum nobilium literis ad se receptis, visis et intellectis, consilio et deliberacione prehabitis, dictis nobilibus sui ex parte rescribi fecit, literarum suarum continencia prenarrata, quod, si die dominica a data suarum literarum proxime futura venire vellent apud Lucemburgum, facturi dicto

domino duci suo consorti atque sibi quemadmodum alii nobiles et bona oppida patrie Lucemburgensis fecerunt, eo casu vellet, nomine et ex parte sui consortis atque sui ipsius, ipsorum responsionem libenter recipere et audire; quodque ipsi, et omnes illi quos secum adducerent, dummodo dicti consortis sui et patrie Lucemburgensis inimici non fuerint, eundo et redeundo, per duos dies ante dominicam predictam et per duos dies post, haberent bonum, securum et salvum conductum, harum testimonio literarum sui sigilli impressione sigillatarum. Datum Lucemburgi, die lune XIII[a] mensis julii, anno Domini M° CCCC° XII°.

Super quibus siquidem nobiles dictis dominis duci et ducisse significarunt, quod ipsis nunquam facerent homagii et fidelitatis juramenta, nisi Romanorum et Bohemie rex et Lucemburgensis dux, eorum naturalis dominus, cui juramento, obediencia et fidelitate essent astricti, ipsis primitus remitteret juramenta sibi et corone Bohemie debita et prestita, et absolveret sive quitaret ab eisdem.

De secunda expedicione per ducem Anthonium in patria Lucemburgensi facta. Cap. CIV.

Anno supradicto M° CCCC° XII°, appropinquante festivitate beati 1412
Johannis Baptiste, dux Anthonius, congregato valido nobilium bellatorum exercitu, profectus est ex Brabancia versus terram Lucemburgensem, et applicans apud Arlunium, predictum suum exercitum ex diversis partibus coadunatum in duas partes dividendo, ipse propria in persona, unacum baronibus, militibus et armigeris ducatuum suorum Brabancie et Lymburgis et eciam ducatus Lucemburgensis, sibi obedientibus et fidelibus, proficiscens, ad tenendum campum ante castrum et oppidum de Damviller castra sua ibidem metatus est; alia vero pars, scilicet Gerhardus comes de Seyne, Johannes de Loen dominus de Heynsberch, Rupertus comes de Virneborch, dominus Romilianus, ex parte archiepiscopi Treverensis, et Everhardus de Lymburch, ex parte ducis Montensis, in auxilium ducis Anthonii transmissi, cum eorum gentibus armorum ex Arlunio proficiscentes versus castrum et oppidum de Montmedi ad tenendum ibidem campum, eciam ibidem castra sunt metati, ad expectandum si aliqui adve

nirent, qui ipsa castra Damviller et Montmedi ex parte regis Ungarie vel ducis Aurelianensis occupare vel possessionem ipsorum apprehendere presumerent, hoc impediendo, quod illis resistere et debellare ipsos vellent et deberent.

Deinde vero, postquam supradictus Anthonius dux ultra condictam diem cum prelibatis gentibus suis, quibus tam in itinere de suis partibus ad ipsum veniendo, quam secum morando habundanter de omnibus necessariis ac cibi et potus victualibus et equorum pabulo provideri fecit, ante predicta castra aliquamdiu permanserat, et nullus ex parte predictorum regis Ungarie et ducis Aurelianensis comparuerat, qui predicta castra ex manibus domini Huwardi de Altari apprehendere requirebat, per modum nonnullorum, qui ad hoc partes suas interposuerunt, certus tractatus inter prelibatos ducem Anthonium et dominum Huwardum super deliberacione et custodia castrorum Damviller, Montmedi et Orchimont in manibus certarum personarum, per ducem Anthonium nominandarum, sine ulteriori dilacione deliberare deberet in modum sequentem. In primo fuit tractatum et concordatum, quod Rupertus dominus de Florchingen miles, Egidius de Rodemacher dominus de Rychersberch, et Johannes dominus de Ducherveltz hujusmodi tria castra Damviller, Montmedi et Orchimont cum suis pertinenciis in eorum manibus habebunt, ex parte illustrissimorum principum Romanorum et Bohemie regis et fratris sui Ungarie regis : que quidem castra ipsi nullis traderent, nisi illi vel illis quibus dictus rex Bohemie committeret illa per suas literas patentes ejus majestatis sigillo sigillatas ultra tradi et deliberari. Item, quod illi tres supradicti hujusmodi tria castra acceptabunt sive accipient ex manibus domini Huwardi de Altari, qui illa habuit ex commissione predictorum Bohemie et Romanorum regis et ducis Aurelianensis : que quidem castra illi tres nemini traderent, nisi per modum suprascriptum, et hoc sub obligacione omnium bonorum suorum, que de presenti habent et in futurum poterunt habere.

Cujus vigore tractatus dominus Huwardus predictus castra Damviller et Montmedi cum eorum attinenciis in supradictorum Ruperti, Egidii et Johannis manibus tradidit et deliberavit, qui ad preces et ad peticionem ducis Anthonii onus predictorum castrorum in se assumentes, se et bona sua de reddicione illorum juxta modum suprascriptum submiserunt et

obligarunt, quos dux Anthonius promisit indempnes relevare : prout hec omnia in ejusdem ducis Anthonii literis patentibus desuper confectis, in quibus litere obligatorie Ruperti, Egidii et Johannis predictorum sunt de verbo ad verbum incorporate, lacius continentur. Item est sciendum, quod castrum de Orchimont non fuit predictis tribus traditum neque deliberatum.

Remissio coadjutorum et fautorum domini Huwardi de Altari.
Cap. CV.

« Anthonis, von Gots gnaden hertzoge von Lothryck, von Brabant und von Lymborch, marckgrave des heylich Ryex. Wir doen zu wissen allen luden die diesen brieff sullent sehen oder horen lesen, und bekennen das wir uit desen brieff uf alle deghene, edele oder onedele oder burgere, wie die weren, ryche oder arme, die herren Huwart herren zu Elter, umb zu behalten und zu bewaren die slossen Damwilliers, Montmedi und Orchimont, und stede und syn slosse von Elter oder ander, bistendich, geraden und geholffen sint geweest, in welcher fugen oder massen das geweest sy, gentzlich vertzigen haben und vertzygen, und daerumb en sullen wir, noch nyemant von onssent wegen, die vurgenaemde lude, die by herre Huwart bleven weren und synt, archwillen noch aenspreken, oder an sy set van dieser sachen wegen legen noch schade donne, nu noch nachmaels, in khein weys noch in keynen tzyden, sonder geverde. Ouch sullent alle dy by herren Huwart bleven sint, die onssen slossen zu huden und zu behalten, und alle de heyme geholffen und geraden habent, sicher sint, und mogent dieselven verliben wonnen in den steden, slossen und in denne land auf hiren gutter, wie sie das gelust, one hyn keynen arch zu donne von ons noch von den onssen, want der viel ist die unssers herren des kunigs man und burger sint, daerumb en sullen wir, noch nyemants von onssent wegen, sy archwillen, und alle ander, die by herren Huwart verlibent sint, als voorscreben steit. Und herumb soe hait herr Huwart die slossen Damwilliers, Montmedi und Orchimond uit den steden gestalt, von onsses herren des Romischen und Behemischen kunigs wegen, in handen herre Ruprecht herre zu Florchingen, Gils van Rodemacheren, herre zu

Rychersburch, und herre Johan Vander Veiltz, ruter, herre zu der Ducherfeltz, naer inhalt des briefs, den herre Rupprecht, Giels und Johan vurscreben versigelt habent, den sy herre Huwart gebent haben von unsses herren des kunigs wegen.

» Alle dese voorscreben sachen geloben wyr veste und stede zu halten, in guder trouwen, utigescheiden alle argelist und geverde. Des zu urkunde haben wir unsen insigel aen desen brief gehangen, der geben wart zu Marville, des maendages vier dagen in julio, im jaer M CCCC und XII jaer. »

Et erant dicte litere sic signate: Per dominum ducem, presentibus comite de Virnenborch, domino Heinrico de Bergis, domino Heinrico de Lecka, Johanne de Monjouw et pluribus aliis de consilio.

Deinde vero, postquam supradictus tractatus, sicut premittitur, fuit completus, et castra Damviller et Montmedi in predictorum Ruperti, Egidii et Johannis manibus per prefatum dominum Huwardum tradita fuerunt, prelibatis hominibus armorum, qui in suum servicium et auxilium advenerant, et in expensis suis per quatuordecim dies ante predicta castra steterant, condignas graciarum referens actiones, capitaneis et principalibus dominis equis, armaturis et clinodiis per ipsum munifice provisis, ipsos benigne licenciavit : et sic quilibet ad propria remeavit: ipse vero dux Anthonius, cum suis consiliariis et familia domestica et aliquibus patrie sue Brabancie nobilibus, versus dominam ducissam in Lucemburgo residentem se duxit transferendum.

De ambassiata per ducem Anthonium ad dominum Romanorum et Bohemie regem transmissa. Cap. CVI.

1412 Subsequenter vero memoratus dux Anthonius, in patria sua Brabancia reversus, matura deliberacione et consilio prehabitis, pro nonnullis arduis procurandis et prosequendis negociis atque causis, ipsum et dulcissimam consortem suam ducatumque Lucemburgensem, comitatum Tzini et advocaciam Alsacie quamplurimum concernentibus, ad supradictum Romanorum et Bohemie regem in Bohemiam Wilhelmum juniorem comitem de Seyne, Egidium de Rodemacher, consanguineos et consiliarios, et magi-

strum Edmondum de Dynter, secretarium suos, plena potestate fulcitos decrevit destinare, prout patet ex ipsorum commissionum literis, quorum tenor sequitur et est talis :

« Anthonius, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux sacrique imperii marchio, universis literas presentes inspecturis seu audituris salutem et omne bonum. Cum nos, debite consideracionis respectu cognoscentes virtutum merita, quibus dilecti et fideles Wilhelmus junior comes de Seyne, Egidius de Rodemacher, consanguinei et consiliarii, necnon magister Edmondus de Dynter, secretarius, viri utique famosi pluribusque experienciis comprobati, decorantur, ipsos consanguineos et secretarium nostros, de quorum fidelitate, providencia et circumspectione fiduciam gerimus indubiam, ad presenciam serenissimi et illustrissimi principis et domini, domini Wenceslai Romanorum et Bohemie regis, patris nostri metuendissimi, pro nonnullis arduis ibidem, melioribus modo et forma quibus ipsi poterunt, procurandis, tractandis, prosequendis, concludendis et peragendis negociis, dictum dominum et patrem nostrum, regem, nos, dilectissimam consortem nostram ducissam, ducatumque Lucemburgensem, comitatum Tzini et advocaciam Alsacie quamplurimum tangentibus, principaliter nostri ex parte decrevimus ituros; et cum eciam justum sit unicuique de labore suo fructum percipere, nec verisimile est, sic dicta negocia, que nostrum consortisque nostre predicte commodum, bonum et honorem respiciunt pariter et profectum, absque magnis expensis posse ad finem deduci peroptatum : nos idcirco, premissis attentis, consanguineis et secretario nostris prenominatis, aut eorum duobus, omnimodam potestatem dedimus et concessimus, et tenore presencium damus et concedimus, promittendi, et nomine nostri dandi et concedendi, ac per literas suis sigillis munitas firmandi, quidquid eis pro expedicione dictorum negociorum visum fuerit racionabile; et illud inter eos legitime parciendi et distribuendi, qui in prosecucione, premocione et salubri expedicione votorum nostrorum apud dictum dominum et patrem, regem memoratum, in premissis negociis sibi commissis et injunctis se ostenderent magis proniores et paratos, puta cuilibet eorum, secundum quod sua exegerint merita, suam debitam porcionem. Promittentes, bona fide, omne quod per sepedictos consanguineos et secretarium nostros, aut duos ipsorum, inde pro nobis et nomine nostro, ut superius est expressum, pro-

missum, datum, concessum et firmatum aut concordatum fuerit, ratum, gratum et firmum habituros, atque fideliter et plenarie adimpleturos, fraude, dolo et decepcione cessantibus quibuscumque. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus jussimus appendendum. Datum in oppido nostro Bruxellensi, mensis augusti die XVII^a^, anno Domini M° CCCC° XII°. Et dicta litera erat sic signata : Per dominum ducem, presente domicello de Monyouw. W. Bont. »

Qualiter supradicti ambaxiatores onus et negocium ipsis injunctum regi exposuerunt, qui ipsis tandem literas suas super petitis graciose concessit, ut infra patebit. Cap. CVII.

1412. Denuo Wilhelmus juvenis comes de Seyne, Egidius de Rodemacher et Edmondus prelibati, ad mandatum ducis Anthonii predicti onus hujusmodi ambaxiate in se suscipientes, cum literis credencialibus et instructionibus ad supradictum Romanorum et Bohemie regem se transferentes, applicuerunt in Praga mensis septembris die XIX^a^, anno Domini M° CCCC° XII° : ubi invenerunt dominos Conrardum episcopum Olomucensem, cancellarium, Lantzkonem de Crawarum, magistrum curie, Theodericum Cara, pincernam, ac Albertum de Colditz, camerarium, dicti domini regis consiliarios, quibus et cuilibet ipsorum literas credenciales ex parte dominorum ducis et ducisse Brabancie exhibentes, ipsis et cuilibet eorundem credencias suas exposuerunt juxta traditam eis formam. Qui quidem consiliarii, contemplacione ducis et ducisse predictorum, apud majestatem regiam impetraverunt, quod dictis ambaxiatoribus ex parte supradicti regis fuit certa dies assignata, videlicet XXIIII^a^ predicti mensis septembris, ad comparendum coram ipso in castro de Karlestein et ambaxiatam et onus ipsorum sibi exponendum.

Qua die adveniente, ipsi ambaxiatores per medium consiliariorum antedictorum dicti domini regis conspectui se representarunt, qui ipsos graciose recolligens dixit benigne : « Vadatis auditum missam in magna » capella mea, et videatis reliquias, et redeatis ad me post prandium; tunc » libenter vos audiam, quia nunc oportet me esse impeditum cum avun» culo meo duce Ernesto Austrie. » Quos, missa audita et visis reliquiis,

dominus Lantzko, magister curie, duxit ad partem in quadam camera, camere dicti regis contigua, ubi fuerunt pransi. Rex autem per se prandebat in camera sua; regina vero et dux Austrie fuerunt pransi in quadam parva aula. Prandio autem facto, regina et dux Austrie se disponebant ad chorisandum et festivandum cum dominis et dominabus in magna aula: rex vero in quadam camera, per cujus ostium in dictam magnam aulam poterat videre, in sede majestatis sub throno sedens, suprascriptis et aliis consiliariis suis in magno numero penes ipsum convocatis, mandavit, ut memorati ambaxiatores ad majestatem suam venirent, onus ipsorum relaturi. Qui mox ad mandatum regis advenientes, facta reverencia debita celsitudini sue, ex parte ducis et ducisse literas suas credenciales, necnon alias literas, per illustres Karolum delphinum Viennensem et Johannem ducem Burgundie excellencie sue transmissas, humiliter presentarunt. Qui eisdem literis personaliter receptis, apertis atque lectis dixit, quod precarissimi filii sui ducis et dilectissime filie sue ducisse litere tenebant credenciam, alie vero litere illustrium delphini Viennensis et Burgundie ducis, consanguineorum suorum carissimorum, erant recommendatorie super causas, ob quas filius suus atque filia ipsos ad suam destinarunt presenciam. Memorati igitur ambaxiatores per organum Wilhelmi comitis de Seyne celsitudini sue exposuerunt, quod dominus dux et domina ducissa Brabancie, fideles et obedientes filius suus atque filia, se humillime majestati recommandantes, cupientesque super omnia super prospero suo statu certificari, ipsos specialiter ad eandem suam celsitudinem destinarunt, seriose deprecantes, quatenus, semper dum sibi placeret, ipsos de eodem reddere velit certiores, quia tociens quociens inde felicia possunt audire, gaudium ipsis, et bene merito, crescit immensum, etc., cum verbis ad hoc debitis et requisitis; deinde ad specialia descendentes, exposuerunt et humiliter postulaverunt juxta continenciam instructionis, et alias secundum traditam ipsis formam. Quibus sic dictis et petitis, rex benigne respondit, quod ea que oretenus exposuerant, sibi in scriptis exhiberent; ipse, prehabitis desuper deliberacione et consilio, ipsis super petitis gratum daret responsum. Quo facto, rex petivit de statu ducis et ducisse predictorum, necnon de statu Brabancie et baronum, quorum, ut asseruit, noticiam habuit ab antiquo, ac alias dixit, prout supra lacius habetur, ubi tractatur de ipsius electione et coronacione in regem Romanorum. Deinde

vero iidem ambaxiatores, suprascriptorum consiliariorum auxilio, favore et assistencia previis, apud predictum dominum regem taliter sunt prosecuti, quod cum magnis sollicitudine et labore, tam in Karlesteyn, Nuwenhuse quam eciam in Totzinck, obtinuerunt literas inferius insertas.

Item est sciendum quod, cum dicti ambaxiatores predicto domino regi loquerentur de supradictis tribus castris Damviller, Montmedi et Orchimont, de quibus supra fit mencio in supradicto tractatu ante Damviller facto, rex oretenus precepit Egidio de Rodemacher, quod cum duobus suis consociis prelibatis in manibus eorum teneret et custodiret, ad opus dominorum ducis et ducisse predictorum, que voluit quod eisdem duci et ducisse ad se juvandum cum ipsis, intrando et exeundo, dum ipsis opus esset, semper deberent esse aperta. Et absolvit ipsum Egidium et duos consocios suos de omnibus promissionibus et convencionibus cum eorum literis dicto domino Huwardo de Altari factis. Revocavit eciam idem dominus rex tales commissionum literas, quas dicto domino Huwardo de predictis tribus castris sue majestatis sigillo tradiderat sigillatas, et illas specialiter, per quas mandavit tribus consociis predictis ut dicta tria castra traderent in manibus domini Huwardi predicti : prout hec clarius patent in ipsius domini regis literis patentibus ipsius majestatis impendente sigillo sigillatis. Mandavit eciam idem dominus rex per suas literas domino Huwardo, ut eisdem Egidio et sociis suis restitueret literas quascumque quas de ipsis haberet, predicta tria castra quomodolibet concernentes, quodque sine dilacione in manibus eorundem trium traderet, prout promiserat, castrum de Orchimont supradictum, quod non fecit. Quibus supradictis literis habitis et receptis, rex ipsos benigne et graciose licenciavit, prout patet in ejusdem regis responsivis, quarum tenor sequitur estque talis :

« Wir Wenceslaw, von Gottes gnaden Romischer kunig, zu allen zeiten merer des Rychs, und kunig zu Behem, embiten den hochgebornen Anthonien, unsen lieben sune und fursten, hertzogen, und Elzbetten seyner ghemael, unser liber zwester und furstin, zu Brabant hertzogin, merung steter libe mit allen heyle. Wir lassen euch wissen, das wir, von den gnaden des almechtigen Gotes mit der allerdurchleuchtighen furstin, frauwen Sophia kunigin zu Behem, unser liben gemahl, gesunt seyn und wol mogen an lieb und an gut : das wir auch von euch zu allerzeiten so gerne horten, als von ons selben, und begeren an euch mit grossen ernst und fleisse,

das ir uns euwer liplich wesen mit euwern briven und boten oft und dicke wissen lassen wollet, zu besunderen unsem freuden. Wir haben auch euwer botschaft, die die edele Willem grave zu Seyne, unser mage Giltz von Rodemachere und Emont van Dynter, secretaris, euwer diner, an uns von euwer wegen weislich bracht und geworben haben, genedichlich ufgenomen und eygentlich verhoirt, und in dorynne ein gnedige usrichtunge getan : als ir das von in wol vernemen werdt. Geben zum Totznick, des neehsten mitwochens nach Sant Gallen dage, unser riche, des Behemichen in den L und des Romischen in den XXXVII jaren. Et sic signatum : Ad mandatum domini regis : Jo. de Bamberg. »

Supradicti vero ambaxiatores, prelibatis literis et licencia receptis, in crastinum celeriter recedentes, versus Brabanciam ad dominum ducem et dominam ducissam se duxerunt transferendos, quos in Turnhout invenerunt. Qui ipsos graciose recolligentes, relacionem de hiis, que impetraverant, benigne exaudiverunt, et literas quas apportaverant ab ipsis receperunt : quarum tenores de theutonico in latinum translati, necnon tenores ex originalibus scripti sequuntur sub verborum tenore sequenti. Et primo tenor litere, per quam datur potestas duci Anthonio, bona, redditus et proventus distracta et irracionabiliter alienata recuperandi, et castra et villas et oppida obligata et impignorata redimendi, computa ab officiariis audiendi, et rebelles ad obedienciam cohercendi, de theutonico in latinum translate, sequitur et est talis :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, illustri Elyzabeth, felicis recordacionis quondam illustris Johannis Gorlicensis, karissimi fratris et principis nostri, filie, ducisse Brabancie, nepti et principisse nostre dilecte, et illustri Anthonio duci Brabancie, precaro filio et principi nostro, ejus marito sive conthorali, amoris mutui continuum incrementum. Quia ob causas diversimodas, et signanter propter obligaciones sive impignoraciones per felicis memorie quondam illustrem Judocum marchionem Brandeburgensem et Moravie, patruum et principem nostrum predilectum, ultimate defunctum, dum ipse ducatum et terram nostram Lucemburgensem tenebat et possidebat, et eciam per nosmetipsos, post ejusdem patrui nostri decessum, per irracionabiles et importunas preces et instancias sive inductiones nonnullis ejusdem ducatus et terre Lucemburgensis subditis et aliis hominibus factas, fructus, red-

ditus, proventus atque bona, que in fortaliciis atque castris nostris ejusdem terre nostre nobis advenire solebant, in tantum sunt alienata et deminuta, quod de ipsis redditibus, proventibus atque bonis predictus ducatus noster et terra Lucemburgensis regi et gubernari, neque cum eisdem castra et fortalicia nostra juxta ipsorum exigenciam in recuperacionibus et edificiis oportunis nequeant observari, prout plenarius sumus informati : et ad finem quod vos eundem ducatum nostrum et terram Lucemburgensem in pace et tranquillitate melius et efficacius ponere, manutenere, tueri et defendere, et castra et fortalicia ad eandem terram spectancia juxta eorum oportunitatem et necessitatem commodius reparare valeatis, sive restaurare et meliorare : hinc est quod nos, animo deliberato, sanoque principum, procerum, nobilium et fidelium nostrorum accedente consilio, virtute presencium et ex certa nostra sciencia, vobis donamus omnimodam et plenariam potestatem, universa et singula bona, redditus et proventus, a jam dicto ducatu nostro et terra Lucemburgensi irracionabiliter distracta et alienata, ad eandem terram nostram reducendi, causa permanendi ad eandem, ac eciam nominatim et expresse omnia et singula castra, civitates, villas et oppida, bona, redditus et proventus, que per nosmet ipsos aut predecessores nostros, Lucemburgenses duces, obligata et impignorata sunt, debita informacione desuper prius habita et recepta, redimere et exsolvere valeatis, et illis omnibus uti, frui et gaudere, tamdiu et quousque nos aut successores nostri, Bohemie reges, vobis talem pecunie summam, pro qua hujusmodi castra, civitates, oppida, ville, redditus per vos fuerint redempta, integre et plenarie duximus deliberandum et persolvendum : attamen nullam aliam pecuniam desuper ponere neque dampnum computare debeatis quoquo modo, excepto in premissis castro et oppido nostro de Welschen Fels, que pro nobis retinemus, quemadmodum in aliis nostris literis exprese continetur.

» Et insuper damus vobis, virtute presencium, plenam et omnimodam potestatem, ab universis et singulis predicti ducatus et terre nostre Lucemburgensis officiariis, nostri ex parte, computa audiendi et recipiendi, et signanter ab illis qui a nobis et a predicto patruo nostro, marchione Judoco, nullam habeant quitanciam, et quecumque emende inde venire potuerunt, nobis atque vobis equali cedent porcione. Et si aliquis, cujuscumque dignitatis, status vel condicionis extiterit, spectans ad predictum ducatum

nostrum Lucemburgensem, animo indignanti et malivolo in premissis causis se contra vos opponeret et vobis obedire recusaret, eo casu nostre est intencionis, vobisque districte precipimus et mandamus per presentes, quod tales sic inobedientes et rebelles ad hoc taliter habere et inducere habeatis, quod ipsi nobis et vobis obediant, et se ammodo contra nostram voluntatem pro nunc et in futurum non opponant, prout est racionis : harum testimonio literarum, nostre majestatis sigillo sigillatarum. Datum in Nuwenhuse prope Pragam, post nativitatem Christi anno M° CCCC°, et post hoc in anno XII°, ipso die Sancti Dyonisii, regnorum nostrorum anno Bohemie L°. Romanorum vero XXXVII°. Et sunt dicte litere sic signate : Per dominos Conrardum episcopum Olomucensem, Latzkonem, magistrum curie, Albertum de Coldicz ac alios domini regis consiliarios. Jo. de Bamberg. »

Tenor litere, per quam rex mandat nobilibus, etc., et incolis, etc., ut obediant duci et ducisse, ipsisque prestent fidelitatis et obediencie juramenta, cum hoc fecerint, remittit ipsis juramenta sibi prestita, de theutonico in latinum translate, sequitur et est talis :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis comitibus, baronibus, ministerialibus, militibus, clientibus, vasallis seu feudatariis, burgimagistris, consulibus et communitatibus oppidorum, franchisearum et villarum, necnon ceteris aliis, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, preeminencie seu condicionis fuerint, ad ducatum nostrum et terram Lucemburgensem spectantibus, tam in theutonica quam in gallica terra commorantibus, aut extra eandem residentibus, dilectis et fidelibus nostris, qui per presentes fuerint requisiti, graciam et omne bonum. Nobiles, dilecti, fideles, illustri Elyzabeth, filie felicis memorie quondam illustris Johannis Gorlicensis, fratris et principis nostri precarissimi, ducisse Brabancie, nepti et principisse nostre karissime, et illustri Anthonio Brabancie duci, filio et principi nostro predilecto, ejus conthorali, super ducatum nostrum et terram Lucemburgensem, comitatum de Tzini et advocaciam Alsacie cum universis pertinenciis suis, que ab antiquo ad ipsos spectarunt et adhuc spectare dinoscuntur, certam pecunie summam, animo deliberato ac sano consilio et recta sciencia principum, procerum, nobilium et fidelium nostrorum, donavimus et assignavimus, ypothecavimus sive obligavimus, prout in nostre regie majestatis

literis, quas ipsi a nobis desuper habent, quasque vobis ultimate presentarunt et ostenderunt, plenarie continetur.

» Quapropter vobis omnibus et singulis supradictis, et vestrum cuilibet, districte precipientes mandamus per presentes, quatenus prefatis Elyzabeth et Anthonio super contentis sive comprehensis in nostre regalis majestatis literis supradictis, quas ipsi, ut premittitur, nostri ex parte presentarunt et ostenderunt, et adhuc monstrare et ostendere poterunt, homagium et fidelitatis juramenta facere debeatis; dum vero hec feceritis, tunc homagia et juramenta hujusmodi, quibus nobis tamquam regi Bohemie et duci Lucemburgensi, vero, naturali et hereditario domino, estis astricti et obligati, virtute presencium vobis quitamus et remittimus, vos absolventes quitosque clamantes plenarie et in totum ab eisdem, quamdiu nos et nostri successores, Bohemie reges, prelibatum nostrum ducatum et terram Lucemburgensem ab eisdem Elyzabeth, nepte nostra, et Anthonio ejus conthorali suisque heredibus, cum tali pecunie summa sicut in supradictis nostre regie majestatis literis, quas desuper a nobis habent, ut premittitur, est comprehensa, ad nos redimendum duxerimus et reducendum : harum testimonio literarum nostre regalis majestatis sigillo sigillatarum. Datum in Nuwenhuse apud Pragam, post nativitatem Christi anno M° CCCC°. et post hoc in anno XII°, ipso die Sancti Dyonisii, regnorum nostrorum Bohemie L°, Romanorum vero XXXVII°. Et sic signate : Per dominos Conrardum episcopum Olomucensem, Latzkonem, magistrum curie, Albertum de Coldicz ac alios domini regis consiliarios. Johannes de Bamberg. »

Tenor alterius litere de theutonico in latinum translate, per quam rex mandat nobilibus et subditis terre Lucemburgensis, theutonice et gallice terre, ut obediant et juramenta prestent duci et ducisse Brabancie, juxta continenciam literarum suarum, etc., sequitur et est talis :

« Nos Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis comitibus et baronibus, ministerialibus, clientibus, burgimagistris, consulibus et communitatibus opidorum, franchisearum, necnon ceteris aliis, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, preeminencie aut condicionis fuerint, tam theutonice quam gallice terre, ducatus nostri Lucemburgensis subditis et fidelibus, qui per presentes fuerint requisiti, graciam nostram et omne bonum. Dilecti fideles, vobis precipimus et mandamus firmiter et districte per presentes, volentes quod illustri

Elyzabeth, quondam illustris Johannis ducis Gorlicensis, precarissimi fratris nostri et principis, filie, nepti et principisse nostre karissime, ducisse. et illustri Anthonio duci Brabancie, ejus conthorali, predilecto filio et principi nostro, homagium et fidelitatis juramentum facere debeatis causa ducatus nostri Lucemburgensis, quemadmodum in nostre regie majestatis literis, quas ipsis pro nunc desuper concessimus, quasque vobis ostendent sive monstrabunt, contentum est et declaratum. Et contra premissa vos non opponatis quoquo modo, in quantum diligitis indignacionem nostram evitare. Datum in Totzinck, proxima die martis post festum Sancti Galli. regnorum nostrorum anno Bohemie L°. Romanorum vero XXXVII°. Et sic signata : Per dominos Conrardum episcopum Olomucensem, Latzkonem. magistrum curie. Albertum de Coldiez et alios domini regis consiliarios. JOHANNES DE BAMBERG. »

Tenor litere de theutonico in latinum translate, per quam rex mandat nobilibus, etc., casu quo ipsis sui ex parte alique litere presentarentur, que essent contra ipsum ac ducem et ducissam Brabancie, etc., quod illis parere non debeant, quin ymmo sibi et dictis duci et ducisse pareant, etc., et hoc ideo fecit, quia rebelles impetrarunt literas contrarias a rege Ungarie subrepticie, sequitur et est talis :

« Nos Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis comitibus et baronibus, ministerialibus, militibus, clientibus, necnon ceteris aliis, cujuscumque dignitatis, nobilitatis. preeminencie sive condicionis fuerint, Theutonicis et Gallicis, nostri ducatus Lucemburgensis subditis et fidelibus, qui per presentes fuerint requisiti. graciam nostram et omne bonum. Dilecti fideles, vobis precipimus et mandamus firmiter et districte per presentes, casu quo vobis alique litere producerentur et presentarentur, que forent contra nos et illustrem Elyzabeth. quondam illustris Johannis Gorlicensis ducis, fratris et principis nostri karissimi, filiam, neptem et principissam nostram karissimam, ducissam. et illustrem Anthonium ducem Brabancie, ejus conthoralem, filium et principem nostrum dilectissimum, quod hujusmodi literas minime sequi. neque continencie et tenori earundem parere debeatis, quin ymmo nobis et prefatis Elyzabeth et Anthonio obedire, tamdiu et quousque nos aut nostri successores, reges Bohemie, predictum ducatum nostrum Lucemburgensem ab eisdem Elyzabeth et Anthonio suisque heredibus. cum tali

pecunie summa ipsis per nos desuper assignata et ypotecata, que in literis nostris ipsis desuper concessis, quas vobis ultimate presentarunt et ostenderunt, est contenta, ad nos redimendum duxerimus et reducendum. Contra premissa aliud non faciatis quoquo modo, in quantum desideratis benivolenciam nostram observare. Datum in Tozinck, die martis proxima post festum Sancti Galli, regnorum nostrorum anno Bohemie L°, Romanorum vero XXXVII°. Et est sic signata : Per dominos Conrardum episcopum Olomucensem, Lantzkonem, magistrum curie, Albertum de Coldicz et alios domini regis consiliarios. JOHANNES DE BAMBERG. »

Tenor consimilis litere, de theutonico in latinum translate, ad subditos sequitur et est talis :

« Nos Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis burgimagistris, consulibus et communitatibus oppidorum, theutonice et gallice terre, ducatus nostri Lucemburgensis dilectis et fidelibus nostris, » etc., ut supra proxime.

Tenor alterius litere de theutonico in latinum translate, per quam rex iterum mandat nobilibus et subditis, etc., quod duci et ducisse obediant, alioquin vult quod ipsos ad obedienciam astringant :

« Nos Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis comitibus, baronibus, ministerialibus, militibus, clientibus, burgimagistris, consulibus et communitatibus oppidorum, franchisearum, villarum, necnon ceteris aliis, cujuscumque dignitatis, nobilitatis, preeminencie aut condicionis fuerint, theutonice et gallice terre, ducatus nostri Lucemburgensis subditis et fidelibus, qui virtute presencium fuerint requisiti, graciam nostram et omne bonum. Dilecti fideles, vobis precipimus et mandamus firmiter et districte per presentes, quatenus illustri Elyzabeth, quondam illustris Johannis ducis Gorlicensis, karissimi fratris et principis nostri, filie, nepti et principisse nostre, ducisse, et illustri Anthonio duci Brabancie, ejus conthorali, filio et principi nostro karissimis, in talibus causis quemadmodum nostre regalis majestatis litere, quas ipsis pro nunc hac vice contulimus, continent et declarant, parere et intendere debeatis, sine contradictione et impedimento quibuscunque, sub obtentu gracie nostre. Et si aliquis vestrum in contrarium malivole aut violenter se opponere presumpserit, illum debent ipsi ad obedienciam et subjectionem astringere et tenere, juxta legem patrie, ex

hoc precipue quod in dicto ducatu nostro et terra Lucemburgensi nullas parcialitates neque aliqua discrimina, verum pocius pacem, commodum et unionem habere volumus et desideramus. Datum in Toczinck, die martis proxima post festum Sancti Galli, regnorum nostrorum anno Bohemie L°, Romanorum vero XXXVII°. Et sic signata : Per dominum Conrardum episcopum Olomucensem, Lantzkonem, magistrum curie, Albertum de Coldicz et alios domini regis consiliarios. Jo. DE BAMBERG. »

Tenor alterius litere de theutonico in latinum translate, per quam rex confirmat duci et ducisse literas, etc., sequitur et est talis :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex. Recognoscimus et notum facimus publice tenore presencium universis has literas visuris et audituris, quod, sicut nuper illustri Elyzabeth, quondam felicis recordacionis Johannis ducis Gorlicensis, fratris et principis nostri karissimi, filie, ducisse Brabancie, nepti et principisse nostre, et illustri Anthonio duci Brabancie, ejus conthorali, filio et principi nostro karissimis, super ducatum nostrum et terram Lucemburgensem, comitatum de Tzini et advocaciam Alsacie, cum universis pertinenciis suis, que ab antiquo ad ipsos spectarunt et adhuc spectare dinoscuntur, certam pecunie summam, animo deliberato sanoque principum, procerum, nobilium et fidelium nostrorum accedente consilio et recta sciencia, donavimus, assignavimus et obligavimus, prout hec omnia in nostre regalis majestatis literis, quas ipsi desuper a nobis habent, quasque comitibus, baronibus, ministerialibus, militibus, clientibus et communitatibus opidorum, franchisearum et villarum ejusdem ducatus nostri Lucemburgensis et terre nunc ultimate produxerunt et ostenderunt, plenarie continentur et expressantur; sic iterum, animo deliberato ac sano principum, baronum, nobilium et fidelium nostrorum consilio, predictis Elyzabeth nepti et Anthonio filio nostris, ejus conthorali, easdem literas graciose roboravimus, approbavimus, ratificavimus, innovavimus et confirmavimus, ac illas ipsis virtute presencium regalique auctoritate Bohemie, tamquam dux Lucemburgensis, roboramus, approbamus, ratificamus, innovamus et confirmamus, indulgentes, statuentes et volentes quod eedem nostre litere in omnibus et singulis suis punctis, articulis, continenciis et tenoribus stabiles, integre et irrefragibiles manere debeant, ac de verbo ad verbum in hiis presentibus nostre regalis majestatis literis esse inserte : debeant eciam

predicti Elyzabeth et Anthonius prenominatam terram nancisci, tenere, possidere, ipsaque uti, frui et gaudere, sine impedimento cujuscumque, et quousque nos aut nostri successores, Bohemie reges, illam ab ipsis et heredibus suis, cum tali pecunie summa, que in predictis nostris literis, quas ipsis ultimate, ut premittitur, desuper concessimus, est expressata, ad nos redimendam duxerimus et reducendam. Harum testimonio literarum, nostre regalis majestatis sigillo sigillatarum. Datum in Toczinck, post nativitatem Christi anno M° CCCC° XII°, die martis proxima post festum Sancti Galli, regnorum nostrorum Bohemie L°, Romanorum vero XXXVII°. Et sic signata : Per dominos Conrardum episcopum Olomucensem, Latzkonem, magistrum curie, Albertum de Coldicz et alios domini regis consiliarios. Jo. de Bamberg. »

Subsequenter vero, post suprascriptarum regalium literarum presentacionem, memorati dux et ducissa Brabancie, super continenciis earundem cum suis baronibus, militibus et consiliariis consilio et deliberacione prehabitis, literatorie mandari fecerunt omnibus et singulis comitibus, baronibus, ministerialibus, militibus, vassallis et feudatariis, necnon burgimagistris, consulibus et communitatibus oppidorum, franchisearum et villarum ad terram et ducatum Lucemburgensem spectantibus, tam in theutonica quam in gallica terra commorantibus, et extra eandem residentibus, tam sibi obedientibus quam inobedientibus, ipsos et quemlibet ipsorum attente requirentes, quatenus ad certam et nominatam diem in personis eorum propriis comparerent apud Arlunium coram suis commissariis ad hoc deputatis, visuri et legi audituri certas patentes literas per serenissimum principem et dominum, dominum Wenceslaum Romanorum et Bohemie regem, ipsis concessas, illas que ipsos contingerent ad se recepturi : ad quam dietam secure et libere venire, morari et recedere deberent, sine fraude et dolo.

Ob quam causam prelibatus dux Anthonius cum suprascriptis literis ordinavit antedictum magistrum Edmondum de Dynter, secretarium suum, versus Arlunium in terra Lucemburgensi ad dietam predictam transiturum, ut hujusmodi literas nobilibus et oppidanis ibi congregatis ostenderet et legeret, et illas, que ipsos specialiter concernerent, ipsis traderet et exhiberet, et alias faceret juxta traditam sibi desuper commissionem atque formam. Qui quidem magister Edmondus, licet invitus, propter viarum peri-

cula et guerrarum discrimina, hoc mandatum solus aggredi verebatur. tamen dicti domini ducis precepto contraire non audens, hoc onus assumens, se transtulit versus castrum et oppidum Durby cum literis supra narratis et cum una litera clausa, ex parte dicti domini ducis directa Heinrico de Welckenhusen, castellano et preposito de Durby, continente in effectu, quatenus hominibus armorum fortificatus, eundem magistrum Edmondum cum supradictis literis conduceret ad Arlunium ad dictam predictam, et abinde, expeditis expediendis, ad Durby reducere curaret. Qui convocato Theoderico de Welckenhusen, nepote suo, preposito in Bastonia et Ardenna, collectisque aliis armigeris circiter XLIIII, memoratum magistrum Edmondum, non sine parvo periculo et timore, cum dictis literis primo ad Bastoniam, et abinde per invias et itinera tortuosa, quia propter formidinem literarum, quibus spoliari timebant ab adversariis, qui, ut perceperant, latitabant in nemoribus, rectam semitam tenere verebantur, conduxerunt ad Arlunium. Ubi ipse magister Edmondus supradictis nobilibus et oppidanis sepefatas literas ostendit atque perlegit, quibus auditis nobiles per se, et deputati oppidorum per se, necnon ambo pariter, prefatas literas, secundum quod hujusmodi litere ipsos concernebant, ipsis tradi petiverunt, et copias ex aliis literis, que solummodo ad dictos ducem et ducissam spectabant. Quod sepedictus Edmondus ipsis in crastino facere promisit, quemadmodum fecit, receptis prius ad se ex eisdem literis *vidimus* sive copiis, quas indilate die noctuque inde fieri fecit, et sigillari sub sigillis impendentibus abbatis Lucemburgensis et dominorum Johannis de Tzolneren, judicis militum, Wymmari et Erhardi de Gymich fratrum, et Theoderici de Pictenbingen, militum.

Quibus literis non obstantibus, memorati dominus Huwardus de Elter, sui satellites et complices, predicto domino Romanorum et Bohemie regi, eorum naturali domino, et dictis duci et ducisse inobedientes et rebelles, eisdem duci et ducisse fidelitatis, obediencie et homagii juramenta juxta suprascriptarum literarum continenciam et tenorem facere et prestare recusaverunt, propter mandatum contrarium ipsis, ut pretendebant, per regem Ungarie desuper traditum, et ex parte ipsorum per supradictos duos milites, scilicet dominum Wilhelmum de Ham et Bernhardum de Burscheit, subrepticie et obrepticie ab eodem Ungarie rege impetratum : nam aliqui nobilium predictorum, scilicet Godefridus de Brandenberg pignora-

cionis et dampnificacionis. Bernhardus dominus de Burscheit et Fredericus de Brandenberg dominus de Clerve, pignoracionis et dampnificacionis ac diffidatorias literas omnibus oppidis et subditis ducatus Lucemburgensis et comitatus Tzini transmiserunt, eisdem subditis homicidiis, rapinis et incendiis, contra Deum, racionem et justiciam ac legem patrie, gravia dampna inferentes. Est verum, quod memoratus Heinricus et Theodericus de Valckenhuse, in reconducendo dictum magistrum Edmondum de Arlunio ad Durby, in itinere cum auxilio oppidanorum de Bastenaken manu armata assultando ceperunt castrum de Rolley, in quo ex parte domini ducis castellanum constituerant. Et quia ipse Edmondus pro tunc erat inermis, in aggressu quandam fenestram extractam ex grandia, illam pro sui corporis tuicione contra sagittas cum equi sui capistro ad collum suum suspendit. Die vero sequenti ulterius progredientes, turrim et fortalicium de Soye eciam ceperunt, et custodes instituerunt.

De tercia expedicione Anthonii ducis Brabancie facta in terra Lucemburgensi contra nobiles ejusdem terre, Romanorum et Bohemie regi, eorum naturali domino, et sibi inobedientes et rebelles. Cap. CVIII.

Licet memoratus Anthonius dux Brabancie supradictos Huwardum de Altari suosque fautores et adherentes vicibus diversis requiri fecerit, quatenus sibi et precarissime consorti sue ducisse Brabancie fidelitatis et homagii juramenta prestarent, juxta literarum continenciam ipsis super impignoracione ducatus Lucemburgensis et comitatus Tzini concessarum, quas prelibatis Huwardo suisque fautoribus et adherentibus et aliis nobilibus et deputatis bonorum oppidorum dicti ducatus ultimate ostendi fecit, necnon juxta tenorem literarum, quas domini Wilhelmus de Ham et Bernhardus de Burscheit milites, quos ipsi ad predictum Romanorum et Bohemie regem transmiserunt, ab eodem domino rege ipsis reportaverunt : nichilominus idem dominus Huwardus suique fautores et adherentes, in eorum protervia animo indurato perseverantes, dicto Romanorum et Bohemie regi, eorum vero et naturali domino, inobedientes et rebelles, supradictis duci et ducisse Brabancie parere et obedire fidelitatisque et homagii juramenta facere recusantes, terram Lucemburgensem et comitatum de Tzini cedibus, rapinis et incendiis invaserunt, cuncta depopulando.

Quapropter idem Anthonius dux, premissa egre ferens, volens in premissis predicti regis atque suum honorem preservare, atque dictarum terrarum indempnitati subditorum et alias de remedio opportuno providere, necnon, juxta mandatum per regem predictum sibi desuper traditum, supradictos inobedientes et rebelles ad ejusdem domini regis et suam obedienciam, manu armata vim vi repellendo, astringere, congregato nobilium bellatorum exercitu copioso, ex Brabancia cum apparatu bellico proficiscens versus terram Lucemburgensem, primo castra sua metando ante castrum dictum Terwaez, spectans ad Johannem et Wilhelmum de Oirley fratres, obsidionem posuit, quod cepit et destruxit. Dum vero dux Anthonius intendebat obsidionem ponere ante castrum Hoelveltz, pertinens domino Huwardo de Elter, dominus Erhardus de Gymich, dominus de Berberg, qui filiam dicti Huwardi habuit in uxorem, tantum procuravit apud ducem Anthonium, qui tunc prope Hoelveltz apud Assenburg erat collocatus, quod ipse dux eidem domino Erhardo de dicto castro et eciam de valle de Seirpenich generose beneficiavit, sub certis modo et forma contentis in dicti ducis literis patentibus desuper confectis, datis in expedicione sua apud Assenburch, die XVI^a^ julii anno M° CCCC° XIII°.

Deinde idem dux Anthonius mandavit nobilibus, oppidanis et subditis terrarum Lucemburgensis et de Tzini predictarum, ut cum apparatu bellico se accelerarent ad expedicionem suam ante castrum Elter incunctanter applicare. Quo mandato emanato, idem dux Anthonius, castro Tervaez demolito, cum dicto suo exercitu proficiscens versus castrum de Elter, quod secundario obsidione circumvallavit, bombardis et machinis bellicis turres et menia taliter conquassando et assultando, quod demum virtute suorum hominum bellicosorum illud cepit et expugnavit, et totaliter destruxit. Est verum quod, preter bombardas quas dux Anthonius secum duxit ex Brabancia, dux Montensis in auxilium suum sibi concessit et transmisit unam magnam bombardam; similiter Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie et Zelandie misit sibi unam magnam bombardam, appellatam *nigra Margareta*; item civitas Trevirensis concessit sibi eciam unam magnam bombardam; et oppidum suum Trajectense supra Mosam concessit eciam sibi unam magnam bombardam et LX arbalistarios armatos cum suis pertinenciis; ad quarum regimen bombardarum ipse dux ordinavit et deputavit homines expertos.

De Elter vero idem dux Anthonius se transtulit versus castrum Lintzer, castra ibidem metando. quod obsidione circumcinxit, et in tantum instrumentis bellicis coarctavit, quod capitaneus sive castellanus se et suos unacum eodem castro in graciam predicti ducis reddiderit : in quo ipse dux sua ex parte et de manu sua unum castellanum instituit. Abinde vero prelibatus dux cum dicto suo exercitu profectus est ante castrum Mersi prope Virdunum, quod tamdiu assultando oppugnavit, quod dominus Hugo de Mersi. cui castrum pertinebat et in ipso obsessus fuerat, suo et suorum secum inibi existencium corporibus dumtaxat salvis, ipsum castrum tradidit in manibus ducis Anthonii supradicti : quod totaliter destrui, cremari et ad solum projici fecit. In quo, et specialiter in majori turri, quam, ut ferebatur, Johannes rex Bohemie fecerat edificari, fuerunt reperti multi captivi mercatores de Argentina et aliis locis sitis super Renum : quos. antequam turris fuerat subminerata et igne supposito in fossatis projecta. dux Anthonius extrahi faciens, expensis suis propriis supra currum, quia incedere nequibant. duci fecit usque ad Argentinam, unde ipsa civitas eidem duci Anthonio humillimas et condignas retulit graciarum actiones. Est verum quod, ipso duce Anthonio adhuc cum expedicione sua ante castrum Mersi existente, plures nobiles et plura castra ad suam obedienciam sunt redacti et redacta. plus timore, ut existimo, quam amore vel favore : scilicet castra Visbach. Everlingen, Putlingen, Fermondare, Chemy, le Franck : quocumque enim se vertebat, victoria, ut ita dicatur, pocius eum precedebat quam sequebatur.

Hic igitur dux Anthonius. castro Mersi expugnato et diruto, nil actum credens cum quid superesset agendum, in anteriora prospiciens et eorum que retro sunt obliviscens, reliquos inobedientes et rebelles debellando ad obedienciam et pacis unionem reducere desiderans. cum dicto suo exercitu profectus est versus castrum Clerve. spectans ad Fredericum de Brandenberch, quod, castris metatis, obsidione circumdans, post multam oppugnacionem ad dedicionem suam inflexit.

1413. Deinde vero. anno Domini M° CCCC° XIII°, ipso die Bartholomei apostoli, obsidione adhuc durante et nondum soluta, fuit ibi, per medium dominorum Frederici. senioris filii de Moerse comitis de Sarwerden. et Scheyfardi de Merode domini de Heymersberch. inter memoratum dominum ducem, ex una parte. et dominos Huwardum dominum de Elter.

Bernhardum dominum de Burscheit, Johannem de Brandenberch dominum de Essche, Fredericum de Brandenberch dominum de Clerve, Theodericum de Hendelstorp dominum de Wildenberch, Heinricum de Bollant dominum de Rolley, Godefridum dominum de Brandenberch, dominum Wilhelmum juvenem de Ham, Johannem de Soye, Gerardum de Bastenaken, milites, Gerardum de Bastenaken, ejus filium, Johannem et Wilhelmum de Ourley fratres, ex altera parte, certus tractatus initus et concordatus, continens inter cetera in effectu, quod ipsi conjunctim, aut quilibet ipsorum in solidum pro se, coram serenissimo principe et domino Wenceslao Romanorum et Bohemie rege ejusque consilio de Bohemia venire seu comparere, aut eorum nuncios pleno mandato fulcitos destinare debeant infra hinc et festum Beati Martini episcopi hyemalis proxime venturum, et signanter in die Undecim Millium Virginum de vespere in Praga, aut in loco alio ubi antedictus Romanorum et Bohemie rex tunc extiterit, aut ipsis significaverit, ad eundem dominum regem ex utraque parte instanter requirendum et humiliter deprecandum, quatenus ipsis certos diem et locum velit assignare, easdem partes juxta eorum peticiones et responsiones et causarum exigenciam secundum justiciam vel amorem concordandi. Et quidquid ipse dominus rex cum predicto suo consilio pro hujusmodi decisione causarum inter easdem partes duxerit ordinandum, quod una pars alteri facere debeat, hoc ex utraque parte servabunt et adimplebunt, infra quatuor septimanas ordinacionem predictam immediate subsequentes. Et, casu quo rex cum dicto suo consilio premissa non fecerit, tunc ambe partes stabunt in omni jure suo quo nunc sunt tempore date cedule. Et super hoc fuerunt facte inter ambas partes predictas et earum adherentes bone, antique et firme treuge sive guerrarum abstinencie, inchoature in die sabbati proxime futura sole oriente, et durature usque ad crastinum Beati Martini predicti et per totam illam diem sole occidente, prout in hujusmodi tractatus cedula, cum nonnullis aliis predictis articulis, dictarum parcium impressione sigillorum sigillata, lacius continetur.

Tenor vero predicte litere tractatus cedule facte ante Clerve, de qua immediate fit mencio, sequitur et est talis. Cap. CIX.

1413 « Is ghedadingt tusschen unsene genedighen heren van Brabant, op eyne syde, und heren Huwarde heren zo Elter, heren Bernharde heren zo Buerscheit, Johanne van Brandenberg heren zo Essche, Frederick van Brandenbergh heren zo Clerve, heren Diederich von Endelstorp heren zo Wildenbergh, heren Hendrick van Bollant heren zo Rolley, Godarde heren zo Brandenberch, heren Wilhem de Jonge von Ham, heren Johanne von Soye, heren Gerarde van Bastenachen, synen sone, Johanne und Wilhem van Orley, ghebruderen, op die andere syde, dat die, samentlichen oder ydermans vur sich, vur den alredurluchtichsten fursten und heren, kuninck Wentzlauw, Roimscher und Behemischer cunig, syne lantheren und raet van Behem comen, oder yre machtboden schicken sollen, tusschen dit und Sinte Martens dach in dem wintere des heiligen bischops neistcomende, und nemelichen op der Eilf duysent Jofferen dach zo avent zo Praghe, oder waer der voirgeseide Roimische und Behemische kunig Wentzlauw alsdan syn oder sy besceiden wirt, denselven Romischen und Behemischen kunig Wentzlauw vurgescreben sy zo beiden syden ersuechen und flyslichen bidden sollent, in die dage und stede zo setzen, und sy mit rechte oder minnen mit der wist zo ontscheiden, neist ansprachen antwoorden, ind allen ergangenen sachen, und wat der vurgeseide Romische und Behemische coninck, syn lantheren und raet vurgescreben aldan erkennent, dat yegeliche de partien vurgescreben der andere doen sal ind massen vurscreben, dat solen sy zo beiden syden halten und volbringen, binnen vier wechen na dem uytsprachen und gescheidunghen.

» Und were sache dat der vurgeseyde Romische unde Behemische kunig den vurgeseiden partien die daghe und stede niet en setten, oder sy ouch met rechte oder minnen mit der wist niet en schiede binnen den vurgeseiden frede, und ouch in der voighen als vurschreben steit, so sellen beide partien vurgenoempt in allen yren rechten und vorderinghen staen as op hude date deser cedulen. Und herop es eyn gut alt, fast frede und bestant tusschen den vurgeseiden unsen genedigen heren, heren van Bra-

bant, den steden und lande van Lutzenborgh, und vort allen denghenen die bi antworde zo unwillen comen synt, syn zy bystendeghe, oder enthelderen des vurgeseiden unsen heren von Brabant, stede und lantz vurscreven, allen yren hulperen, helperen, dieneren, landen, luden, dorperen, guden, und alle den yren, und so wat sich in dier vurseide bede unwillen enthalt oder bystaent treffen mach, up eyne syte, heren Huwarde heren zo Elter, heren Bernharde heren zo Burscheit, Johan van Brandenberch heren zo Essche, Frederick van Brandenbergh heren zo Clerve, heren Diederich von Endelstorp heren zo Wildenberch, heren Heinrich van Bollant heren zo Rolley, Godarde heren zo Brandenberch, heren Willem den Jongen van Ham, heren Johanne van Soye, heren Gerart van Bastenachen, synen sone, Johanne und Willem van Orley, ghebruderen, allen iren hulperen, helperen, dieneren, bystenderen oder enthelderen, landen, luden, dorperen, gueden, und al den yren, und so wat sich und die onse bede unwillen und enthaelt oder bystand treffen mach, op die ander syde.

» Welche vrede und bestande, yechliche partie dat antreffen mach, aengaen sal nuw en neisten saterdach die sonne opgheit, und weren und duren bis opten neisten dach naer Sinte Martyns dach vurseid, und den dach allen bis die sonne ondergeit.

» Und wat gevangenen zo beyden syden vurseid gevangen synt, oder gevangen werden, ee dese vurseide frede und bystand angheent, die sollent alle dach hain bis acht dage neist na vuysgangen des freden und bestantz vurseid, und desen freden int bestant hait her Huwart vurseid genomen die Welsche Fels und Orchimont mit yren zobehoren, als een amptman des voorseiden Romischen und Behemischen kunigs Wentzlauw, und darvur ouch gesprochen, ind vurseide massen.

» Und were sache dat dese frede und bestand vurseid van eynicher deser voorseiden partien overvaren wurde, und van der ander partie darop ghemaent, zo huse oder zo hove, der oder die den frede oder bestand also overvaren hatten, sal oder sollen dat keren, binnen den neisten XIIII daghen darna, mit der namen oder denre werde darvur, ain alle geverde und argelist. Und heiren binnen der zyt ee dese vurgescreven partyen zo dem daghe zo Beheme ridende werden, als vurghescreven steit, sollen dese vurgescreven partien zo einre gutligen daghe comen vur onsen gene-

digen heren van Brabant vurseid, oder synen frunt, die hy dartoe schickende wiert, den dach der grave van Sarwerden mit synen brieven zo Essche an Jan van Brandenberch, van wegen synre mitpartyen vurseid, viertzien daghe zo vorentz sal lassen wissen und bescheiden zo Vianden, zo besein oft man sy mit onsen genedigen heren vurseid gutlichen verenighen muge. Alle argelist und geverde sint in alle und yecklichen vurgescreven sachen vuysgescheiden.

» Und want dese vurgescreven sachen overmits Huwart zo Elter, Bernart zo Bourscheit, Johan van Brandenberch heren zo Essche, Frederick van Brandenberch heren zo Clerve, Diederick van Endelstorp heren zo Wildenbergh, Heinrich van Bollant heren zo Rolley, Godart heren zo Brandenberch, Willem den Jonge van Ham, Johan van Soye, Gerard van Bastenachen, rittere Gerart, seinen sone, Johan und Willem van Orley, gebruderen, und mit unsen willen gedadingt sint, so geloven und sicheren wir alle samen vurgescreven, by onsen eren und trauwen, vur ons und alle die ander vurgeschreben, die zo halten und zo doen halten, in alre maissen als hier vorgescreven steet, sonder alle argelist und geverde.

» Des zo urkonde hain wer alle saemen vurgescreven gebeiden, heren Huwart zo Elter, heren Bernhart heren zo Bourscheit, Johan van Brandenberch heren zu Esschen, Frederick van Brandenberch heren zu Clerve, und heren Diederick van Endelstorp heren zo Wildenberch, alle vurgescreben, dat yre inseghele vur sich und uns allen vurghescreven an ende diser scrift gedruckt haint, die wir alle vurgescreven sementlichen gebruchen zo deser zyt, das wir Huwaert, Bernhaert, Johan, Frederick et Diderick ietzont genaent, waer bekennen, und van bede weghen alle deser vurgescreven gedain hain. Gedadingt und gegeven vore Clerve, op Sint Bartholomeus dach des heylegen apostels, in den jaren Onsen Heren dusent vier hondert und drietsient jare. »

Sequuntur tenores duarum aliarum cedularum sive literarum hanc materiam concernencium :

« Wir Frederik, elste sun zo Muerse und greve zo Sarwerden, und Scheivart van Mederrode, here zu Heymersbergh, up eyne syte, van weghen uns genedigen heren van Brabant, und wir Huwaert here zo Elter, Diederick van Endelstorp here zu Wildenbrech, Bernart here zo Bourscheit, Johan van Brandenberch here zu Essche und Frederick van

Brandeberch here zo Clerve, van onsen und der andere, die van unser partien der notulen hudestages tusschen den vurgesereven unsen heren den hertzoge van Brabant gedadingt, begriffen sint, doen kont und bekennen tsementlichen, wer sache dat yemant van onser, Huwaerts, Diederics und Johans mitpartien vorschreben in derselver dadinghen begriffen, der vurseiden dadingen niet halden noch darinne syn en wurde, und were wer dat weulde, vuytgescheiden ons Huwaert, Diederich, Bernaert, Johan und Frederick van Brandenberch vurgescreven, dat doch die vurgescreven notule niet bruecken en sal in eyncher wys, noch deselve her Huwaert, her Diederich, her Bernart, Johan und Frederich van Brandenberch der dadinghen nagain, und die gentzlichen halden willent nach vuyswisen derselven notulen : und wer van derselver partien, der also niet halden en wulden, dat solen der vurgeseide Huwert, her Diederich, her Bernhart, Johan und Frederich van Brandenberch unser hude zo eicht dagen, dat is mit namen des neysten donrestaghes nach Sinte Bartholomeus dach, zo Bastenach lassen wissen aen den proost, und van wegen Godaerts heren zo Brandenberch solen se lassen wissen nuw en neisten sondaghe zo middage aen den proost van Bastenach, oft derselve Godart in der vurscreven dadinghen syn wilt oft niet, ain argelist.

» Und des zo urkunde, want wir Frederich, elste sun zu Muerse vurseid und grave zo Sarwerden, und Scheivart van Merode here zu Heymersberch vurseid, zo deser zyt unse seghelen niet by ons en hain, soe hain wir ghebeden heren Claus Huysten here zo Bliven und Jan van Ryntzheim, dat sy yre inseghele vur ons zo getzughe an dissen unsen brief gedruckt hain. Des wir Claus Huyste here zo Bliven und Johan van Ryntzheim vurseid bekennen. Und wir Huwart here zo Elster, Diederich van Endelstorp here zo Wildenberch und Johan von Brandenberch here zu Essche vurseid hain ouch unse inghesegele zo urkunden deser vurseiden sachen an desen brief gedruckt. Ghegheven op Sinte Bartholomeus dach des heyligen apostels, in den jaeren Ons Heeren dusent vier hondert und drietzien jaren. »

« Diederich van Welckenhuse, proost zo Bastenachen. Ich Johan van Brandenbergh here zo Essche lassen dich wissen, also bereten und verschreben ist das ich und dy anderen mine metpartye an dich sulden lassen wissen, abe Godaert here zu Brandenberch mine neve in solchen bestande

und frede syn wilde, oder niet als wir han mit onsen heren van Brabant in der voegen des ghedadingt und verschreben ist. Da laissen ich dich wissen, dat wir Godart darumb besprochen unde verschriben han in der voegen das berethen ist, und ind hant ons noch keine antwort daruff gheben, noch wissen lassen das her in den frede und bestaende syn wille, das wulles vort mynen heren van Brabant und syne frunt wissen lassen sich darna zo richten. Ghegheben under mynen insigel uf sondagen zo morghen, nesten na Sinte Bartholomeus dage apostel, anno Domini M° CCCC° XIII°. »

De recessu ducis Anthonii ex terra Lucemburgensi, et ibi de obsidione ante Brandenbergh. CAP. CX.

1413 Item memoratus dux Anthonius, post gloriosos victoriososque triumphos tractatu hujusmodi atque treugis, sicut premittitur, factis, et pro gubernacione, tuicione et defensione ducatus Lucemburgensis et comitatus Tzini predictorum in capitaneos eorundem, die XXVI[a] mensis augusti anni M' CCCC' XIII' predicti, nobilibus viris Egidio de Rodemachere, domino de Rychersberch in gallica, et domino Erhardo de Gymnich domino de Berberch in teutonica terris institutis, soluta obsidione castri de Clerve, et ad suam dedicionem redacti, ut premissum est, magnificisque dominis Johanne domino de Heynsberch, Ruperto comite de Virnenborch, Frederico de Moerse comite de Sarwerden, Wilhelmo de Arckele domino de Borne et de Sittaert et aliis extraneis, qui ad suum servicium et auxilium advenerant, necnon nobilibus et oppidanis ducatus Lucemburgensis generose licenciatis, cum baronibus et nobilibus suis ad patriam Brabancie cum gaudio et leticia remeavit. Post hoc comes de Sarwerden juxta predicti continenciam tractatus prefixit Johanni de Brandenberch cum suis complicibus veniendi ad dietam in castrum Vianden, ad tractandum amicabiliter super controversia, etc.: ad quam venire recusarunt.

Et quia Godefridus de Brandeberch noluit comprehendi, ut supra patet, et predictam patriam Lucemburgensem continuis incursibus studuit dampnificare, idcirco prelibatus dux Anthonius, desiderans eidem patrie de remedio oportuno desuper providere, indici fecit expedicionem generalem

per totam patriam antedictam, ad obsidendum manu armata et apparatu bellico castrum de Brandenberch, et ante illud edificandum duas municiones dictas theutonico *blockhuse,* in quarum qualibet voluit teneri L homines armorum, habentes inter ipsos X equestres, XX arbalistarios, suis in expensis, et XXV arbalistarios ex oppidis, in ipsorum expensis, quodque reliqui hominum armorum equi deberent suis expensis stare in oppido Dytkerchen. Et, ut victualia ipsis necessaria et oportuna possent adduci, ordinavit quod in castris de Vianden et de Doesborch continue residebunt XXX homines armorum, quos dominus Simon comes de Spanhem inibi, suis in expensis, tenere promisit, ad conducendum victualia supradicta.

Tunc eciam practicavit idem dux Anthonius, quod Johannes dominus de Wilz sibi castrum suum de Wilz in manibus tradidit, ad inferendum dampna ex eodem castro illis de castro Brandenberch antedicto, et, unacum hominibus in Dytkerchen residentibus, introitum et exitum in et extra castrum Brandenberch impediendum. Ad que exequenda idem dux Anthonius suo nomine constituit executores capitaneos suos Egidium de Rodemachere et dominum Erhardum de Gymnich prelibatos : qui ejusdem ducis Anthonii mandatis tamquam veri obediencie viri obtemperare volentes, unacum nobilibus, oppidanis et subditis predicte patrie obsidionem ante predictum Brandenberch ponentes, predictas duas municiones edificare ceperunt. Quod videns Godefridus de Brandenberch, prelibati ducis Anthonii potenciam veritus, unacum Johanne de Brandenberch domino de Essche et Frederico de Brandenberch domino de Clerve, cum dictis capitaneis, nomine et ad opus ducis Anthonii et patrie Lucemburgensis et omnium ex utraque parte ipsis adherencium, integram pacem et obedienciam firmaverunt, et sic dicta obsidione soluta quilibet ad propria se duxit remeandum.

Qualiter oppidum de Lucemburch conquestum fuit supradicto regi, prout patet in litera eidem regi directa, cujus tenor sequitur et est talis. Cap. CXI.

« Alredurchluchtigster, hoochgeborener furst, gnedigher liber here. Als 1413
euwer kunichlich gnade prelaten, graven, heren, ritteren, knechten, ste-

den, merkten und dorfferen des lants von Lucemborch gemeynlichen, muntlichen und mit euwer kunichlichen majestat brieve ghescriben, bevolen ende gheboten hait, der hoochgebornen furstinne, frauwen Elizabetthen hertzoginnen zu Brabant, und dem hoochgeboornen fursten Anthonio hertzogen zu Brabant und zu Lymburgh, hieren gmahel, unsen gnedighen frauwen und heren, eyde, gelobde und gehoorzaemheyt zu doen uf sulche majestat brieve, die die egenannten unser gnedighe frauwe und heren davon hant, und nacht lute und inhalt derselver brieve, denselven bevolenschaft und gebod wir gehoorsaeme und untertenich geweest zyn, als das muglich und recht is, dasselbe auch wol frome prelaten, greven, heren, ritteren und knechte gedaen haint, und sunderlich des meistdeil von dem lande von Lucemburch, dat sint eins deils die euwer gnaden gebode ungehorsaem geweest sint und noch sint, derselben eyns deyls euwer gnaden lant von Lucemburch swerlichen und verderfflichen angegriffen, gecrighet und geschedigt haint, mit dootslaghe, brant und rouf, und haint den steden pantschaft geschriben in den sachen davon hen nit schuldich noch den beweis zu schaffen zu haiben, und daruf so crighend und diligent sy euwer gnaden lant dasselben heren eyns deils, ouch vurtzeiden dick mee getain haint: gnediger kunig, furste unde here, da bieden wir euwer kunichlich gnade ootmuedentlich und durch Goits willen, das euwer kunichlichen gnade dieselben underrichten und underwisen wille, das zy euwer kunichlichen gnaden majestat brieve und gebote gehoorsaem syn, als andere frome prelaten, graven, heren, ritterschaft, und wir euwen gnaden underdenige stede in dem lande van Lucemburg, und alzoo jemerlichen mit dootslaghe, raube und brant crigen noch diligen, und das euwer gnaden rete herus in dat lant van Lucemburch schicken wille, die irringe und krige zu verhueten und die nyderzuleigen; want es sicher anders eyn arme verdorben lant ist. Ouch, genediger kunig, furste unde here, so hait ons der alredurchluchtigester, hoochgeboorner furste, euwer gnaden broeder, kunig Sigismont, Romischer und Hongerscher kunig, unse genediger here, geschriven, und hain wir synen kunichlichen gnade daeruff geantwoort, als wir des beider brieve euwer kuniglyken gnaden anbeschryfft siehen, da beiden wir euwer kuniglichen gnaden, das euwen gnaden denselben uren gnaden bruder, onssen genadigen heren den kunig obgenannt, beschriven und boitschaft dun wille,

das sine gnade dieselben die euwere gnaden lant van Lucemburch in voorseiden massen beirrent und diligent, sulliche underwisen und underichten wille, dat sy dat lant nicht also jammerlichen verderben. Genediger kunig, furst und herre, euwer gnaden wille sich in disen sachen genedichlich bedencken, unde vorsehen das dat erme lant nicht also gentzlichen verderfflichen gemackt worden. Euwer kuniglichen gnaden gnedich antwoort unde willen begeiren wir mit desen boden weder zu wissen. Der almechtige Got spare euch lange gesont. Gheben under unsen der stede insigel van Lucemburg vur onse anderen steden alsament, uf Sinte Mertins avont des heiligen bisschoffs, in den jaere Unses Heren XIIII^c XIII. Euwer gnaden oitmutige, untertenige, richter, scheffen unde ghemeinte der stede des hertzogtums van Lucemburg gemeynichlichen. »

De nova ambaxiata ad supradictum regem missa, et literis ab eo impetratis. Cap. CXII.

Dux autem Anthonius, ad satisfaciendum tractatui suprascripto ante Clerve facto, transmisit ad sepefatum Romanorum et Bohemie regem versus Bohemiam strenuum Johannem de Rynshem, pro tunc sue curie marescallum, cum mandato sufficienti fulcitum; qui die ad hoc in supradicto tractatu ordinata, videlicet in profesto Undecim Millium Virginum, cum eodem suo mandato comparuit coram predicto domino rege et ejus nobili consilio ex Bohemia, in castro Nuwenhuse prope Pragam tunc residente, offerens se promptum et paratum, nomine et ex parte predicti ducis Anthonii, juxta tenorem ejusdem mandati faciendi, acceptandi ac complendi talem ordinacionem, sicut ipse rex cum antedicto suo consilio inter dictum Anthonium ducem et dominum Huwardum de Altari suosque fautores et adherentes super controversias inter ipsos existentes vellet pronunciare, juxta tenorem tractatus super hoc inter partes antedictas concordati, cujus copiam in forma authentica idem Johannes ibidem exhibuit et cum dicto suo mandato produxit.

Deinde vero post aliquot dies comparuit eciam coram dicto rege et ejus consilio Huwardus de Altari, filius domini Huwardi suprascripti, ex parte ejusdem sui patris suorumque fautorum et adherencium, nullo ab eisdem

mandato fundatus. Et quia dictus dominus Huwardus cum suis cum pleno mandato coram dicto rege non transmisit, sicut fecisse debuisset, idcirco idem dominus rex ordinacionem suam super controversia predicta inter easdem partes pronunciare nequivit, sed mandavit atque scripsit parti utrique quod firmarent et tenerent de controversia predicta treugas usque ad festum Beati Jacobi proxime venturum, prout in suis literis desuper confectis plenius continetur. Que fuerunt date in Nuwenhuse prope Pragam, die dominica proxima post festum Beate Catharine, post nativitatem Domini anno M° CCCC° XIII°, regnorum suorum anno Bohemie LI°, Romanorum vero XXXVIII°. Et sunt dicte litere sic signate : Per dominos Conradum episcopum Pragensem et Johannem de Contremitz, residentes in Furstenstein. Jo. de Bamberg.

Quia vero dominus Huwardus de Altari suique fautores et adherentes sepe dixerunt, quod litere Romanorum et Bohemie regis, quas domini dux et ducissa Brabancie ostenderant nobilibus et communitatibus ducatus Lucemburgensis super impignoracione ejusdem, emanarunt absque scitu et voluntate regis predicti, ideo ipse rex per suas literas patentes, datas in Nuwenhuse prope Pragam, post nativitatem Christi anno M° CCCC° XIII°, die dominica ante festum Beate Catharine, regnorum suorum anno Bohemie LI°, Romanorum vero XXXVIII°, notum facit universis et singulis principibus, spiritualibus et secularibus, comitibus, baronibus, militibus, ministerialibus, clientibus, universitatibus oppidorum, francisearum, villarum et omnibus aliis, cujuscumque dignitatis, status vel condicionis existentibus, qui per easdem suas literas fuerunt requisiti, quod litere sue ipsius majestatis sigillo sigillate, quas predictis duci et ducisse Brabanice super impignoracione predicti ducatus pro certa summa pecunie concessit, quasque ultimate nobilibus et oppidanis ejusdem ducatus ostenderant, de consilio suorum principum et dominorum, et de suo vero scitu et bona voluntate ipsis indulsit sive concessit, quodque predictum ducatum ipsis bene favit et adhuc die hodierna bene favet, et, si aliquis diceret quod hujusmodi litere absque suo scitu et voluntate emanassent, quod hoc non deberent credere, quia non est ita, prout in literis ejusdem tenoris infrascripti clarius habetur.

1413. « Wir Wentzlaw, van Gotes gnaden Roimscher kunig, zu allen tzeiten merer des Reichs und kunig zu Beheim, enbieten allen und ylichen fur-

sten, geistlichen und werltlichen, grafen, freyenheren, dinstleuten, ritteren, knechten, gemeinschaften der stede, marckte und dorffere. und sunst allen anderen unsen und des heilighen reichs undertainen und getreuwen, in welichen wirden, adel oder wesen die sind, die mit desen brive ermanet werden, unser gnade und alles gutes. Wir lassen euch wissen, das sulche unsers kuniglich majestat brive, darinne wir der hochgeborne Elzabethen hertzogin zu Brabant, unser lieben swester und furstin, und den hochgeborne Anthonien hertzoghen, yrem gmahel, unsen liben sune und fursten, uf unsem herzogtum und lande zu Lucemburg und sinen zugehoringe eyne ghenante summe gelts verscriben haben, und die sie fursten, grafen, freyenheren, ritteren, knechten und steten desselben unsers hertzogtums und landes zu Lutzemburch zu letzte furbracht und ghewiset haben, mit rate unser fursten und herren und mit unser in guten wissen und willen usgangen sint inder wel gegunst hant und noch gunnen heutiges taghe, und haben ouch uff dieselben unsere kunigliche majestat brieve allen grafen, freyenherren, dinstleuten, ritteren, knechten und gemeinschaften der stete, merckte und dorffen, deutscher und welscher lande, die zu den egenannten unsen hertzogtum und lande zu Lutzenburg gehoren, uswendich oder inwendich des landes gesessen, unsem lieben, ghetreuwen ernstelich und vestentlich gheschriben und gheboten, das sie den egenannten Elzbetten und Anthonien, nach der eghenannten unser koniglicher majestat brive laute und sage, eide, manschaft und ghehorsam tuin sullen. Und spreche yemande, wir den were, das die egenannten brieve on onsen wissen und willen usgeganghen weren, das sal nimande gelauben, wan das nicht also ist. Mit urkunt des brives versigelt mit unsen cleynen ufgedruckten insiegel. Geben zu Nuwenhuse bey Prage, nach Crists gheburt virtzehenhundert jare, und darnach in dem dreitzehenden jare, des suntaigs nach Sanct Katherin tage, etc. » Cum signatura ut in litera precedenti.

Subsequenter vero predictus dominus rex, per suas certi tenoris literas datas in Nuwenhuse prope Pragam, anno Domini M° CCCC° XIII°, dominica post festum Beate Catharine, regnorum suorum Bohemie LI°, Romanorum vero XXXVIII°, precepit et mandavit comitibus et baronibus infrascriptis, et primo Johanni comiti de Spanhem seniori, quatenus memoratis duci Anthonio et Elizabeth ducisse Brabancie, sue conthorali, super impignoracione ducatus Lucemburgensis ipsis per eundem regem facta, juxta con-

tinenciam literarum desuper confectarum homagium et debite fidelitatis juramentum faceret et prestaret, quo sibi tamquam Bohemi regi et duci Lucemburgensi, suo naturali domino, erat astrictus et obligatus Quo sic facto et prestito, remisit sibi et quitavit eidem homagium et fidelitatis juramentum, donec et tamdiu et quousque ipse, vel sui successores, reges Bohemie, a prefatis duce et ducissa et eorum heredibus dictum ducatum cum tali pecunie summa, pro qua ipsis desuper via pignoris est data et obligata, fuerit redemptus. Qua redempcione facta, tunc ipse Johannes comes de Spanhem et ejus heredes cum talibus homagio et fidelitate ad ipsum et coronam Bohemie et dictum ducatum Lucemburgensem redibunt et manebunt: prout in literis sui impressione sigilli in dorso sigillatis plenius continetur.

Similes litere fuerunt scripte Philippo comiti de Nassouw et de Sarraponte, Symoni comiti de Spanhem et de Vianden, Nycholao domino de Hondelsteyn, Everardo de Mercka domino de Aerberg, Johanni domino de Rodemachere, Gerardo domino de Bolchen, Johanni domino de Vestingen, Petro domino de Croenenbergh, qui domini et comites supradicti nunquam se opposuerunt duci, nisi solum quod recusarunt sibi facere homagium, nisi rex primitus remisisset ipsis juramenta sibi prestita, etc.

Tenor litere domini regis directe communitati opidi Fels, alias Roche :

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, Majerio, Scabinis et Communitati oppidi nostri Fels, fidelibus nostris dilectis, graciam regiam et omne bonum. Quia inter illustrem Anthonium ducem Brabancie, filium nostrum karissimum, fautores et adherentes suos, ab una, et nobilem Huwardum de Altari suosque fautores et adherentes, fideles nostros dilectos, parte ab altera, pacis treugas usque ad festum Sancti Jacobi venturum proximo firmavimus, per utramque partem inviolabiliter duraturas, idcirco vobis seriose precipimus et presentibus expresse mandamus, omnino volentes quatenus de predicto oppido vestro prefato duci Anthonio suisque fautoribus et adherentibus, in prefatum Huwardum suosque fautores et adherentes in prefatis treugis pacis nulla dampna seu incommoda inferri permittatis, seu molestiam aliqualem, prout de vobis plene confidimus, et ex fidelitate vestra prompta et parata in regie nostre majestatis conspectu, tamquam obediencie filii, volueritis plurimum commendari, prout super hoc vasallis, militibus et clientibus predicti castri

Fels, fidelibus nostris dilectis, similia direximus scripta nostra. Datum Prage, die ultima novembris, regnorum nostrorum anno Bohemie LI°, Romanorum XXXVIII°. Sic signate: Ad mandatum domini regis: Johannes de Bamberg. »

Tenor litere domini regis directe nobilibus castri Fels, alias Roche:

« Wenceslaus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, universis et singulis vasallis, militibus, clientibus castri nostri Fels, alias Roche, fidelibus nostris dilectis, ad quos presentes pervenerint, graciam regiam et omne bonum. Quia inter illustrem Anthonium ducem Brabancie, filium nostrum karissimum, fautores et adherentes suos, ab una, et nobilem Huwardum de Altari suosque fautores et adherentes, fideles nostros dilectos, parte ex altera, pacis treugas usque ad festum Sancti Jacobi venturum proxime firmavimus, per utramque partem inviolabiliter duraturas, idcirco vobis seriose precipimus et presentibus expresse mandamus, omnino volentes quatenus predicto Huwardo, suis fautoribus et adherentibus, contra et adversus predictum Anthonium ducem Brabancie suosque fautores et adherentes, treugis durantibus supradictis, nullatenus assistere, seu predicto duci et suis in ducatu nostro predicto nulla dampna seu incommoda inferre debeatis quovis modo, prout de vobis indubie confidimus, et ex fidelitate vestra prompta et parata, in regie nostre majestatis conspectu, tamquam obediencie filii volueritis plurimum commendari: prout super hoc scabinis et communitati oppidi in Fels similia direximus scripta nostra. » Data et signata ut supra.

Qualiter rex Romanus et Hungarie sinistre informatus scribit judicibus et scabinis et communitatibus oppidorum et incolis ducatus Lucemburgensis contra ducem Anthonium. Cap. CXIII.

Non obstante tractatu prescripto ante Clerve concordato, et per dominum Huwardum de Altari suosque fautores et adherentes servare jurato et promisso, predicti Huwardus et sui memoratis dominis duci et ducisse Brabancie non solum homagii et obediencie juramenta prestare recusarunt, sed eciam in eorum pertinacia indurati, supradicto domino Wenceslao et Bohemie rege, eorum vero et naturali domino, dimisso, ab ipsius

obediencia discedentes, ad serenissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem semper Augustum et Hungarie, Dalmacie et Croacie, etc., regem, ut eorum pertinaciam defenderent, miserunt, animum ejusdem domini regis sinistre informando contra ducem Anthonium predictum : videlicet quod dictum ducatum intenderet sibi injuste et violenter usurpare atque a regno Bohemie et veris heredibus alienare, quod ipsi, ut asserebant, agnoscentes, dum dicti ducis peticionibus nollent acquiescere, graves ab eo violencias et injurias sustinuissent et quotidie sustinerent. Quibus persuasionibus dum dictus rex fidem adhiberet, contra dictum ducem commotus scripsit incolis ducatus Lucemburgensis, spiritualibus et secularibus, judicibus, scabinis et communitatibus oppidorum ejusdem ducatus, quomodo idem dux injuste ad conquirendum et obtinendum ducatum Lucemburgensem antedictum instancias fecerit, et faciat quotidie, contra certam ordinacionem dudum factam et per nobiles et ignobiles dicti ducatus servare juratam, videlicet quod idem ducatus a corona Bohemie nunquam debeat separari; et quomodo predictum dominum Huwardum de Elter, et alios dicti ducatus nobiles dicto duci Anthonio nolentes acquiescere, et se offerentes ad standum judicio dicti regis Hungarie, vel electorum imperii, contra justiciam oppresserit et violencias eis intulerit. Quem dominum Huwardum ex quo capitaneum et principalem constituit dictorum nobilium, et indulserit erigere vexillum imperii contra dictum Brabancie ducem, si opus foret : idcirco mandavit et commisit omnibus incolis predicti ducatus, ne ammodo dicto domino Huwardo et suis nocere presumant, sed eis eundo et redeundo cum castris et oppidis contra dictum ducem et suos assistant, prout in dictis literis plenius continetur; que fuerunt date in Cure, post nativitatem Christi anno M° CCCC° et post hoc anno XIII°, in profesto nativitatis Beate Marie, regnorum suorum anno Hungarie XXVII°, Romanorum vero tercio.

Tenor vero dictarum literarum sequitur in vulgari theutonico et est talis :

1413. « Wir Sigismund, van Gotes gnaden Roimischer kunig. zu allen tzeiten merer des Reichs, und zu Ungeren, Dalmacien, Croacien, etc. kunig, inbieten allen und yeklichen inwoneren des gantzen landes zu Lutzenburg, geistlichen und werreltlichen, ritteren, sceffen und gemeynden der stede Lutzenburg und allen anderen zu demselben lande ghehorende, unsen

liben ghetruwen. unse gnade und alles gut. Liben ghetruwen, wanu ir wol wisset, das dem hochgebornen Anthony van Burgundien, der cronen van Beheim, und uns, als derselber cronen rechten erben nach dem lande van Lutzenburg, wider die ordenunge die vor zeiten gemacht, verbrieft und van allen inwoneren, geistlichen und wereltlichen, edelen und onedelen, desselben landes gesworen ist, ewelich zu halden, mit namen lutende das dat egenante lant van der egenanten cronen nymermeer ghescheiden worden sal, und ouch wider recht langhe zyt gestanden hait und tegelichen, und das ouch er und die sinen die edelen Huwarten van Elteren und unse ander getruwe ritterscaft sere gedrungen und bescediget haben, und tegelichen dringen und bescedigen: ouche wider recht und wider das das sey im recht vur uns eyme Roimschen kunig, oder fur uns und des reichs kurfursten geboten haben, wanu wir dieselbe unse getruwe ritterschaft geheysen haben das sey sulches vorgenannten bedrangs und onrechten weren und uphalten sollen, und in ouch eynen haubtman gesetzet, um unses und des reichs banier upzuwerfen und zu furen gegunnet und bevolen haben: darumb erforderen wir an euch, und gebieden euch ernstelich und vestelichen mit desen brive, und ermanen euch ouch solicher vorgenannten ordenung und eyde daruber gesworen, und wes wir uch gemanen mogen, das ir die vorgenannte haubtman und ritterschaft furbas nit hindert oder irret, oder wider sy niet helffet oder ratet, und sy ouch in alle stete und slos des vorgenannten landes, und wider darus, al oft in gemeynlich oder sonderlichen des noyt beschickt, sicher und ongehindert riden und wanderen, und die wider die vorgenannten Anthonii und sine helfere, diener und zuleger in allen yren sachen gescheften offen sin lassen und halten sollet, als wir uch wol getruwen das wol wir ghen euch alzyt gnedichlichen erkennen, wanu tede ir des nit so versteet, ir wol das uns und den unsen ongutlich beschege. Geben zu Cure, nach Cristus geburte XIIII^{c} jair, und darna in den XIII^{en} jare, ain Unser Frouwen avont *Nativitas*, unser reiche des Ungerischen, etc. in den sieben und tzweyntigisten, und des Roimschen in dem dritten. »

Qualiter oppida ducatus Lucemburgensis responderunt Romanorum et Hungarie regi ad literam precedentem. Cap. CXIV.

Ad quam literam judices, scabini et communitates oppidorum ducatus Lucemburgensis in substancia responderunt, se unam suam literam recepisse, in qua majestas sua regia scribit de ordinacione temporibus retroactis facta, et ab omnibus incolis, spiritualibus et secularibus, nobilibus et ignobilibus ducatus Lucemburgensis jurata, se perpetuo observaturos: videlicet quod idem ducatus a corona Bohemie non deberet separari, prout in litera sua plenius continetur. Super quo predicte sue majestati significarunt, qualiter serenissimus princeps imperator Karolus, cum illustri principe fratre suo Wenceslao, duce Brabancie et Lucemburgis, ordinavit, cum voluntate et scitu dominorum, militum, nobilium et oppidorum ducatus Lucemburgensis, quam eorum sigillis affirmaverunt: videlicet, casu quo contigerit, sicuti postea accidit, quod dux Wenceslaus absque herede a suo corpore procreato discederet, quod tunc dictus ducatus Lucemburgensis ad prelibatum imperatorem Karolum devolvi deberet: et, si ipse Karolus imperator ante dictum fratrem suum ducem Wenceslaum ab hoc seculo migraret, tunc prelibatus ducatus devolveretur ad illustrissimum principem dominum Wenceslaum Romanorum et Bohemie regem: et si ipse non esset, quando prefatus dux Wenceslaus decederet, quod tunc dictus ducatus Lucemburgensis cederet et devolveretur illi qui pro tunc sive illo tempore rex Bohemie efficeretur, prout hec patent in literis in Lucemburgo existentibus, ex quibus dicto Hungarie regi copiam transmisserunt, sub sigillo venerabilis domini Egidii de Vischbach, abbatis monasterii Beate Marie Lucemburgis, sigillatam, quodque de nullis aliis literis scirent loqui de ista causa mencionem facientibus.

Post cujus quidem ducis Wenceslai decessum, idem ducatus devolutus est ad predictum Wenceslaum Romanorum et Bohemie regem, suum germanum, cui ex tunc semper tamquam eorum gracioso domino obtemperaverunt, prout debuerunt: qui ipsos temporibus preteritis posuit et impignoravit in manibus patrui sui domini Judoci, marchionis Moravie, pro certa pecunie summa sibi desuper prescripta, cui prelibati nobiles, oppida et communitates dicti ducatus fidelitatis et obediencie juramenta

prestiterunt juxta tenorem literarum regis Wenceslai suprascripti. Deinde eciam venit dictus ducatus in manibus illustris principis ducis Aurelianensis, cui antedicti prelati, nobiles et oppida simili modo paruerunt.

Nunc prelibatus Wenceslaus Romanorum et Bohemie rex, via pignoris pro certa pecunie summa, dictum ducatum posuit in manibus illustris domine Elizabeth, neptis sue, ducisse et illustris Anthonii duci Brabancie, consortis sui, et dictis incolis prefati ducatus tam verbo quam sue majestatis literis districte precipiendo mandavit, quatenus ipsis parere et intendere debeant : cujus mandati copiam sub predicti abbatis sigillo sigillatam dicto Hungarie regi eciam transmiserunt. Cui mandato ipsi contradicere non potuerunt neque ausi fuerunt, quare predictis duci et ducisse fidelitatem et obedienciam promiserunt, juxta predicti Romanorum et Bohemie regis literarum continenciam et tenorem, et non alias neque ultra, quemadmodum prelati et major pars militarium dicti ducatus eciam fecerunt, et utinam regalis sua majestas sciret qualiter et per quem modum illi, qui inpresenciarum istam controversiam in terra Lucemburgensi fovent, hoc faciunt : quare iidem sue majestati humiliter supplicarunt, quatenus ipsa in causa hujusmodi cum antedictis duce et ducissa se velit concordare, sicut regiam suam celsitudinem bene deceret; quodque dicti ducatus impignoracionem et presenciam velit ipsis ita libenter favere sicut alteri, quia ipsi utique melioris cordis affectu ad hoc sunt inclinati, predictam terram fideliter et pacifice manutere ac regere et ab injuriis et violenciis defensare, quam alii ut ejusdem terre incole ad pacem et tranquillitatem venire possint, et exulari non cogantur. Scribunt ulterius, quod post predicti quondam ducis Wenceslai decessum multa dominia, castra et oppida via pignoris a dicta terra sunt distracta et alienata : que quidem terra cum dictis dominis duce et ducissa nunc in bona pace stetisset et staret, si illi non impedivissent et impedirent, qui suam majestatem cotidie et irracionabiliter et sinistre student informare, quique dicte terre a longo tempore citra gravissima dampna intulerunt cedibus, incendiis et rapinis, et cotidie inferre non desistunt, prout hec cum multis aliis punctis et articulis in dictis responsionum literis plenius continentur.

Tenor vero dictarum literarum, de quibus hic immediate supra fit mencio, sequitur in ydiomate theutonico et est talis :

« Allerdurchlutigster, hochgeborner furste, gnedigher liber herre, wir

ontbieden uwer kuniglichen gnaden unsern undertenigen schuldighen dienst. Gnediger furste und herre, uwer kuniglich gnade geliebe zu wissen, das wir eynen brief van uwer kunigliche gnaden uns schrivet von ordenunge, die vour ziden ghemacht, verbrieft und van allen inwoneren, geistelichen und wereltlichen, edelen und onedelen, des hertzogtums van Lucemburg ghesworen sie ewechlich zu halden, mit namen lutende das dat egenannte land van der cronen van Beheim nimmer ghescheit sulle worden, als derselber uwer kuniglichen gnaden brief vortme inheldet.

» Gnediger kunig, furste und herre, da geliebe uwer kuniglichen gnaden zu wissen, so wie der allerdurchlutigsten, hochgeborne furste, keiser Karle, mit zynen bruder, heren Wentzlaw hertzogen zu Brabant und zu Lucemburg, unse gnedighe herren, den God beiden gnaden, zu zyten uberkommen ist, mit willen und wissen der herren, ritteren, knechte und steden des hertzogtums van Lucemburg, und haint das die herren rittere, knechte und stede des lants van Lucemburg mit versiegelt, abe sache were das es geburde und alsoe queme, als es syter leider komen und gevallen ist, das unse obgenannte gnediger herre hertzog Wentzlaw, dem God gnade, ain libs erben zu unsem van dieser werelt verschiede, das dat egenannte lant van Lucemburg dan ain unserm gnedigen herren keiser Karl obgenannt, dem Got gnade, komen und fallen sulde; unde abe keiser Karl ee van dieser werelt verscheden wurde dan hertzog Wentzlaw syn bruder, dem Got beiden gnade, zo sulde dat vorscreven lant van Lucemburg dain comen und vallen ain dem allerdurchlutigisten, hochgebornen fursten und herren kunig Wentzlaw, Romischer und Beheimscher kunig, unse gnedige herre, und abe der nit en were als der obgenannte unser gnediger herre hertzoge Wentzlaw, dem Got gnade, van dieser werelt verscheiden wurde, so sulde dat vorgenannte lant van Lucemburg comen und vallen ain deyn daraf uf die zyt kunig zu Beheim sien wurde, als des ouch brieve zu Lucemburg sint, derselber brieve wir uwer kuniglicher gnaden versigelt affschrieft seinden, under des erwirdighen herren Giltz van Vischpach, apt zu Unsere Frouwen zu Lucemburg, ingesiegel, darinne uwer kuniglich gnade das eygentlich gesien und verstain mach: und van keinen anderen briven van den sachen sprekende en wissen wir nit.

» Gnediger kunig, furste und herre, also ist dat voirseide lant van Lucemburg sint der zyt, nach dein der obgenannte unsere gnediger herre

hertzoge Wentzlaw, dem Gott gnade, van dieser werrelt verscheiden ist, comen und gefallen an dem obgenannten allerdurchlutigisten hochgebornen fursten, uwer gnaden bruder, kunig Wentzlaw, Romischer und Beheimscher kunig, unsere gnedige herre, dem sein wir in den lande van Lucemburg alzyt siter her ghehorsam und undertenig geweest als unsen gnedigen herren, als billichin und recht ist, da haint uns der vurseide unse gnedige herre der kunig zu zyten bevolen und in handen gestalt syns veters, des hochgebornen fursten marcgraffen Jost, marcgrave zu Mehren, unsen gnedigen herren, dem God gnade, und yme eyne summe geltz daruf verschriven, demselven unsen gnedigen herren, den marcgraffen, dem God gnade, die prelaten, graven, herren, ritteren, knechte, steden unt ganz lant van Lucemburg ghemeinlich ghehorsam gewest sind, mit gelubde und eyden nast inhalde sinre brive die er daruber hatte van unsen obgenannten gnedighen herren dem kunig, und hain das getain van geheysse und gebode unser gnedige herren des kunigs obgenannt.

» Ouch so ist dasselbe lant van Lucemburg zu zyten gheweest in handen des hochghebornen fursten des hertzoghen van Orliens, dem Got gnade: demselven sint die prelaten, graven, herren, ritterscaft und stede gemeynlich gehorsam geweest. Nu hait unse gnedige herre der kunig obgenannt der hochgebornen furstinnen, frauwen Elzbethen, sins und uwer gnaden bruder, hertzoge Hantze toichter unses gnedigen herren, dem God gnade, unsere gnedige frouwen, und den hochgebornen furste hertzogen Anthonys van Burgundien, herzoge zu Brabant, unsers gnedigen herren, dat lant van Lucemburg bevollen in der hant gestalt, und eyne sume geldes deruff verschriven, und uns mit monde und mit siner majestat briven bevolen und geboten, hin ghehorsam zu sien, als wir uwer kuniglichen gnaden der gnaden geboits brive afschrieft senden, versigelt mit des obgenannten erwirdighen aptz insiegel, der bevolentschaft noch gebot wir nit haben mugen noch gedeurren ongehorsam zu wesen, und hain unse gnedigen frouwen und herren obgenannt gelufde und gehorsamheyt gedan, nast inhalde unsers gnedigen herren des kunigs briven, und nit vorder, des wir brive und sigel van hin han, der afschrieft wir ouch uwren kuniglichen gnaden senden, versigelt mit des obgenannten eerwirdigen aptz insiegel, dasselbe ouch etwievel und besunder die meiste deyle frommer prelaten, graven, fryherren, herren und ritterschaft des hertzogtums van

Lucemburg getain haint, und wulden wol das uwer kuniglich gnade eygenlichin wist, wy und in wat fugen dieghene die ytzont die irrunge makent im lande von Lucemburg, sie das duent.

» Genediger kunig, furste und herre, da bieden wir uwer kuniglich gnaden unredelicher underwysinge nit geluben en willen, und wille sich uwer kuniglich gnade genedichlichin und gutlich in den sachen vereynigen mit unsere gnedigen frouwen und herren obgenannt, als uwer kuniglicher gnaden wol vuget und tez nuet, und uwer kunichlich gnaden die wille unsere gnedigen frouwen und herren obgenannt der bevolenschaft des lants van Lucemburg alsoe liebe gunnen als anderen, want sie ouch mugelichen besser hertz darzu haint, dat lant getruwelich, wol und fridelichen zu hanthaben und zu regeren und zu gerust komen muge, und also gentzlichin nit verdirben en werde, want es sicher anders eyn arme verdorben lant is, und ist is siter das unsere obgenannte gnediger herre hertzog Wentzlaw, dem Got gnade, van dieser werrelt verscheiden, also zu machen stonden gehanthabt und geregert gewest, das heirschaft, slos, lant und lude verdorben, wonderslichen und vergentlichen wourden sint, und das lant van Lucemburg in grose onverwinliche scholt dicke fremtlichin komen ist, und etwie vil slos und lant van den lande van Lucemburg gescheit sint in pantwise und anders, als wir uwer kuniglicher gnaden das ouch zu andere tziden gheschriven hain, und ist lange zyt wunderlichin in landt van Lucemburg umbgangen, und hette nu by unse gnediger frouwen und herren wol und fridelichin gestanden, en stede nit etzlich van den die uwe kuniglich gnade unredelichen in dem sachen underwisent, want sy dat lant onredelichen mit doitslaige, roube und brande angegriffen, swerlichen und verderflichen ghescheidiget haint und noch degelic schedigent, und haint den steden pantschaft gescreven in den sachen man nit en weis hin ic sculdich zu sien, oder mit hinut zu schaffen zu hain, und birnent, roubent und diligent unsem gnedigen herren dem kunig obgenannt sin eighen lant und dorffen. Gnedige furste und herre, das er wirt man gerne das selke hir eyndeils ouch vour sy den dick nie getan haint, und wir geluben das uwer kuniglich gnade der warheit recht darinne underwist were, nast der naturlicher liebden die uwer kuniglich gnade mugelich zuch dem lande van Lucemburg hat, dieselbe natuerlich liebde uwer kuniglich gnade ainsehen wille, und wille dat lant van Lucem-

burg gnedichlichen in diesen sachen bedencken. und uns vour entschuldiget halden, want wir in den sachen anders niet gedain en hain dan recht gehoirsamkeit uns gebot uns gnedigen herren des Roimschen und Boheimschen kunigs, uwer gnaden bruder, des gebot wir nit haben mugen noch geduren ongehoirsam zu sien uwer kuniglich gnaden, die gheliebe ouch denghenen die dit lant van Lucemburg also krigent und diligent, gebieten und bevellen das si uphalden unsers gnedigen herren lant so zu burnen und zu diligen und lude zu doit zu slain, man sal uf unser syten ouch gerne ufhalden sie zu scheidigen, da inbinnent schicke uwer kuniglich gnade deruwer in dat lant van Lucemburg eygentlichin zu ervaren wes die scolt sy. und wie sich die sachen ergangen haint, und, wo des niet en gheschiet. und die nit in der massen voirsereven ufhalden wulden, dat lant und lude zo doit zu slain, zu birnen und zu diligen, so verstant uwer kuniglich gnade wel das uns niet en vuget, sie und hire in die stede und slos zu lassen, als uwer kuniglich gnade uns schrivet und bevelet zu dun. diewile sy unsem obgenannten gnedigen herren den kunig syn lant van Lucemburg und uns selber mit doitslage, roube und brant also criegheden und diligent.

» Auch, gnediger kunig, furste und herre, so hetten wir gerne etzlich der unse zuch uweren kuniglichen gnaden eigelich zu underweisen. nu engedurren wir nymans zuch uwer kuniglicher gnaden sicken. noch der unsere vinden, die sich gedurren erheben zu uwren gnaden zu riden. und das van dieser viantschaf wegen, gnediger kunig, furste und herre, uwer kuniglich gnaden antwerten uf diese voirseide sachen, und abe dieselbe. die dat lant also verderflichen krigent und diligent, ufhalden willen dat lant zu crigen und zu scheidigen in vourseider massen, begeren wy mit diesen ghewordigen boden beschrieven zu wissen, das wir uns darna wissen zu richten, und so die ufhaldinge balder und ee geschege. soe is dem lande besser were, want sey dat lant degelic swerlichen und verderpliche krigent und diligent, mit doitslage, rouf, brant und name. Gnediger kunig. furste und herre, der almechtige God, der alle dinge vermach. der spare uwer kuniglicher gnaden lange gesont und in eeren.

» Geven zu Lucemburg under der stede insiegel van Lucemburg, vour uns anderen steden des hertzogtums van Lucemburg gemeynt. uff Sent Martins abent des heiligen busscofs. in den jare XIIII^c XIII : Uwer kuniglicher

gnaden oetmoedigen underdenigen. die richtere. scheffen und gemeynden der stede des hertzogtums van Lucemburg, in dutschen und in welschen lande. »

De controversia inter Antwerpienses et Mechlinienses adhuc indecisa pendente, et de tractatu desuper subsecuto. Cap. CXV.

Dum memoratus dux Anthonius post victoriosos triumphos de terra Lucemburgensi venit in Brabanciam, repperit dissensionem, inter bona oppida Antwerpiense et Mechliniense dudum exortam, adhuc pendentem indecisam, et unam partem contra aliam magis induratam et commotam, quam erant tempore sui recessus ex Brabancia versus terram Lucemburgensem predictam, quia unum oppidum alteri nulla victualia nullasque alias res neque merces alteri permisit adduci, nichilominus aliis oppidis tam Brabancie quam Flandrie in victualibus et mercibus adducendis et abducendis nullum fiebat impedimentum: sed quia oppida Lovaniense et Bruxellense infra dicti ducis Anthonii absenciam ex patria sua Brabancia inter Antwerpienses et Mechlinienses amplius tractare desiverunt, ut supra habetur, Mechlinienses noluerunt pati, quod Lovanienses et Bruxellenses per ipsorum districtum et franchiseam sal, pisces et avenam amplius transducere possent. Quod quia Lovanienses et Bruxellenses dicto duci Anthonio conquesti fuerunt, idem dux per totam suam terram Brabancie sub magnis penis fecit precipi et mandari, quod nullus extra eandem terram quascumque res ammodo ducere deberet: Mechlinienses vero, videntes se propter preceptum hujusmodi totaliter fore coarctatos, quod nulla bona ipsis poterant advenire, tantum procurarunt apud Johannem ducem Burgundie, eorum dominum, quod inter ipsum et ducem Anthonium, germanum suum, super predicta dissensione fuit tenta una dieta in oppido Antwerpiensi: in qua, per medium domini Walrami comitis Sancti Pauli et conestabularii Francie, fuit inter predictos dominos Burgundie et Brabancie duces de voluntate eorundem super predicta et aliis dissensionibus inter ipsos existentibus tractatum et concordatum.

Et primo, quod navis cum sale onerata in Mechlinia arrestata, pertinens certo mercatori oppidi Lovaniensis, deberet dearrestari et libere et quite

dicto mercatori deliberari; quodque Lovanienses et Bruxellenses sal eorum quod ammodo velint ducere, ascendendo vel descendendo per flumina Zenne et Dylie, illud ducere poterunt, sine fraude et impedimento, sicut fecerunt et usi fuerunt tempore bone memorie domini Philippi quondam ducis Burgundie, genitoris Johannis et Anthonii ducum predictorum, et unum annum ante et unum annum post ejusdem quondam ducis Philippi decessum.

Item, quod supradicti domini duces mittent suos commissarios, videlicet dux Burgundie in Lovanio, Bruxella et Antwerpia, et dux Brabancie in Mechlinia, ad visitandum eorum cartas, privilegia, literas et munimenta, de quibus supradicta oppida in hujusmodi dissensionis causa se velint juvare, et ex eisdem literis et munimentis copiam collacionatam capiendum et in manibus dictorum dominorum apportandum, ut ipsi juxta tenorem earundem causam principalem decidere possint atque terminare.

Item, de dampnis et expensis captivorum et arrestatorum ex utraque parte passis et factis fuit ordinatum, quod in proxima dieta in mense januarii apud Denremonde tenenda desuper appunctabuntur per commissarios dominorum ducum antedictorum.

Item, quod commissarii amborum dominorum ducum predictorum habebunt potestatem plenariam tractandi, terminandi et appunctandi, tam de querelis et peticionibus, quas Antwerpienses fecerunt de foris salis, piscium et avene, quam de facto principali : prout premissa clarius sunt scripta in quadam cedula Antwerpie in supradicta dieta desuper confecta et signata.

De ambaxiata per dominam ducissam missa ad Sigismundum Romanorum et Hungarie regem, patruum suum, tunc in Italia existentem. Cap. CXVI.

Postquam vero ad sepefati Anthonii ducis Brabancie et Lymburgis noticiam pervenit, qualiter dominus Huwardus de Elter suique fautores et complices, ad simulatam de ipsorum pertinaci inobediencia et rebellione excusacionem melius palliandam, ad supradictum Romanorum et Hungarie regem mittentes, de dicto duce Anthonio animum ejus informarunt, (1)

sinistre tamen, qualiter ipse dux predictum ducatum Lucemburgensem intenderet sibi violenter usurpare et appropriare, ac a regno et corona Bohemie et a veris heredibus alienare; quod ipsi, ut asserebant, agnoscentes, dum peticionibus et instanciis dicti ducis de fidelitatis et homagii sibi desuper prestandis juramentis acquiescere noluissent, graves ab eo sustinuerunt injurias et violencias, et adhuc cotidie sustinerent. Quibus quidem persuasionibus ipse dominus Romanorum et Hungarie rex fidem adhibens, animum suum contra dictum Anthonium ducem adeo provocasse videntur, ut per patentes literas suas de eodem duce apud diversos principes, dominos et civitates per Allemanniam, et signanter Johannem de Bavaria, electum Leodiensem, et civitatem Leodiensem super jam dicta usurpacione et appropriacione dicti ducatus Luxemburgis querimonias faceret, mandans proinde in dictis suis literis, quatenus memorato domino Huwardo et suis ad resistendum prefato duci fideliter assisterent, nec eis molestias ab eodem duce inferri, quantum in eis foret, permitterent quovis modo.

Sub cujus mandati vigore dominus Huwardus et sui magis roborati et animati, ab insolenciis non desistentes, dictum ducatum cedibus, incendiis, rapinis et aliis invasionibus diversis, in despectum et detrimentum Romanorum et Bohemie regis, eorum domini naturalis, et ducis Anthonii predictorum, ex tunc vastare, opprimere et depopulare non cessarunt, ut hactenus, propter absenciam principum suorum quasi principe carentes, dicto ducatu ad libitum abutendo, facere consueverunt. Et licet dictus Romanorum et Hungarie rex per hec scripta sua animum dicti ducis Anthonii quamplurimum provocaverit, quare idem dux aliquando erat intencionis per suas literas patentes supradictis principibus, dominis et civitatibus, ad et contra prelibati regis literas ipsis directas, desuper contentis in eisdem transcribere puram et meram veritatem eorum, que per ipsum in dicto ducatu gesta fuerunt, ut ipsis clare constare posset, quod supradictus rex ad ea sic scribenda fuit sinistre informatus per illos, quorum demeritis, infamiis et perjuriis exigentibus merito nulla fides sit adhibenda, que sunt tam notaria quod probacione non egent: nichilominus ipse dux Anthonius, saniori usus consilio, ob reverenciam dicti domini regis, ad scribendum hac vice, aut aliquod durum ex hac re contra ipsum attentare, voluit supersedere, firmiter proponens quod propter sinistram

et falsam iniquorum suggestionem veritas finaliter nequibit quoquo modo obumbrari, sed pocius, ne falsitas veritati prejudicet, debeat in lucem permanere; quodque, per exhibicionem reverencie et affectionis erga ipsius dicti regis serenitatem, animum ejus evincere et ad quevis optata cicius poterit inclinare.

Quapropter idem dominus dux, matura deliberacione prehabita, prius ordinavit, quod domina ducissa per se ad supradictum dominum Romanorum et Hungarie regem, patruum suum, tunc ultra Alpes in Italia, et ad dominum comitem Sabaudie penes ipsum existentem destinaret, prout destinavit, religiosum virum dominum Goswinum, priorem Carthusiensium de Seelhem prope Diest, cum literis credencialibus scriptis in castro suo de Turnhout, die XVIII[a] mensis januarii anno XIIII[c] XIIII[o], cum certis instructionibus super materia dissensionis inter eandem dominam ducissam et ducem Anthonium suum consortem dudum mote. Qui quidem dominus prior, postquam suas literas credenciales primo dicto comiti presentaverat, et suam credenciam juxta sue instructionis formam enarrasset, et de singulis in eadem instructione contentis informasset, cum auxilio ejusdem domini comitis dicto domino regi ex parte domine ducisse, neptis sue, literas suas exhibens, credenciam suam sibi exposuit cum decencia et honore ad hoc debitis et requisitis.

Et primo, ad ipsius domini regis animum informandum de veritate eorum, que ipse dominus rex ex quorumdam sinistra persuasione memorato duci Brabancie de usurpacione et appropriacione predicti ducatus Lucemburgensis imposuisse videtur, in finem quod dicti ducatus, quem quidam inhabitantes nobiles vastare et depopulare nituntur, ulteriori discrimini prefati domini regis provida circumspectione obvietur, asseruit serenitati sue, ex parte dicte domine ducisse, quod, cum dominus Romanorum et Bohemie rex sibi et duci Brabancie consorti suo in subsidium sacri matrimonii dedit et solvere promisit certas pecuniarum summas, de quibus dum ad ipsam et eundem consortem suum assecurare, et de caucione sufficienter vellet providere, impignoravit eis et heredibus suis, et sub forma hypothecacionis obligavit et tradidit, predictum ducatum Lucemburgensem cum suis attinenciis, ad tenendum et possidendum, donec ipse rex aut sui heredes et successores, reges Bohemie, de ejusmodi pecuniarum summis, pro quibus prefatis duci et ducisse et eorum heredibus dictus

ducatus impignoratus est et obligatus, eis debite fuerit satisfactum, et non ultra. Hoc autem, ut prefata ducissa asserit, est tale jus, et non aliud, quod prelibatus dux et ipsa super dicto ducatu in hac parte habere pretendunt. Et adjunxit se firmiter credere et bene scire, quod memoratus dux dominus consors suus numquam, verbo vel opere, palam vel occulte, super dicto ducatu aliud vel amplius sibi usurpare intenderit quovis modo.

Item secundo exposuit dictus prior prefato domino regi ad longum, qualiter prefati dux et ducissa, vigore literarum super dicta impignoracione per antedictum Romanorum et Bohemie regem ipsis concessarum, fuerunt per prelibatos majorem partem nobilium et omnia dicti ducatus oppida recepti et admissi, cum fidelitatis et obediencie juramentis ad hoc juxta dictarum continenciam literarum debitis et requisitis, et non ultra.

Similiter dictus prior exposuit dicto regi processum inter dominum ducem et nobiles sibi in premissis rebelles habitum, ac eciam de tractatu ante Clerve facto, et de diversis literis per dictum Bohemie regem eisdem duci et ducisse nobilibus et terre Lucemburgensi concessis : de quibus quidem literis dicti rebelles et inobedientes nobiles non curantes, et ab insolenciis non desistentes, dictum ducatum quotidianis incursibus vastare et depopulare non cessarunt.

Cum itaque constet et evidenter appareat, dictum ducatum et populum sub hujusmodi oppressionibus et invasionibus dictorum rebellium et nobilium, ab una parte, et gravibus sumptibus pro sui et terre defensione, ab alia parte, hactenus fatigatum, ad omnimodam sui destructionem declinare, nec diucius ista sine irrecuperabili dampno posse sufferre: ideo predicti domini Romanorum et Hungarie regis serenitati humillime supplicat prefata domina ducissa, primo, quatenus super hiis prefatis ducatui et populo de oportuno remedio providere dignaretur, mandans prefatis nobilibus ne ammodo eos invadant, aut quovis modo nocere presumant, etc.

Item, cum ex prenarrato processu non videatur, quod prefatus dux quidquam aliud vel amplius ab incolis dicti ducatus petierit vel exegerit quam debitum et jus suum, secundum tenorem et formam dumtaxat literarum, quas sepefatus Bohemie rex sibi et prefate ducisse consorti ejus generose primo concessit, ac secundo et tercio aliisque suis patentibus literis approbando confirmavit; cum eciam probari non possit, nec ex quocumque verbo vel facto elici, quod prefatus dux ea, que a memorato do-

mino rege Romanorum et Hungarie de antedicta usurpacione et appropriacione dicti ducatus imposita sunt, quovis modo pretenderit vel eciam intenderit, vel cuiquam de dicto ducatu de hac re aliquid proposuerit vel proponi fecerit: ideo secundo supplicat prefata domina ducissa domini regis majestati, quatenus, hiis ut dignum videtur attentis, attento eciam quod ipsa de porcione paterne hereditatis nichil preter prefatas pecunias super dicto ducatu sibi assignatas acceperit, et quod prefatus dux maritus suus, ex parte ejus et dicti ducatus et pro defensione ejusdem, graves sumptus fecerit et plurima dampna sustinuerit, ipse prefatus dominus rex dignetur prefatos inobedientes et rebelles nobiles sic per suum mandatum informare et cum effectu ad hoc inducere, ut hactenus, quesita et sinistra excusacione postposita, sibi et dicto domino duci ejus consorti faciant, ad quod, secundum Deum et equitatem et predictarum literarum prefati domini Romanorum et Bohemie regis tenorem, ipsos constat esse obligatos.

Qui quidem prior, licet pro sua celeri expedicione multum instanter et sollicite laboravit, propter diversa tamen obstacula dictis dominis regi et comiti occurencia tam cito non potuit expediri.

Ceterum idem dominus Sabaudie comes, pro suprascripta dissensionis materia tollenda suam diligenciam interponens, ut per suas literas scriptas Ypporegie, die XIIII° mensis junii anno XIIIIc XIIII°, dicto duci Anthonio, cujus sororem habuit in uxorem, transcripsit, dum super hac materia dicto domino regi loqui cepisset, et causam displicencie contra dictum ducem Anthonium concepte investigaret, inter alia respondit, quod multociens et a pluribus esset sibi scriptum et eciam expressa relacione deductum, quod ipse dux ducatum Lucemburgensem ad manus suas et suorum heredum modis impertinentibus conquirere vellet, et a corona Bohemie perpetuo alienare, nobiles de dicto ducatu suis requisicionibus acquiescere nolentes ad juramenta et ad fidelitatem sibi super hoc prestandum violenter urgendo. Dixit eciam se audivisse, quod ipse dux suam uxorem, neptem suam, non secundum decenciam debitam tractaret, nec ei de dote sua provisionem aut caucionem, prout teneretur, fecisset, et quod promissa sua erga dominum Bohemie, fratrem suum, super convencionibus et tractatibus cum eo habitis minime servaret. Eciam asseruit sibi dictum, quod inter ipsum et fratrem suum ipse dux discordias voluit seminare;

subjunxit eciam quod a tempore electionis sue dictus dux nunquam literam aliquam congratulacionis, nec cujusquam reverencie exhibicionem ab ipso duce recepisset : et credit dictus comes quod hoc fecerit eum prioribus cicius fidem adhibere. Postremo asseruit, quomodo multociens audierit, quod imperio sit jus acquisitum in ducatu Brabancie : quod si ita esset, videretur, ut asserit, quod ipse dux Anthonius cum injuria dicti imperii ipsum ducatum detineret.

Super quibus omnibus dictus comes Sabaudie, prout conveniencius potuit, secundum instructiones prefati prioris pro dicti ducis parte et honore respondit. Sed finaliter, post acceptam informacionem, prefatus dominus rex, primo in Ropollis, presentibus avunculo suo principe Achaye, marchione Montisferrati, vicecancellario suo, et cancellario comitis et aliis quibusdam de ejus consilio, et secundo Ypporegie, presentibus domino cardinali Placentino, marchione Saluciarum et aliis quampluribus, hoc modo super hiis cum dicto comite Sabaudie conclusit : quod ea, que inter supramemoratum regem Bohemie, fratrem suum, et ducem Anthonium, de ducatu Lucemburgensi vel alias, occasione donacionis nupciarum dicte neptis sue, dicti ducis consortis, tractata sunt, vult rata habere, et in pleno suo robore permanere, sic tamen quod dicte convencionis limites ipsi dux et ducissa non excedentes, nobiles et alios habitatores dicti ducatus Lucemburgensis ultra id, quod secundum formam dicte convencionis de jure sibi debent, non cogant: et ut dicto fratri suo et nepti sue super dote sua debitum et promissa servet. Et quia, ut asserit, intendit instare apud dictum suum fratrem, ut mittat de suo consilio pro determinacione et decisione questionis inter dictos ducem et nobiles pendentis, dictus Romanorum et Hungarie rex voluit ut maneant et serventur inter eundem ducem et nobiles predictos treuge, et quod ab utraque parte interim ab omni impeticione ac molestacione cessetur, donec dictam questionem contingat terminari, prout dictus rex hec per sua mandata ordinare intendebat.

De ducatu vero Brabancie non intendit predictus rex dicto duci Anthonio aliquam de privacione seu oblacione movere difficultatem : verum est tamen quod bene vult, ut aliquando videatur per equos judices, cui in dicto ducatu jus competat, quatenus, si dicto duci acquisitum sit, maneat sibi quod de jure suum est: si vero acquisitum sit imperio aut ei, quod dux predictus beneficium debite recognoscat, prout in predicti comitis Sabau-

die literis luculencius habetur, in cujus fine habetur clausula tenoris sequentis :

« Itaque, frater karissime, ablata, ut spero, isto modo a corde dicti domini mei regis concepta jam pridem ad vos displicencia, rogo vos, pro bono nunc instaurande inter vos amicicie, quatenus ad instanciam meam, si forte dictus dominus meus rex scriptis suis aliquo modo provocaverit aut offenderit, hac vice suspendere velitis, nec aliquod durum ex hac re contra ipsum attemptare, sed pocius eo modo vos erga ipsum exhibere placeat, ut ipse erga se vestram senciens bonam voluntatem, graciose habeat hec erga vos semper recognoscere : michi in hoc, qui propter honorem et profectum utriusque vestrum istam concordiam inter vos multum curo, quamplurimum complacendo, qui me ad omnia vobis grata paratum offero cum affectu. Scriptum Yporregie, die XIIII^a mensis junii. Frater vester, comes Sabaudie. » Superscriptio ejusdem litere est talis : Illustri fratri meo karissimo Brabancie et Lymburgis duci.

Preterea est sciendum, quod isto tempore sepefatus Romanorum et Hungarie rex cum prelibato domino Goswino priore Carthusiensium de Seelhem cepit conferre de jure sibi ad ducatum Brabancie acquisito, non solum causa devolucionis ad imperium, quia femine in eo succedere non possunt, ut asseruit, sed eciam jure hereditario, causa translacionis per dominam Johannam quondam ducissam Brabancie alias in patruum suum ducem Wenceslaum, suum consortem, etc., et proximiorem heredem prosapie Lucemburgis factam.

Dictus vero prior, ad animum ipsius domini regis de sua injusta opinione avertendum, ostendit eidem unum petrum aureum, ubi nomen ejusdem ducisse ita bene erat insculptum sicut nomen patrui sui, ducis Wenceslai predicti : arguendo ex hoc, si dux Wenceslaus fuisset dux hereditarius ducatus Brabancie, non fuisse opus quod nomen ejusdem ducisse in dicto denario fuit appositum. Dixit eciam idem prior dicto regi de declaracione et translacione dicti ducatus, per dominum Wenceslaum Romanorum et Bohemie regem et Lucemburgensem ducem, suum fratrem, facta in ducem Anthonium et ipsius heredes Brabancie duces, de quibus habetur supra. Et ad hoc quod rex dixit, quod femine non possent in dicto ducatu succedere, respondit dominus prior, quod duces Brabancie de successione filiarum sunt ab antiquo privilegiati a divis imperatoribus et regibus Romanorum :

quodque istud non esset speciale in filiabus ducis, verum eciam est generale et patrie Brabancie jus commune, quod femine sive femelle, in filiorum defectum, in feudis baronum et aliorum nobilium et vassalorum succedere possunt et succedunt, et ita cotidie practicatur et observatur, et observatum fuit a tanto tempore et per tantum tempus, quod de inicio sive contrario memoria hominum non existit.

Item est verum quod dominus cardinalis Placentinus misit dicto duci Anthonio unam cedulam tenorem qui sequitur in se continentem :

« In dissensione, que est inter illustrem principem dominum Anthonium ducem Brabancie etc., conjugem illustris principisse domine Elyzabeth de Lucemburgis, sub certis modis et pactis pro dote ipsius domine principisse, dicto domino duci per serenissimum principem dominum Wenceslaum regem Bohemie concessa, ex altera de et super prestacione juramenti fidelitatis, quam requirit idem dominus dux ab eisdem nobilibus, et ipsi nobiles prestare recusant, ac injuriis, dampnis, expensis et interesse hincinde petendis, intencionis serenissimi principis et invictissimi domini, domini Sigismundi, divina favente clemencia Romanorum regis semper Augusti et Hungarie, etc., regis, quod in omnibus et per omnia serventur conventa inter ipsos dominos regem Bohemie et ducem in concessione hujusmodi; et, quia sine dilacione de predictis conventis non potest constare, vult et intendit idem dominus Romanorum rex, quod, usque ad decisionem questionis inter predictos ducem et nobiles pendentis per consiliarios prefati regis Bohemie desuper fiendam, cessetur inter partes ab offensis omnibus et ab impeticione et occisione aliquorum; et quod infra dictum tempus cognoscatur de predictis conventis et aliis juribus parcium, et secundum quod fuerit de jure terminatum, postea servetur. Et super voluntate et intencione predictis vult ambabus partibus literas oportunas per suam cancellariam tradi et exhiberi per dominum cardinalem Placentinum, ex jussu domini regis, presentibus dominis Sabaudie et marchione Saluciarum, in castro Ypporegiensi, anno Domini M° CCCC° XIIII°, XXIIII^{a} die mensis maii. »

Deinde vero idem comes Sabaudie scripsit dicto duci Anthonio unam aliam literam, cujus tenor sequitur estque talis :

« Illustris princeps, frater carissime. Postquam alias de Ypporegia vestre scripsi fraternitati super questionis materia inter serenissimum principem

dominum meum regem Romanorum, ab una parte, et vos, ab alia, dudum mote, et. tractatibus cum dicta ipsius serenitate desuper habitis, ipse rex deliberacione consilii sui movit se ex Italia usque Alemanniam, gressus suos accelerans ad civitatem Spirensem, pro certis quibusdam et arduis negociis imperii, quanto cicius tamen, ut estimo, in Italiam reversurus: preterea cum iter facientem per Sabaudiam ejus serenitatem associando deducerem, moto aliquando inter ipsum et me de prefate ipsius et mei questionis materia familiari alloquio, visa est michi memorata serenitas ejus satis inclinata ad procurandum conveniencioribus mediis concordiam inter vos et nobiles de ducatu Lucemburgensi, et ad tractandum consequenter domestice et familiariter vobiscum et cum nepte sua, vestra consorte, sorore mea, de literis, unde jam pridem inter ipsum et vos displicencie dissensionis emersit occasio, in finem ut, discussis inter ipsum et vos per maturam examinacionem hincinde nocivis, quarumcumque difficultas questionum amicabili decisione terminetur. Et cum ad hunc finem dictis nobilibus de Lucemburgo terminum assignaverit in dicta civitate Spirensi coram sua majestate comparendi, consilii ejus est et desiderii, ut et vos unacum prefata ipsius nepte, vestra consorte, si fieri poterit, post harum receptionem non pigeat quantocius illuc iter arripere. Quod si temporis angustia, ac instancior alia quevis occupacio sustinere non possit, consortem saltem vestram prefatam cum quibusdam de vestro consilio deputetis, et facultatem ex parte vestri secum tractandi habentibus destinare curetis: vel, si magis placet et conveniencius vobis visum fuerit, fiat istud in Constancia, stante ibidem futuro per Dei graciam concilio generali. Si vero quodcumque de ipsius serenitate vobis sit dubium, paratus erit de oportuno vobis salvo conductu et sufficienti securitate providere. Itaque, frater carissime, attentis tractandarum rerum circumstanciis, expediens mihi videtur, quin imo et vestram dilectionem rogo quamplurimum, ut supramemorato domino meo regi in hujusmodi suo desiderio complacere disponatis. Intellexi enim a quibusdam de secreto ejus consilio, quod per exhibicionem reverencie et affectionis erga serenitatem animum ejus omnino poteritis evincere, et ad quevis optata cicius inclinare. Si vero in hac materia, aut alia quacumque vobis grata, vobis placere potero, noverit me vestra fraternitas de bono corde paratum: quod novit Omnipotens, qui vos conservare dignetur feliciter atque diu. Scriptum Friburgi, die tercia mensis julii anno M° CCCC° XIIII°. »

Dominus Romanorum et Hungarie rex ad predictam ambassiatam domine ducisse respondet quadam litera, ad quam ducissa respondet. Cap. CXVII.

1414. Subsequenter vero memoratus dominus rex, per suas literas datas apud Bernam, in Uchlant, die veneris post festum Sancti Ulrici, regnorum suorum anno Hungarie XXVIII°, Romanorum vero IIII°, scribit domine ducisse Brabancie, sue filie dilecte, responsionem ad ejus literam sibi per religiosum Goswinum, priorem Carthusiensium prope Diest, transmissam, recepisse, et ea que sibi exposuit benigne audivisse et bene intellexisse. Est enim notum quod honorem ipsius et profectum libenter semper videret, et illos eidem tamquam dilecte sue filie libencius augmentaret quam diminueret, sperans in Deum quod hoc sibi adhuc monstraret: quodque libenter videret, quod ipsa sub meliori cura tractaretur quam fuit hucusque, sicut hactenus percepit; et quod ipsa bene sciret, quod ipsorum omnium progenies sive prosapia venit ex domo Lucemburgensi, et qualiter dominium Lucemburgense (cujus cum suis pertinenciis ipse verus heres esse dinoscitur) ad coronam Bohemie perscriptum est et appropriatum : sic eciam deberet maritus suus et quilibet perpendere sive intelligere, quod sibi non est placitum quod sui familiares et fideles dampnificantur, contempnuntur et destruuntur.

Sed qualitercumque sit, dilectio sua bene sciret, quod ipse suis et imperii principibus, electoribus et aliis principibus et fidelibus scripsit ad unam dietam, super sancte ecclesie et sacri imperii arduis negociis, in civitate Spirensi die dominica proxime futura tenendam, et quod jam iter arripuit illuc proficiscendi: sperans quod, auxilio Dei, eadem die dominica aut lune proxime exinde sequente apud Spiram erit, quodque eciam nobili Huwardo de Elter, suo fideli, terminum assignavit coram sua majestate comparendi ad ipsum de causis Lucemburgensibus informandum; et, si fieri possit quod maritus suus et ipsa Spiram quantocius eciam venire possent, hoc videret libenter; si vero hoc fieri non possit, tunc sibi esset congratulacio singularis quod personam dicte filie sue ibi videre possit; et, si hoc eciam fieri non possit, quod ipsa tunc de suo notabili consilio in Spira ad suam serenitatem destinaret, secum de omnibus causis conferendi, et

intencionem suam audiendi, quod esset sibi de eadem bene gratum et acceptum. Datum apud Bernam in Uchlant, ut supra, prout in dicta litera clarius habetur in theutonico scripta, cujus tenor sequitur et est talis :

« Sigmund, von Gotes gnaden Romischer kunig, ze allen zeiten merer des Reichs, und ze Hungeren, etc., kunig. Hochgeborne furstyn, liebe tochter, wir haben dine brief, die du uns bi den ghestlichin Goswyn, prior der Cartuser ze Diest, gesant hast, empfangen, und was er uns doruf erzelt hat, gutlich verhoret und wol vernomen. Und er had wol verstanden, soe ist ouch das vorher offenbar, daz wir din ere und nutze alseit gern ynsagen, und die ouch dir als unser lieben tochter lieber meren dann mynnern wolten, und wir hoffen zu God, wir wollen dir das ouch bewisen, und daz wir gern sehen das du wol versorgt verest, und vass dann du bissher versorgt bist, als wir donn vormaels oft vernomen haben. Doch so weist du wol daz unser aller stamm von Lutzenburg kommen ist, und wie daz zu der eron von Beheim, der und irer zugehoringe wir eyn rechter erbe sin, verschriben, wol verstaen das uns nit lieb ist, wo man unser dieneren und getruwen beschedigt, smehet und verderbet. Wie aber dem allen ist, so wisse din lieb das wir unsern und des reichs kurfursten, fursten und getruen einen tag, von der heligher kirchen, des reichs und gemeynes nutzes weghe, ze Speyere uf suntag nechstkunftig zu halden verschriben haben, und das wir also uf dem wege sin dahin ze tziehen, und hoffen, mit Gotes hilf, daz wir uf denselben suntag und montag zenechst dornach zu Spier sin wollen; und daz wir ouch den edelen Huwaert heren zu Elteren, unserm lieben getruen, voirschriben haben zu uns daselvs hin gen Spire ze kommen, und uns der sachen von Lutzenburg weghen onderwisen. Und mocht das gesin das din gemahel und du daselvst hin gen Speyre on vertziehen ouch quemet, das sehen wir gern; mocht aber des nit ghesin, so erfrewet uns doch sunderlich daz wir din person daselvs gesehen mochten: wer aber das das ouch nit ghesin mochte, daz ir dann ewer treflich botschaft gen Spyr zu uns schicket, von allen sachen zu reden und unser meyninge ze vernemen : das wer uns von dyr wol zy dancke. Geben ze Bern in Uchtlant, des fritags nach Sant Ulrichs tach, unser reiche des Hungerischen, etc., in dem XXVIIIen und des Romischen in dem vierden jaren. »

Et erat dicta litera sic superscripta : Ad mandatum domini regis, Johan-

NES KIRCHEN. — Der hochgebornen Elzbethen hertzoginne ze Brabant. unser lieber tochter und furstinne.

1414 Ad quam literam memorata ducissa dicto domino regi respondit literatorie. inter cetera. replicato prius in substancia tenore litere precedentis. videlicet quod propter instantes guerras in Francia, proch dolor! vigentes inter Francorum regem, ex una parte, et dominum ducem Burgundie, fratrem suum. ex altera, carissimus dominus suus et maritus, ad tractandum pacem et concordiam inter regem et ducem predictos tempore recepcionis suarum literarum adhuc erat in Francia, qui tempore date presencium suarum literarum primitus reversus fuit in Brabancia : quem, propter guerras predictas sedandas vel ad minus treugas pacis tractandas, oporteret propter tantum bonum publicum consequendum celeriter in Francia proficisci. Ob quam causam ipse inpresenciarum sue majestatis bono modo nequit adire presenciam, neque ipsamet, propter certam infirmitatem sibi supervenientem: quapropter celsitudinem ejusdem domini regis humiliter supplicavit, quatenus predictum dominum suum et maritum et ipsam habere dignaretur pro excusatis, et similiter de hoc quod sibi ad dictas literas suas non duxit cicius respondendum, quia hoc contigit propter absenciam domini et mariti prelibati. Nichilominus idem dominus suus et maritus et ipsa suos ambaxiatores solempnes ad suam majestatem bene cito destinare proponunt, quare eandem deprecabatur, quatenus ipse eisdem ambaxiatoribus, usque ad numerum centum personarum vel infra. bonum, salvum et securum conductum, eundo, morando et redeundo. per suarum portatorem literarum transmittere dignaretur, prout in predictis suis literis responsivis inter cetera plenius continebatur : que erant date in oppido suo Antwerpiensi. die XXIX^a^ julii anno M° CCCC° XIIII°.

De ambaxiata per ducem Anthonium Brabancie transmissa ad dominum Romanorum et Hungarie regem, in Confluencia existentem. CAP. CXVIII.

1414 Anno supradicto M° CCCC° XIIII° memoratus dux Anthonius, cupiens, ut decebat. supradicti Romanorum et Hungarie regis in cunctis licitis et honestis semper obtemperare mandatis, ad satisfaciendum tractatui per

dominum comitem Sabaudie inter eosdem dominum regem et ducem Anthonium et dominam ducissam ejus consortem, de quo supra fit mencio, concepto et concordato, suos solempnes ambaxiatores duxit ad predicti domini regis serenitatem transmittendos, in oppido Confluencie Treverensis dyocesis tunc existentem, certis potestate et mandato fulcitos per suas patentes literas ipsius impendente sigillo communitas, quarum tenor sequitur et est talis :

« Anthonius, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux sacrique imperii marchio, reverendo patri in Christo, nobis sincere dilecto abbati monasterii Tongerlensis, Engelberto comiti de Nassouw, domino de Lecka et de Breda, Wilhelmo comiti de Sayne, domino de Rode-Sancte-Agathe, nobilibus domino Heinrico de Montibus, domino de Grymbergis, senescallo nostro Brabancie, fratri Goswino priori conventus Carthusiensis de Zeelem prope Diest, magistris Godefrido de Sichenen, decano Beati Petri Bekensis et Johanni Bont, canonico Beate Gudule Bruxellensis ecclesiarum, in utroque jure licenciatis, consiliariis, necnon Emondo de Dynter, secretario nostro, salutem et dilectionem. De vestris discrecionibus, legalitatibus et diligenciis ad plenum confidentes, ex certa nostra sciencia ordinavimus, commissimus et deputavimus ad accedendum ex parte nostra ad presenciam serenissimi principis domini Romanorum et Hungarie regis, metuendissimi domini nostri, nos et dilectam consortem nostram serenitati sue recommandantes; ac erga eandem nos et dictam nostram consortem de hiis, si que fuerint, que sibi de nobis et eadem nostra consorte forsitan sinistre suggesta fuerint, sicut vobis expedire videbitur, excusantes; et super tractatu per carissimum fratrem nostrum comitem Sabaudie, juxta tenorem literarum et scripturarum nobis missarum, cum prenominato domino nostro inter serenitatem suam et nos novissime concepto ipsi domino nostro loquentes; intencionem suam audientes et dictum tractatum perficientes, concludentes et consummantes; literas confirmatorias et alias quascumque, prout in hujusmodi tractatu aut alias pro nobis necessarias aut requisitas, impetrantes et obtinentes; necnon alia omnia et singula in premissis necessaria et oportuna facientes, prout illa personaliter facere possemus si presentes essemus, juxta tenorem instructionis seu informacionis vobis in scriptis tradite ex parte nostra : dando et concedendo vobis de hoc plenam potestatem, auctoritatem et mandatum

speciale, necnon promittentes bona fide, ratum, gratum, firmum et stabile tenere, observare et adimplere totum et quidquid per vos, seu majorem et saniorem partem vestrum, in premissis factum gestumve fuerit aut procuratum, cessante dolo et fraude quibuscumque. Datum in oppido nostro Antwerpiensi, sub sigillo nostro presentibus in premissorum omnium testimonium veritatis appenso, mensis augusti die VIII^a anno Domini M° CCCC° XIIII°. » Et erant dicte litere sic signate : Per dominum ducem personaliter. Johannes de Obstal.

Qui quidem ambaxiatores, mandatum hujusmodi ambaxiate assumentes, se transtulerunt versus Confluenciam ad dominum regem predictum, et venientes Coloniam scripserunt ad eundem dominum regem pro salvo et securo conductu, quem ipsis per suas literas patentes transmisit. Quo habito, ipsi ambaxiatores, de Colonia in vigilia Assumpcionis beate Marie Virginis recedentes, intraverunt Confluenciam in die festivitatis Assumpcionis predicte : qua die fuit ipsis ex parte dicti domini regis dictum, quod in crastinum vellet ipsos audire: qua die, videlicet jovis XVI^a augusti, dictis ambaxiatoribus in hora ipsis assignata coram dicto domino regi comparentibus et audienciam habere expectantibus, fuit ex parte dicti domini regis dicta hora audiencie ipsis prorogata et continuata, videlicet ad diem veneris immediate sequentem, de mane post missam suam.

Quibus die et hora advenientibus, dicti ambaxiatores in dicti conspectu regis existentes, facta prius reverencia debita, sibi suas literas credenciales ex parte predictorum ducis et ducisse Brabancie reverenter presentarunt, quibus, in absencia archiepiscopi Treverensis, de suo mandato per archiepiscopum Maguntinensem receptis et perlectis, dicti ambaxiatores, per organum magistri Johannis Bont collacione notabiliter et magistraliter prius facta, dictorum dominorum ducis et ducisse, de hoc quod personaliter ad ejus presenciam non venerunt, excusacionem fecerunt, offerentes sibi servicium, etc., et alia dicentes juxta traditam ipsis desuper formam. Ad que ipse dominus rex respondit, quod domini et domine ipsorum multum affectabat videre personas, quodque mutua ipsorum convencio ipsis ambobus prodesset, et diutina absencia esset nociva. Deinde vero dicto domino regi a dictis ambaxiatoribus petenti, an plura vellent dicere, fuit responsum quod soli sue majestati de ipsis injunctis suam desiderarent facere relacionem. Ad quod ipse dominus rex, aliis arduis, ut asseruit,

prepeditus negociis, vacare non valens, misit ad ipsos archiepiscopum Maguntinensem, Theodoricum de Moerse electum Coloniensem, Ludovicum comitem palatinum Reni, ducem Bavarie, Reynaldum ducem Gelrie, marchionem Badensem et Philippum comitem de Nassouw et Sarraponte, ad audiendum que proponere vellent : quibus dixerunt quod specialiter habebant in mandatis scire et investigare causam indignacionis sive displicencie dicti domini regis contra dictum dominum ducem Anthonium concepte, quod ipsi dicto domino regi referentes, eisdem ambaxiatoribus pro responso reportarunt, quod post prandium rex ipsis predictam sue displicencie causam referret.

Eadem vero die veneris XVII^a^ augusti de vespere dictus rex fecit ipsis referri per archiepiscopum Maguntinensem et marchionem Badensem quatuor articulos : videlicet primo, quod ipse dux Anthonius suam uxorem, neptem suam, non secundum decenciam debitam tractaret, et ei de dote sua provisionem, prout tenebatur, non fecisset ; secundo, quod ipse dux ducatum Lucemburgensem ad manus suas et heredum suorum hereditarie conquirere vellet, et a corona Bohemie perpetuo alienare, nobiles de dicto ducatu suis requisicionibus acquiescere recusantes ad juramenta et fidelitatem sibi super hoc prestandam violenter constringendo; tercio, quod promissa sua erga dominum regem Bohemie, fratrem suum, super convencionibus et tractatibus cum eo habitis, et signanter de capitaneo per ipsum instituto et instituendo, minime servaret ; quarto, quod, licet juxta earundem convencionum et tractatuum continenciam castra et oppida dicti ducatus suis servitoribus et fidelibus deberent esse aperta, cum hoc ipsis minime potuit fieri. Quibus auditis, quia tarde erat ad respondendum, dominus rex dedit eis dilacionem, videlicet ad crastinum diem sabbati XVIII^um^ augusti, de mane post missam suam.

Die vero sequenti, post missam domini regis, predictis ambaxiatoribus ad respondendum paratis, et audienciam postulantibus, fuit dictum ex parte dicti regis per episcopum Tridentinum et dominum comitem de Luppe, quod expectarent ad vesperam, quia rex alia ardua tunc pre manibus haberet. Qua hora adveniente, dicti ambaxiatores in presencia domini regis super dictis quatuor articulis taliter responderunt, quod ipse dominus rex quasi stans contentus voluit, quod de eisdem quatuor, quia dicti ambaxiatores habebant mandatum limitatum, non habentes plenam

concordandi potestatem, tractaretur in proximo concilio generali Constanciensi, requirens quatenus ad dominum suum reportarent, ut interim non invaderet sibi rebelles in patria Lucemburgi, et quod permitteret ipsos frui redditibus et bonis suis, usque ad determinacionem desuper in concilio Constanciensi faciendam. Item, quod dominus ipsorum non permitteret quod sui subditi invaderent regem Francie, attenta confederacione inter ipsos existente. Item desideravit dictus dominus, quod dominus dux ad tractandum secum veniret infra mensem penes ipsum, in aliquo locorum super Renum : quod si facere non posset, quod quosdam de suo notabili consilio, ad tractandum secum sufficienti mandato fulcitos, destinare curaret in Constancia, stante ibidem futuro per Dei graciam concilio generali. Sic quod dicti ambaxiatores de mutua ipsorum dominorum regis et ducis convencione cum eodem domino rege tractaverunt per totam diem dominicam XIX^am^ mensis augusti predicti.

Lune vero XX^a^, accepta licencia, recesserunt; martis XXI^a^ venerunt in Coloniam; mercurii XXII^a^, in Aquisgranum; jovis XXIII^a^, in Diepenbeke; veneris XXIIII^a^, in Diest, et sabbati XXV^a^, in Antwerpia, ubi fecerunt dicto duci Anthonio relacionem de premissis.

Preterea est sciendum, quod dominus rex aliqua attemptavit contra tractatum inter ipsos habitum : quare dicto domino regi scripserunt per modum subsequentem :

« Serenissimo principi et domino, domino Sigismundo Romanorum et Hungarie regi semper Augusto, domino nostro metuendissimo. Serenissime princeps et domine supermetuende, humili previa recommendacione, noverit vestra regalis majestas, quam cito hic in partibus Brabancie applicuimus, veridice didicimus, majestatem vestram misisse oppidis ducatus Lucemburgensis literas super certis punctis eadem requirentes; sed quia, sicuti sensus nostri comprehendere possunt, requeste prefate sunt aliquatenus diverse et non omnimo consonantes oneri per majestatem vestram predictam nobis tradito, illustri principi domino nostro, metuendissimo domino duci Brabancie, exponentes, presertim quia inter cetera in onere nostro vestra majestas subjunxit, quod infra hinc et concilium Constanciense, in quo requiritis quod dominus noster destinet amicos suos debite fundatos, omnia deberent manere in statu quo nunc sunt : quocirca majestatem vestram humillime supplicamus, quatenus predicta oppida de cetero

super ulteriori responsione vestre majestatis facientes, donec predicte difficultatis, secundum modum conceptum vel alias magis congruum, fiat decisio, requirere non festinet, sperantes sic prefatum onus dominis nostris duci et ducisse Brabancie, quam cito ad eorum presenciam venire poterimus, exponere melius in eodem posse toto procurando. Majestatem vestram conservet Omnipotens, custodiat, etc. Scriptum in oppido Diestensi, ipso die Beati Bartholomei apostoli. Humillimi vestri servi, abbas Tungerlensis, Ingelbertus comes de Nassouw, Wilhelmus comes de Seyne, Heinricus de Bergen, senescallus Brabancie, etc., domini nostri ducis Brabancie consiliarii, ad majestatem vestram nuper destinati. »

Ad quod scriptum dictus dominus rex literatorie respondit, sub forma sequenti :

« Sigismundus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc., rex. Venerabilis, devote et nobiles sincere dilecti, literas vestras, datas in oppido Diestensi ipso die Sancti Bartholomei apostoli proxime preteriti, de manibus presencium latoris benignitate solita recepimus, et intelleximus in effectu continere, vos didicisse veraciter scripta nostra oppidanis ducatus Lucemburgensis super certis punctis fuisse directas, eosdem requirentes, sed quia, sicuti sensus vestri comprehendere possunt, requisiciones hujusmodi sunt aliqualiter diverse, et non omnino consonantes oneri per majestatem nostram vobis tradito ad exponendum illustri domino vestro, presertim cum inter cetera in eodem onere subjunxeramus, quod infra hinc et concilium Constancie proxime celebrandum, ad quod idem dominus vester suos amicos debite fundatos destinet, omnia manere deberent in statu quo nunc sunt; supplicantes quatenus oppidanos prefatos super ulteriori responsione nobis facienda, donec, secundum modum conceptum aut alias magis congruum, facultatis decisio fiat, majestas nostra requirere non sustinet, etc.: prout hec in litera vestra suprascripta, cujus ideo copiam inclusam remittere decrevimus, videntur lacius contineri.

» Super quibus vobis taliter duximus respondendum, a nostra memoria, ne factum tam ponderosum pertransire leviter videamur, nullatenus cecidisse cum vestris prudenciis hanc fecisse conclusionem, quod prefatus dominus vester ad nostre majestatis presenciam, nobis in Reno permanentibus, infra spacium unius mensis venire, nobisque de singulis inter

majestatem nostram et ipsum vertentibus personaliter loqui posset; et, in casu quo sibi forsitan sic venire possibilitas non esset, quod ex tunc suos consiliarios sufficienti mandato fulcitos destinare non obmitteret ad concilium supradictum: nec alia, presertim antedictum ducatum concernencia, vobiscum conclusimus. Sed nec alia a supradictis oppidanis requirimus, quam ea que serenissimi principis domini Wenceslai Bohemie regis, fratris nostri carissimi, litera majestatis, super illustris Elyzabeth, illustris Anthonii de Burgundia conjugis, consanguinee nostre carissime, dotalicio tradita, et que juris equitas compellit, racio suadet, ordo deposcit et humilitas requirere nos inducit. Que si pretermittere conveniat nostro culmini, vos ipsi humaniter ponderetis: protestamur tamen nusquam intencionis nostre fuisse nec esse, prelibate consanguinee nostre in aliquo derogare. Datum Confluencie, XXIIII^a^ die augusti, regnorum nostrorum anno Hungarie, etc., XXVIII°, Romanorum vero IIII°. Ad mandatum domini regis: Johannes Kirchen. — Venerabili A. abbati Tongerlensi, nobilibus J. de Nassouw, Wil. de Seyne, comitibus Heinrico de Bergen, senescallo Brabancie, illustris Anthonii de Burgundia consiliariis, nobis sincere dilectis. »

Qualiter Sigismundus rex fuit Aquisgrani per archiepiscopum Coloniensem in regem Romanorum consecratus et coronatus. Cap. CXIX.

1414 Duci Anthonio venerunt nova, quod supradictus Romanorum et Hungarie rex, convocatis atque congregatis principibus electoribus, spiritualibus et secularibus, et aliorum principum, comitum, baronum et nobilium multitudine copiosa, se disposuit proficiscendi versus urbem Aquensem, pro corona regni Germanorum ibidem, ut moris est, adipiscenda. De qua convocacione diversi diversimode loquebantur: aliqui dixerunt quod rex fecit pro corona sua Aquisgrani recipienda: alii dixerunt, quod intendebat ducatum Lucemburgensem, expulsis officiatis ducis Anthonii, ad manus suas recipere: alii vero dicebant, quod ducatum Branbancie conquirere volebat vi armata, et ducem Anthonium expellere.

De quibus quidem novis diversis dux Anthonius animo turbatus, vix credere potuit, quod memoratus dominus rex, in quo nonnisi erga se omne suspicabatur bonum, contra ipsum et ducatus predictos insurgere et oppu-

gnare vellet aut deberet, attento tractatu inter majestatem regiam et ambaxiatores suos novissime in Confluencia concordato : ab alia parte idem dux cogitabat, si rex predictam convocacionem pro sua coronacione tantum fecisset, hoc utique dictis ambaxiatoribus suis indicasset, sibique veniendi ad ipsum in Aquisgrani diem prefixisset. Et quia dominus rex hoc non fecit, quod ipsi duci multum videbatur extraneum, idcirco, pro sui ipsius suorumque ducatuum terrarumque Brabancie et Lymburgis atque ducatus et terre Lucemburgensis tuicione et defensione, omnes barones, milites et nobiles suarum dicionum, et quoscumque aliunde acquirere potuit, veniendi ad ipsum cum apparatu bellico congregari fecit, quorum aliquos pro custodia et defensione castrorum et oppidorum in terra Lucemburgensi, et aliquos in oppido Trajectensi et ducatu Lymburgensi et terris ultramosanis duxit transmittendum.

Quibus sic peractis, fuit dicto domino regi per nonnullos emulos reportatum quod dux Anthonius, animo et intencione suam impediendi coronacionem in Aquisgrani, hanc suam fecisset congregacionem. Ob quam causam dictus rex ira accensus, fuit contra dictum ducem Anthonium multum commotus : quare aliqualiter suam retardavit expedicionem, donec principes et proceres advenissent, quibus in unum congregatis, intravit urbem Aquensem, cum decem millibus equitum et amplius, cum solempnitatibus solitis et consuetis, die VII^a^ mensis novembris anni M^l^ CCCC^i^ XIIII^i^ suprascripti, regnorum suorum anno Hungarie, etc., XXVIII°, Romanorum vero electionis anno V^o^. Ubi fuit die sequenti per dominum Theodoricum de Moerse archiepiscopum Coloniensem, qui tunc ibi suam primam celebravit missam, ut moris est, inunctus, coronatus et consecratus, presentibus archiepiscopo Treverensi, comite palatino Reni, duce Bavarie, duce Saxonie, principibus electoribus imperii, et multis aliis principibus et proceribus, qui sua feuda ibidem, ut moris est, cum solempnitate debita relevarunt.

Inter quos erant aliqui dicti ducis Anthonii fautores, qui laborabant ad ipsius domini regis animum mitigandum erga ipsum ducem, in tantum quod rex desideravit quod dux ad ipsum ibidem adveniret : quod cum sibi innotuit, illico cum suis nobilibus, quos secum habuit, profectus fuit ad oppidum Leeuwense, ubi incunctanter mandavit ad se venire notabiliores dominos in castris et oppidis ultramosanis existentes, animo secum

ad dictum dominum regem proficiscendi. Est verum quod dictus dominus rex, qui proposuerat ab Aquis recedere, quia percepit quod dux Anthonius esset jam in via ad ipsum veniendi, suum recessum ad certum diem prorogavit, ipsius ducis Anthonii adventum expectando, post quem diem adhuc per unum diem ibi permansit; sed, proch dolor! aliqui de dicti ducis consilio eundem ducem de bono suo proposito averterunt taliter, quod predicti domini regis non adivit presenciam : unde rex, firmiter credens quod dux suam, si potuisset, libenter impedivisset coronacionem, plus quam prius fuit contra ipsum commotus.

Ab Aquisgrano recedens cum suis ad Coloniam est profectus, et deinde versus Constanciam ad concilium generale ibi celebrandum. Heu! heu! quantum malum perpetrarunt, qui ducem Anthonium, ne regem adiret, dissuaserunt : qui si regis presenciam adiisset, utique secum de omnibus generose convenisset. Parcat illis Deus, si licitum sit pro talibus exorare.

Qualiter et ob quam causam dux Anthonius oppidum et terras Diestensem et Sichensem tamquam sibi commissas in manus suas recepit. Cap. CXX.

Deinde vero circa idem tempus accidit, quod Theodoricus Plissis, reddituarius domini Diestensis, ab incolis oppidorum et terrarum de Diest et Zichen in solucione reddituum et censuum pro veteri grosso Turonensi plus exegit et recipere voluit, quam dux Anthonius juxta statuta sive ordinacionem patrie Brabancie pro censibus suis recepit : quare rectores dicti oppidi Diestensis, quia dominus de Diest et suus reddituarius ab inceptis desistere non curavit, dictum ducem Anthonium adierunt, ipsum tamquam ipsorum directum et supremum dominum humiliter deprecantes, quatenus ipsis de remedio oportuno desuper providere dignaretur. Qui ipsorum peticionibus favorabiliter annuens, dicto domino Diestensi literatorie mandavit, quatenus ipse non plus quam sui receptores pro veteri grosso a suis censibus levaret, et a suis reddituariis deinceps recipi vel exigi non permitteret, vel quod ad certum tunc sibi assignatum diem coram ipso et suo consilio compareret in judicio, contra rectores oppidi sui Diestensis, allegaturus causam et racionem cur id facere minime deberet.

Quo pendente termino, accidit quod quidam scabinus Diestensis, nomine Heinricus Poppen, qui causam hujusmodi coram dicto domino Anthonio duce sollicitare solebat, dum vocatus per suos conscabinos ad consilium oppidi accedere proponebat, fuit in itinere per duos dicti domini Diestensis precones sive forestarios, scilicet Johannem de Tungris et Johannem dictum de Coede, apprehensus, et lamentabiliter interfectus. Ob quam causam dux Anthonius dictum oppidum, tamquam sibi commissum sive confiscatum, unacum terra ad dominia Diestense et Sichense spectante in manus suas posuit, ibidem dominum Johannem Zwaef militem in capitaneum, et Egidium de Monte in sculletum, atque alios in reddituarium, scabinos, juratos et officiarios de manu sua instituendo. Est verum quod Diestenses in prosecucione negociorum suorum habuerunt fidum accessum ad Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouwe, qui tunc fuit thesaurarius et consiliarius precipuus ducis Anthonii prescripti, qui dominum Diestensem odio habebat, ex eo quod erga patruum suum Reynaldum de Schoenvorst emerat oppidum, castrum, terram et dominium de Zichenen, que alias jure hereditario ad ipsum devoluta fuissent.

Et quia aliqui barones et nobiles, proximi et amici dicti domini Diestensis, ac eciam bona oppida Lovaniense et Bruxellense, quorum fuit comburgensis, nec non oppidum Antwerpiense, cujus fuit borchgravius, vicibus iteratis dicto domino duci humiliter supplicaverunt, quatenus ipsi domino Diestensi de sibi impositis jus patrie administrare dignaretur, dux Anthonius, ex instinctu aliquorum, preces ipsorum minime curavit exaudire, talem vultum ostendens, quod nullus suorum proximiorum et amicorum ipsum amplius pro domino Diestensi publice vel occulte prosequi audebat. Deinde vero predicta oppida Lovaniense, Bruxellense et Antwerpiense, non immemora gratorum et gratuitorum serviciorum per dictum dominum Diestensem hactenus, tempore preclare memorie domine Johanne quondam ducisse Lucemburgis et Brabancie, etc., eidem et communi patrie Brabancie, tamquam capitaneus exercitus in expedicionibus ante Graviam et Ruremondam ac in terra Juliacensi, bina vice fideliter impensorum, dictum ducem Anthonium pro justicia patrie ministranda sibi fuerunt prosecuti, offerentes quod ipse dominus Diestensis tam de interfectione quondam Heinrici Poppe, quam fieri non fecit, quam de omnibus et singulis que sibi possent imponi, vellet et deberet stare juri, coram villico et scabinis

Lovaniensibus, ubi fuerat burgensis. Dux respondit, si coram se auderet stare juri, ipsi esset sibi justus judex. Oppida replicaverunt, quod ipse juxta ipsorum privilegia coram uno oppidorum, ubi burgensis esset, juri stare deberet : quod dux audiens fuit plus commotus et iratus quam prius.

Subsequenter vero episcopus Argentinus, frater domini Diestensis, venit in Brabanciam ad ducem Anthonium, graciam et benevolenciam ipsius pro dicto fratre suo humiliter implorando, cujus preces eciam fuerunt repulse. Dicebatur enim tunc, quod dictus episcopus non propter fratrem suum tantum venit in Brabanciam, sed propter Romanorum et Hungarie regem, cum secreta informacione ad dictum fratrem suum destinatus, videlicet ut dicto regi castrum suum et oppidum de Zichen aperire vellet, et amicos suos contra ducem Anthonium intromittere in eisdem, ut aditum faciliorem in Brabanciam possit habere, et conquirere jus sibi competens ad eandem. Ad quod dominus Diestensis dicto episcopo fratri suo breviter respondit, quod predecessores sui domini Diestenses semper fuerunt eorum dominis ducibus et ducissis, et eorum patrie Brabancie fideles usque ad mortem : « Ego autem malo amittere terram meam, quam honorem meum ; » propter bona michi promissa nunquam ero domino meo, cui fidelitatem » promisi, neque sue patrie infidelis. » aut verba consimilia in effectu. Que quidem responsio dum ad dicti ducis Anthonii pervenit noticiam, animum ipsius erga dominum Diestensem plus mitigabat quam omnes intercessiones suprascripte.

Quod dicti barones et oppida Lovaniense, Bruxellense, et Antwerpiense sencientes, pro ipso apud eundem ducem intercedere non cessantes, tantum fecerunt, quod dominus Diestensis per certum tractatum dicti ducis graciam esset consecutus, mediante summa VII milium coronarum : et CXXV millia coronarum tunc dicto duci pro precaria concessa fuerunt augmentata de XVIII millibus, sic quod tota summa ascendere deberet ad centum et L millia coronarum ad certos terminos persolvendarum. Quibus sic peractis, dominus Diestensis, ex una, et oppidum suum Diestense, parte ex altera, de omnibus et singulis questionibus et demandis se submiserunt in ordinacionem ducis, qui demum, de consilio aliquorum et de suo consilio et cum consilio trium oppidorum Lovaniensis, Bruxellensis et Antwerpiensis, quos ad hoc duxit advocandum, inter partes predictas suam

ordinacionem promulgavit, quam ambe partes irrefragabiliter observare et adimplere promiserunt.

Qualiter et per quos concilium generale Constanciense fuit ordinatum et concordatum, et de creacione Johannis pape XXIII. Cap. CXXI.

Pro introductione hujusmodi sacri generalis Constanciensis concilii est 1414
sciendum, quod anno M^{o} CCCC^{o} X^{o}, IIII^{a} maii, Bononie decedente Alexandro V^{o}, in concilio Pisano in papam creato, die XVII^{a} ejusdem mensis maii dominus Balthasar de Coxa, nacione Neapolitanus, cardinalis et legatus Bononiensis, fuit Bononie electus in papam, et Johannes XXIII^{us} appellatus. Hic confirmavit dominum Sigismundum regem Hungarie in regem Romanorum electum. A quo quidem papa Johanne Ludovicus rex Sicilie, dux Andegavensis et comes Provincie, relevavit regnum Neapolitanum, quod rex Ladislaus, qui illud detinebat, egre ferens, congregavit exercitum magnum contra Neapolitanos; sed, cum ibi proficere non potuit, venit cum illo exercitu ad urbem Romanam IIII^{a} die mensis junii, in octava Ascensionis Domini, anno Domini M^{o} CCCC^{o} XIII°, et intravit hostiliter, et fugavit papam et omnes suos cardinales et curtisanos extra urbem, sic quod papa ejusdem diei hora IX^{a} vel circiter ante meridiem de urbe equitavit usque Suterinum. Iste Ladislaus rex, ymmo pocius tyrannus pessimus, collocari fecit equos in ecclesia Sancti Petri, et multas ecclesias in urbe destruxit. Hic eciam Johannes papa dominum Petrum de Alliaco episcopum Cameracensem promovit ad cardinalatum, et providit domino Joanni de Liedekerke de ecclesia Cameracensi.

Hic Johannes papa concilium, quod ordinatum fuerat in urbe celebraturum, prorogavit ad triennium, ordinando ad instanciam domini Sigismundi Romanorum et Hungarie regis, quod illud anno M^{o} CCCC^{o} XIIII° proxime venturo in civitate Constanciensi provincie Maguntine circa festum Omnium Sanctorum celebrari deberet.

Hic papa Johannes XXIII^{us}, postquam ex urbe fuerat fugatus, descendit ad Florenciam, et de Florencia in Bononiam, et demum de Bononia descendit ad Constanciam, ad celebrandum ibidem pro unione de reformacione ecclesie concilium generale suprascriptum. Ubi intravit die XXVIII^{a} mensis

octobris anni M' CCCC' XIIII' predicti, tenens inibi primam sessionem mensis novembris die IIII^a ejusdem anni, ubi pro tunc inceptum sive inchoatum fuit sacrosanctum generale concilium prelibatum. Deinde vero in die Natalis Domini, circa mediam noctem, dictus dominus Sigismundus intravit Constanciam, ubi in matutinis, in presencia pape et cardinalium, vestibus regalibus indutus, legit evangelium : *Exiit edictum a Cesare Augusto*, etc.

De ambaxiata per Anthonium ducem Brabancie ad sanctissimum dominum papam et sacrum generale concilium Constanciense, necnon Romanorum et Hungarie regem Constancie destinata. Cap. CXXII.

Quia memoratus dux Anthonius per sanctissimum in Christo patrem, dominum Johannem papam XXIII^um, vocatus fuerat et invitatus ad sacrum generale Canstanciense concilium veniendi, vel suos procuratores pleno mandato fulcitos destinandi, idem dux, tamquam obediencie filius, ex dicti domini pape tenore literarum, ac alias fama elaborante percepta tam gravi et dolenda sancte matris ecclesie oppressione, viscerosa et cordis intima nimium compassione permotus, suorum itaque progenitorum preclaros laudabilesque mores servaturus, pro ejusdem sancte matris Ecclesie restauracione, pace, quiete et consolacione fideliter semper insistere desiderans, reverendos patres, Petrum Sancti Bernardi super Scaldam et Johannem Beate Marie Tungerlensis monasteriorum abbates, et venerabiles et circumspectos viros, magistros Godefridum de Zichen decanum Beati Petri Bekensis, licenciatum in legibus et baccalaureum in decretis, Johannem Bont, in utroque jure licenciatum, canonicum Bruxellensem, consiliarios, Anselmum Fabri de Breda, decanum Antwerpiensem, ecclesiarum Cameracensis dyocesis, in decretis licenciatum, et Emondum de Dynter, secretarios suos fideles et dilectos, ad predictum sacrum generale Constanciense concilium cum pleno mandato duxit destinandos.

1415. Qui quidem ambaxiatores et procuratores Constanciam intrantes, die dominica XVII^a februarii anno predicto paruerunt coram deputatis dicti sacri concilii, ut ambaxiatores et nuncii dicti ducis, quibus more solito mandatum suum dimiserunt. Deinde vero, die veneris prima marcii, adie-

runt dominum papam predictum, coram quo solempni aringa [1] facta per organum magistri Johannis Bont, quam papa multum gratanter audivit, ipsis ore proprio desuper graciose respondit, invitando eosdem quatenus in crastinum ad missam suam et sessionem generalem venirent.

Die autem sabbati II[a] mensis marcii predicti, papa et rege Romanorum ac omnibus aliis de concilio ad sessionem generalem congregatis, in qua dictis ducis Anthonii nunciis fuit locus debitus assignatus, finita missa per dictum dominum papam celebrata, et cantatis letaniis et aliis oracionibus, idem dominus papa indutus pontificalibus, in cathedra sua sedens, alta et intelligibili voce promisit, juravit et vovit Deo et ecclesie ac sacro concilio, per viam simplicis cessionis papatus dare pacem ecclesie, et eam facere adimplere, si sui adversarii ad hoc essent inclinati, scilicet Petrus de Luna, Benedictus XIII[us], Angelus Corrario, Gregorius XI[us], in eorum obedienciis mancipati aut quocumque aliis, etc. Unde dominus rex, ad latus dicti domini pape in sede majestatis sue sedens, dalmatica et pluviali desuper indutus, et corona aurea ex lapide precioso adornata in capite ejus superposita, Johanne burchgravio Neuremburgensi orbem in figura globi aurei, et duce Saxonie gladium nudum, et Frederico burchgravio Nurenburgensi sceptrum ante majestatem suam ferentibus sive tenentibus, ex dicta sede sua se erigens, corona sua deposita, dicto domino pape de premissis debite regraciando, primo pedes, deinde manus et ex tunc maxillam ejus osculatus est. Similiter omnes cardinales eciam fecerunt. Deinde quidam patriarcha, tocius concilii nomine, primo pape regraciabatur, deinde domino regi, in forma debita ipsos exhortando, quatenus in eorum bono proposito permanerent, et illud execucioni mandarent, offerendo ex parte dicti concilii dictis dominis pape et regi totis viribus assistere velle et debere.

Item, lune IIII[a] marcii, juravit rex accedere Niciam per totum mensem junii ad Petrum de Luna, etc., et regem Aragonum. Die vero martis V[a] marcii fuit ex parte domini dicti pape inhibitum, sub pena excommunicacionis, ne aliquis recederet de Constancia, nisi prius licencia debite petita et obtenta. Die autem mercurii VI[a] mensis marcii predicti memorati ambaxiatores nacionem Germanie intraverunt, ubi ipsis, prestito prius per eosdem

[1] Seu *arenga*, oratio seu publica concio.

juramento debito, fuit eciam per clericum ceremoniarum locus debitus assignatus. Die veneris VIII^{a} marcii rex renovavit juramentum ad eundum Niciam infra totum mensem junii. Die dominica X^{a} marcii, qua cantabatur : *Letare Jerusalem,* rex fuit in missa pape, qua finita dedit regi rosam.

Item, die mercurii XX^{a} mensis marcii predicti, hora serotina, papa secrete recessit de Constancia, propter quod concilium fuit maxime turbatum, et eciam propter guerras quas rex movit duci Frederico de Austria, qui dictum papam in Schaeffhusen receptavit et sustentavit. Et quia istud non concernit propositum meum, ideo de illa materia amplius scribere non curavi.

Memoratus itaque dux Anthonius, insequendo tractatum inter dictum regem et ambaxiatores suos novissime apud Confluenciam habitum atque factum, constituit nobilem dominum Fredericum de Sarwerden et strenuum Johannem de Rynshem, ac dominos abbates et alios supranominatos suos ambaxiatores et nuncios speciales, dans ipsis conjunctim, seu majori parti eorum, potestatem plenariam et mandatum speciale, cum supradicto domino rege tractandi et concordandi, prout in literis suis desuper confectis plenius continetur, quarum tenor sequitur et est talis :

« Anthonius, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux sacrique imperii marchio. Notum facimus universis quod nos, debite consideracionis respectu cognoscentes virtutum merita, quibus nobilis Fredericus comes de Sarwerden, venerabilesque in Christo patres et domini, Petrus Sancti Bernardi supra Scaldam et Johannes Beate Marie Tongerlensis monasteriorum abbates, ac strenuus Johannes Rynshem, armiger, necnon circumspecti viri, magistri Godefridus de Zichen, decanus Beati Petri Bekensis, licenciatus in legibus ac baccalaureus in decretis, Johannes Bont, Beate Gudule Bruxellensis ecclesie canonicus, in utroque jure licenciatus et in artibus magister, consiliarii, et Anselmus Fabri, decanus Antwerpiensis, licenciatus in decretis, literarum apostolicarum abbreviator, necnon Emondus de Dynter, secretarii nostri, fideles et dilecti viri utique famosi, pluribusque experienciis comprobati decorantur, ipsos, de quorum fidelitate, providencia et circumspectione fiduciam gerimus indubiam, ex certa nostra sciencia constituimus, ordinamus et deputamus ambaxiatores seu nuncios nostros speciales, ad accedendum nostri ex parte ad presenciam serenissimi principis et domini Sigismundi, Dei

gracia Romanorum semper Augusti ac Hungarie regis, metuendissimi domini nostri, nos et precarissimam consortem nostram serenitati sue recommandandum; obsequium nostrum, utinam sibi acceptum, offerendum; graciam et benivolenciam suam implorandum: necnon coram eodem domino rege nostro, seu ejus delegatis seu delegato, egregiisque viris serenissimi principis et domini Wenceslai, Dei gracia Romanorum et Bohemie regis, domini et patris nostri graciosissimi, ambaxiatoribus seu nunciis, si qui sunt, ad hoc potestatem habentibus, certis punctis sive articulis novissime per memoratum dominum regem nostrum ambaxiatoribus nostris et nunciis Confluencie propositis, nos predictamque consortem nostram ac ducatum Lucemburgensem et comitatum Ctzini tangentibus, respondendum, animumque prelibati domini regis et aliorum informandum; dominum Huwardum de Altari et suos complices reprobandum; veritatem elucidandum; nos quoque de hiis, si que sinistre erga nos fortassis suggesta fuerint, excusandum; causas et raciones proponendum et allegandum, et cum eodem domino nostro rege graciose tractandum et amicabiliter concordandum et concludendum; literas quascumque graciam seu justiciam continentes impetrandum et obtinendum; omniaque alia et singula in premissis necessaria et oportuna faciendum, procurandum, pertractandum, prosequendum, peragendum et concludendum, melioribus modo et forma quibus ipsi poterunt, et prout illa facere possemus, si premissis personaliter interessemus. Super quibus omnibus et singulis prelibatis ambaxiatoribus nostris, conjunctim seu majori parti eorumdem, dedimus atque damus potestatem plenariam et mandatum speciale, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione communitarum. Datum in oppido nostro Bruxellensi, X[a] januarii anno M° CCCC° XIIII° secundum stilum curie Cameracensis. »

Et fuit dicta litera signata : Per dominum ducem, presentibus domino senescallo et domino thesaurario Brabancie. W. Bont.

Quia autem comes de Sarwerden et Johannes de Rynshem non venerunt ad Constanciam, sicuti promiserunt dum pecuniam Colonie pro stipendiis suis receperunt, quorum adventum alii ambaxiatores et nuncii supranominati de die in diem expectarunt; et quia iidem alii ambaxiatores, videntes dictum dominum regem impeditum tot et tantis negociis, dictum sacrum generale concilium et fugam pape de eodem concernentibus, idcirco

de consilio ambaxiatorum dominorum ducis Burgundie, fratris, et comitis Sabaudie, affinis ducis Anthonii prelibati, qui de materia ejusdem ducis, ob quam ibi venerant, diversis vicibus fuerunt locuti cum rege antedicto, et ipsum erga dictum ducem indispositum invenerunt, sepedictum dominum regem ad onus ipsis injunctum sibi exponendum adire distulerunt.

Subsequenter predictorum ducis Burgundie et comitis Sabaudie ambaxiatores, attentis terminis sic stantibus, dicti ducis Anthonii ambaxiatoribus consuluerunt, quod literas, quas ex parte ejusdem ducis Anthonii haberent ad episcopum Tridentinum et dominum Octobonum Bellonis, utriusque juris doctorem, qui penes dictum dominum regem erant visi et crediti, ipsis presentarent. Qui die veneris XXII^a^ mensis marcii predicti ipsis dictas literas presentarunt, qui ipsis benigne respondentes, et servicium ipsorum ad opus dicti ducis Anthonii offerentes, dixerunt, quod, si consiliis ipsorum obtemperare vellent, utique votivum a domino rege responsum obtinerent, dantes ipsis et aperientes vias in effectu quas tenere deberent.

Deinde vero die sabbati XXIII^a^ marcii, videlicet in profesto Palmarum, ambaxiatores dictorum dominorum episcopi Tridentini et Octoboni auxilio et assistencia previis, ex parte dicti ducis Anthonii literas suas credenciales cum reverencia et honore debitis supradicto domino regi presentaverunt: qui ipsos benigne recolligens dixit quod ipsos libenter videret, et de adventu ipsorum gauderet, et literas ipsorum manu propria et quemlibet ipsorum per manum recepit; excusando se quod tunc ipsos audire non potuit, prepeditus, ut videre potuerunt, in negociis concilii: quare ipsis horam terciam post prandium ad ipsos audiendum assignavit. Quem illo die, et similiter dominica et lune sequentibus pro audiencia sollicitaverunt: sed propter multa impedimenta, ipsum concilium et presertim sessionem concernencia, ipsis audienciam dare nequivit, de quo ipsemet doluit, ut sepius ipsis dixit.

Die autem martis, hora bene tarda, postquam rex venerat ex concilio quatuor nacionum, procurantibus dominis episcopo Tridentino et Octobono predictis, quibus eciam et borchgravio Nurenburgensi presentibus rex dedit eis audienciam. Quos multum graciose audiens, quemlibet per manum recepit, et dixit quod bene intellexerat, que sibi proposuerunt, sed ipsis pro tunc respondere nolens, ipsis diem ad crastinum assignavit, quem tunc sollicitatum iterum se excusavit.

Die vero jovis sancta XXVIII[a] marcii rex, circa horam duodecimam veniens ex concilio, vocavit ad se ambaxiatores Brabancie predictos, astantibus duobus fratribus, scilicet Johanne et Frederico borchgraviis de Nurenberch, injungens ipsis quatenus irent ad certum locum ubi ambaxiatores de Burgundia reperire deberent, quibus dicerent quod egre non caperent quod ipsis tunc non audivit, quoniam hora prandii instaret, sed quod hora tercia post prandium venirent ad Augustinenses, ubi illos expediret. et quod ipsi cum eisdem ibi eciam venirent. Eadem die post prandium ambaxiatoribus Brabancie unacum illis de Burgundia apud Augustinenses existentibus, et similiter ambaxiatoribus regum Francie et Anglie. rex fecit comitem Werwyck et alios de Anglia ac illos de Burgundia intrare unam stufam, et ipsemet ivit ad aliam stufam cum ambaxiatoribus regis Francie, cum quibus stetit clausus, unacum multis de suo consilio, plus quam per tres horas : ex qua exiens intravit aliam stufam ad illos de Anglia et Burgundia, ambaxiatoribus Francie recedentibus pessime contentis, stetitque rex cum predictis de Anglia per horam et eo circa; et tandem exiverunt, domino Sancti Georgii et aliis ambaxiatoribus Burgundie illis de Brabancia dicentibus, quod illo sero nichil facerent, sed negocia ipsorum indubitanter bene irent; consuluerunt tamen quod se regi presentarent, sicuti fecerunt. Qui ridendo et leta facie ipsos per manus arripiens, dixit ipsis : « Habeatis pacienciam. » Intellexerunt tamen ab ambaxiatoribus ducis Burgundie, qualiter rex proprio motu ipsis dixerit, quod certus esset quod dominus Burgundie non deberet contentari, nisi frater suus Brabancie, filius suus eciam secum accordaret, quodque ab hoc oporteret reperire modum et formam ipsos concordandi.

Consimiliter sollicitaverunt regem in vigilia Pasche, et lune post Pascham, prima aprilis, qui semper se excusavit. Tandem die martis II[a] aprilis dicti ambaxiatores, ex parte dicti regis per suum heraldum demandati. ipsum adierunt in hospicio cancellarii sui existentem; qui statim, ipsos per manus benigne recipiens, petivit pro mandato ipsorum, quo viso et perlecto, presente Johanne borchgravio Nurenbergensi et domini ducis Burgundie ambaxiatoribus, dixit illud fore insufficiens propter clausulam ratishabicionis omissam : quo dicto aperuit materiam Confluencie per ipsum apertam, dicens quod, licet promissa in literis tractatus matrimonii inter ducem Anthonium et neptem suam comprehensa regi Bohemie fratri suo

non essent servata neque sibi, que in eisdem literis eciam esset nominata, quodque ad ducatum Brabancie tam racione successionis hereditarie quam devolucionis jus sibi esset acquisitum : nichilominus, quidquid esset, quia questionis materia de hiis et omnibus aliis inter ipsum et ducem Anthonium exorta, que ardua esset et ponderosa, ita bene terminari non posset, neque expediri per literas sive nuncios, sicuti per mutuam ipsorum convencionem : et quia de mense junii tunc proxime venturo, ipse propria in persona, sicuti concilio generali promiserat, intenderet proficisci versus Niciam, ubi dominum Petrum de Luna, in sua obediencia Benedictum papam XIIIum appellatum, et regem Aragonum speraret invenire, et transeundo Sabaudiam sperabat sine fallo, quod dux Burgundie ibi secum deberet convenire, quare petivit et multum desideravit, quatenus dux Anthonius penes fratrem suum ibidem adveniret, quem cordialiter videre affectabat, sperans quod, ipsis mutuo congregatis, faciliter omnia concordarentur : quodque dux secum adduceret suos consiliarios de meritis cause hujusmodi informatos, ac jura, literas et munimenta quibus se juvare vellet in eadem.

Qua responsione audita, dicti ambaxiatores serenitati sue humiliter supplicarunt, quatenus eidem placeret, premissa domino eorum duci literatorie significare : quod liberaliter annuit, injungendo cancellario suo quod ipsis fieri faceret literas in bona forma desuper oportunas, unacum litera salvi conductus, eosdem ambaxiatores requirendo, quatenus unum aut duos ex ipsis pro concilio dimitterent. Quibus sic dictis supervenerunt a casu dominus Huwardus de Altari et dominus Heinricus de Rolley, querimonias ipsorum innovantes, et mendosa de duce Anthonio more solito propalando. Iidem ambaxiatores, audiencia ad respondendum per dictum regem ipsis benigne concessa, dixerunt non fore oportunum plura dicere, attento quod, ad ejusdem domini Huwardi et suorum instanciam importunam, majestas sua regia ordinaverat, quod guerre inter dictum dominum Huwardum et suos, ex una parte, et ducem Anthonium, ex altera, cessarent usque ad ipsorum domini regis et ducis convencionem mutuam, vel usque ad presens concilium Constanciense prelibatum. Quod ex parte ducis fuit benigne observatum : sed dominus Huwardus et sui satellites et complices interim in patria Lucemburgensi fecerunt incendia et rapinas, etc. Et antequam suam relacionem complere poterant, dominus

Huwardus cepit replicare : quem rex audire contempnens subito tam uni quam alteri partibus silencium imposuit. Et sic licencia recepta rex iterato per suum cancellarium fecit dictis ambaxiatoribus dici, quod aliqui ipsorum pro concilio generali manerent.

Item, die mercurii in festis passchalibus, que fuit III^a aprilis, dicti ambaxiatores institerunt apud deputatos concilii predicti pro licencia ipsorum a Constancio et concilio recedendi, quam cum maxima difficultate obtinere potuerunt, sub verborum tenore sequenti :

« Nos Johannes, Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopus Rigensis, et 1415
Nycholaus, eadem gracia episcopus Merseburgensis, a nacione germanica ad examinandum causas dominorum dicte nacionis quorumcumque recedere volencium racionabiles approbandum, ipsasque allegantes licenciandum specialiter deputati, universis et singulis, ad quos presentes nostre litere pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod constituti coram nobis reverendi patres, Petrus Sancti Bernardi super Scaldam et Johannes Beate Marie Tungerlensis monasteriorum abbates, ac venerabiles et circumspecti viri, domini Johannes Bont canonicus Bruxellensis, in utroque jure licenciatus, consiliarii, Anselmus Fabri de Breda, decanus Antwerpiensis ecclesiarum Cameracensis diocesis, in jure canonico licenciatus, et Emondus de Dynter, secretarii domini ducis Brabancie, ac procuratores per dictum dominum ducem cum pleno mandato ad presens generale Constanciense concilium destinati, licenciam ab eodem concilio recedendi a nobis instanter petiverunt; nos vero Johannes archiepiscopus et Nycholaus episcopus, deputati predicti, examinatis diligenter causis recessus dictorum dominorum recedere volencium, ipsisque per nos approbatis; eciam ex eo quod unum de procuratoribus suis similem potestatem quam ipsis a dicto domino duce habentem relinquunt; quapropter, attendentes peticionem ipsorum hujusmodi fore justam et consonam racioni, nomine et auctoritate dicte nacionis, qua fungimur in hac parte, dictis dominis Petro et Johanni abbatibus, ac Johanni, Anselmo et Emundo secretariis, etc., licenciam plenam et liberam potestatem recedendi concessimus, ac tenore presencium concedimus facultatem. In cujus rei testimonium presentes literas fieri nostrique sigilli fecimus impressione muniri. Datum Constancie, provincie Maguntinensis, sub anno a Nativitate Domini M^o CCCC^o XV°, indictione VIII^a, die vero mercurii tercia aprilis. »

Deinde, die jovis IIII[a] dicti mensis, ambaxiatores antedicti, quia perceperunt literas domini regis ipsis pro responsione traditas non fore in debita forma confectas, quare eundem dominum regem accedentes, et sibi hoc significantes, qui statim misit pro cancellario et secretario, quibus ipsemet precepit oretenus, quod literas reficerent in forma ipsis accordata : eadem die post prandium Haso de Bohemia, et dominus Herboet de Edelborch dixerunt ipsis, ex parte dicti domini regis requirentes, quod dominus dux, pendente tempore mutue convencionis ipsorum, daret pacem domino Huwardo et suis, quodque ipsi redditibus suis gaudere possent, et quod captivi hincinde usque ad predictum tempus relaxarentur.

Die vero veneris V[a] mensis aprilis prelibati ambaxiatores ducis Anthonii sepefati, receptis prius per ipsos literis responsionum et salvi conductus, a dicto domino rege licenciam recedendi obtinuerunt, qui ipsis benigne dixit, quod dominus de Winsberch ipsis sui ex parte traderet unum suum familiarem, qui ipsos conduceret, quia conductor cum literis, propter motum exercituum suorum contra Fredericum ducem Autrie, esset ipsis bonus et necessarius.

Die autem sabbati VI[a] dicti mensis borchgravius Nurembergensis et dominus de Winsberch, a quibus licenciam receperunt, consuluerunt ipsis pro securitate itineris, quod irent per Sweinam, et secum assumerent conductorem, famulum domini de Winsberch, sicut rex ordinaverat : quod ita fecerunt. Et eadem die sabbati a Constancia recesserunt, dimittentes ibidem pro concilio decanum Bekensem et decanum Antwerpiensem supradictos.

Tenor vero dictarum literarum domini Romanorum et Hungarie responsionum et salvi conductus literarum, de quibus supra fit mencio, sequitur, et sunt tales, et primo litere responsionum :

« Sigismund, von Gotes gnaden Romischer kuning, tzu allen tzeiten merher des Reichs und tzu Ungeren, etc., kunig. Hochgeborner furst, lieber sun, din bothschoft, die die eerwerdige Petrus von San Bernhart Cister, Johan von Tongerlen, Premonstrat orden ebte, und die ersamen Godefrit von Tzichem, dechan tzu Beken und licenciaet in keyserlichen rechten, bacculaer *in decretis*, Johannes Bont, thumhere zu Brussel, in beiden rechten licenciaet, rete, Anselme dechan tzu Antwerp, in geistlichen rechten licenciaet, und Emond von Dynter, dyne secretarii, an uns so wislich, redelich, fursichtiglich, und mit aller ersamkeit, von dynen wegen

geworben und gebracht hant, haben wir. nach dem und unser angeborner gute tzugeburt, mit aller sanftmutigkeite ufgenomen, empfangen. genedichlich verhort, eygentlich und wol vernomen. Und wannu wirt zu diessen mael mit grossen unsen und des Reichs, und sunderlich der heyliger Kirchen gescheften, wie wir darmit einen einiger vorweser in onseren ziten fursehen mochten, so grosslich und sware beladen syn, das uns geducht, uf soliche dein botschaft, die durch ire grosse und breyte willen mit schrifte nicht so volliglich zu begriffen sin, eigentlicher und bass muntlich zu saghen weren, danu das wir die diner lieb verscriben heiten, dorumb se senden wir tzu dir wederumb die eerweerdigen Petrus von Sant Bernhart. Cister, Johan von Tongerlen, Premonstrat orden ebten, und die ersamen Joannes Bont, thumhere tzu Bruxel, in beiden rechten licenciaet, rete, und Emondus von Dynther, dyne secretarii. unser menung und antwoord uf din betschaft, die dyne vorgenannte rete und secretarii an uns vorbeschriffen ist gewort, und haben an dich widerumb zu brengen eigentlich und wol underwist: und was si dir alsot zu dise mael von unseren wegen sagen werden, dat mach du in wol geloben. Ouch ist er onser gantzer wille, dass wir mit der helfte Gotes in den menden junii in Savoy sen wollen, und uns geviele dan wol das du ouch diselvshin mitsampt dynen bruter hertzoge Johan von Burgundi tzu ons quemet, do wir dann alle ding eigentlicher und bass mit einander enden und beslissen mochten. Geben zu Constanz, des neehsten frytags nach dem heiligen ostertag, unser Reiche, des ungrischen, etc., in den XXIX[en], unde des Romischen in den funfften jaren. »

Et fuit dicta litera sic signata : Ad mandatum domini regis. Michael Joan. Wratz. Den hochgeboren Anthonii von Burgundi hertzog, etc., unserm lieben sun und fursten.

Tenor litere salvi conductus :

« Sigismundus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie etc., rex, universis et singulis principibus, ecclesiasticis et secularibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, officialibus, theolonariis passaum, custodibus civitatum, oppidorum, villarum et locorum communitatibus ac rectoribus eorundem, ceterisque nostris et imperii sacri subditis et fidelibus dilectis, quibus presentes ostendentur, graciam regiam et omne bonum. Venerabiles, illustres et

magnifici, fideles, dilecti, venerabiles, Petrum Sancti Bernardi supra Scaldam et Johannem Beate Marie Tungerlensis monasteriorum abbates, necnon egregios et nobiles Johannem Bont, canonicum Bruxellensem, in utroque jure licenciatum, Anselmum Fabri de Breda, decanum Antwerpiensem, licenciatum in decretis, et Emondum de Dynter, consiliarios ac ambaxiatores illustris ducis Brabancie, de generali concilio Constantinensi ad propria remeantes, vobis omnibus et vestrum cuilibet pleno recommendamus affectu, desiderantes attente, vosque et vestrum quemlibet seriosius adhortando, quatenus, dum ad vos pervenerint, nostre contemplacionis intuitu recommissos suscipere, favorabiliter tractare, et in hiis que securitatem et celeritatem ipsorum concernunt, itineris promotivam et gratuitam ipsis velitis ostendere voluntatem; necnon ipsos cum comitiva, familia, equis, valisiis, arnesiis, armis ac aliis rebus ipsorum universis, per quoscumque passus, portus, pontes, terras, dominia, districtus, jurisdictiones, civitates, castra, castella, oppida, villas et quelibet alia loca vestra, tam per aquas quam per terram, absque aliquali solucione dacii[1], pedagii, theolonii, tributi, custuvie[2], gabelle, vel alterius cujuscumque solucionis genere, quoquo nomine appellentur, omnique impedimento remoto, transire, stare, morari et recedere libere permittatis; ipsisque, dum per ipsos super premissis requisiti fueritis, de securo et salvo velitis et debeatis providere conductu, ad honorem et specialem reverenciam nostre regie majestatis, et sicut nobis singulariter velitis complacere. Datum Constancie, anno Domini M° CCCC° XV°, quarto die aprilis, regnorum nostrorum anno Hungarie, etc., XXIX°, Romanorum electionis V°, coronacionis vero primo. »

Et fuit dicta litera sic signata : Ad mandatum domini regis. Johannes prepositus de Strigenio vicecancellarius.

De ambaxiata ex parte ducis Anthonii facta Narbone ad dominum Romanorum et Hungarie regem. Cap. CXXIII.

Postquam ambaxiatores ducis Anthonii, quos destinaverat ad sacrum generale concilium Constanciense et dominum Romanorum et Hungarie

[1] *Dacio* seu *dacitum*, tributum vel pensitatio.

[2] *Custivia*, idem ac *custus* vel *costagium*, expensae vel impensae, vernacule *kosten*.

regem inibi constitutum, de Constancia fuerunt reversi, et suam relacionem de hiis que acta fuerant cum eodem domino rege fecerunt, dux Anthonius, proponens cum notabili baronum, militum et nobilium comitiva, usque ad numerum trecentarum personarum totidemque equorum, se transferre versus fratrem suum dominum Johannem Burgundie ducem, tunc in Burgundia existentem, et secum predictum dominum regem adire, per Sabaudiam versus Niciam iter facientes, sicut idem rex hoc dicto duci Anthonio per ambaxiatores suos antedictos et eciam per literas suas ex Constancia significaverat; sed quia eidem duci Anthonio, dum die XII^a mensis junii, anno Domini M^o CCCC^o XV°, paratus fuerat recedendi, supervenerunt certa nova, quod rex Anglie cum hominum armatorum et sagittariorum multitudine permaxima jam mare transfretaverat, et in Normanniam applicuerat, sibi necesse fuit quod specialiter intenderet et operam daret circa custodiam et municionem castrorum, oppidorum et fortaliciorum circa littus maris constitutorum, ad filios suos impuberes, Johannem scilicet et Philippum, per obitum quondam avi ipsorum, domini Walrami comitis Sancti Pauli, devolutorum, que quodammodo contigua sunt castris et oppidis que Anglici circa mare habent situata, quia, si hujusmodi castra, fortalicia et oppida caperentur, quod absit, hoc in eorumdem suorum filiorum maximum dampnum redundaret, attento quod predicta castra, oppida et terre ad ipsa spectantes in se habent inter quingentos et sexingentos milites et militares et plus quam mille sagittarios sive archarios, ad servicium domini sui semper paratos : et sic istis legitimis excusacionum causis obstantibus, versus predictum dominum regem non est profectus.

Quapropter idem Anthonius, cognoscens virtutum merita quibus nobilis et egregii viri, domini Johannes de Loen dominus de Heynsberch, consanguineus suus, Heinricus de Imbermonte, canonicus Aquensis, Johannes de Rynshem, consiliarii, et magister Emondus de Dynter, secretarius sui, viri utique famosi pluribusque experienciis comprobati, decorantur, ipsos ordinavit et deputavit ambaxiatores, oratores et nuncios suos speciales, ad accedendum sui ex parte ad sepefati domini regis presenciam, et omnia et singula facienda que in ipsorum commissionum sive mandati desuper confecti literis continentur et declarantur, quarum tenor sequitur de verbo ad verbum, et est talis :

« Anthonius, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux 1415.

sacrique imperii marchio, notum facimus universis, quod nos debite consideracionis respectu cognoscentes virtutum merita, quibus nobiles et egregii viri, domini Johannes Lossensis, dominus de Heynsberch et de Leeuwenberch, Heinricus de Imbermonte, canonicus Aquensis, Johannes de Rynshem, consiliarii, et magister Emondus de Dynter, secretarius nostri, fideles et dilecti viri utique famosi, pluribusque experienciis comprobati, decorantur, ipsos, de quorum fidelitate, providencia et circumspectione fiduciam gerimus indubiam, ex certa nostra sciencia constituimus, ordinavimus et deputavimus, ac tenore presencium constituimus, ordinamus, et deputamus ambaxiatores, oratores et nuncios nostros speciales ad accedendum nostri ex parte ad presenciam serenissimi principis et domini, domini Sigismundi, Dei gracia Romanorum regis semper Augusti ac Hungarie, etc., regis, metuendissimi domini nostri ac patris generosi: nos et precarissimam consortem nostram serenitati sue humiliter recommendandum, obsequium nostrum sibi offerendum, graciam et benevolenciam suam implorandum: de hoc quod pro tunc ad ejus presenciam non accessimus, cum ad hoc tamen omnino parati fuerimus, excusandum, certisque punctis sive articulis novissime per memoratum dominum regem ambaxiatoribus et nunciis nostris Confluencie et Constancie propositis respondendum, animumque prelibati domini nostri regis et aliorum informandum, ac quoscumque contrarium asserere volentes reprobandum, veritatem elucidandum: nos quoque de hiis, si que sinistre erga nos fortassis suggesta fuerint, excusandum: causas et raciones proponendum, ac cum eodem domino nostro rege super premissis et aliis generose tractandum et amicabiliter concordandum et concludendum: necnon nostri ex parte et pro nobis homagium et fidelitatis juramentum sibi faciendum et prestandum de omnibus et singulis dominiis, rebus atque terris, de quibus homagium sibi de jure facere teneamur: dilacionem quoque, si necesse fuerit, de hujusmodi homagio et fidelitatis juramento sibi faciendum et prestandum, atque mutuam confederacionem antiquam inter reges et principes Francie et Bohemie, quantum in nobis est, et ex parte nostri, renovari petendum cum prelibato domino nostro rege et obtinendum: literas insuper quascumque, tam confirmatorias quam graciam seu justiciam continentes, impetrandum, omniaque alia et singula in premissis et aliis quibuscumque necessaria et opportuna faciendum, procurandum, pertractandum, pro-

sequendum, peragendum et concludendum, melioribus modo et forma quibus ipsi poterunt, et prout illa facere possemus, si premissis personaliter interessemus.

» Super quibus omnibus et singulis prelibatis ambaxiatoribus nostris, conjunctim seu tribus eorumdem, dedimus atque damus potestatem plenariam et mandatum speciale, juxta tenorem instructionis nostre sigillate, per nos predictis ambaxiatoribus, oratoribus et nunciis nostris tradite, promittentes ratum et gratum habituros quidquid in hiis aut aliquo ipsorum per ipsos aut tres eorumdem actum, dictum, gestum factumve fuerit aut procuratum : harum testimonio literarum sigilli nostri appensione communitarum. Datum in oppido nostro Lovaniensi, mensis junii die XII^a^, anno Domini M^o^ CCCC^o^ XV°. » Et fuit dicta litera sic signata : Per dominum ducem in suo consilio. W. Bont.

Et quia diversa nova supervenerunt de dicti domini regis profectione, aliquibus dicentibus quod rex se de Constancia movere non deberet, quia Petrus de Luna jam esset mortuus, aliis referentibus quod adhuc viveret, sed rex non accederet Niciam, sed ad alium locum, ubi eundem Petrum de Luna et regem Aragonum invenire deberet, aliis dicentibus quod rex, antequam Petrum de Luna et regem Aragonum adiret, propter adventum Anglicorum in Franciam veniret Parisius : quapropter dux Anthonius dictis suis oratoribus injunxit quod iter eorum arriperent per Parisius : et, si de adventu ipsius regis ibidem perciperent, quod inde se transferrent ad civitatem Trecensem : quod si ibi de dicto rege non audirent, quod tunc prelibatum fratrem suum in Burgundiam accederent, ubi utique vera nova de rege memorato percipere deberent.

Supradicti igitur oratores, onus hujusmodi ambaxiate in se suscipientes, cum eorum commissionum et instructionis literis, a duce Anthonio licencia recepta ex Bruxella recedentes die sabbato XV^a^ mensis junii anni predicti, et ulterius peragrantes, applicuerunt Parisius die veneris XXI^a^ ejusdem mensis junii, ubi permanserunt usque ad diem dominicam ultimam dicti mensis. Et quia interim de dicto domino rege percipere non potuerunt, eadem die ultima junii a Parisius recedentes, venerunt in civitatem Trecensem die martis II^a^ julii, ubi perseveraverunt usque ad dominicam XXVIII^am^ ejusdem mensis, et ibi nichil certi de dicto domino rege percipientes, ad habendum nova de eodem miserunt ad ducem Lotharingie, et deinde

ad dominum ducem Burgundie. Et quia per nuncios ad ipsos reversos de dicto domino rege cerciorari non poterant, dicta die dominica de Trecis recedentes, venerunt in Divionem in Burgundia die martis XXX[a] mensis julii supradicti, ubi propter quandam infirmitatem dicto domino de Heynsberch supervenientem, manserunt usque ad diem martis VI[am] mensis augusti, qua die a Divione recedentes venerunt penes dominum Johannem ducem Burgundie, dicti ducis Anthonii fratrem, apud Roeuers existentem, ubi secum manentes usque ad diem veneris IX[am] mensis augusti prelibati, habuerunt certa nova a comite Sabaudie, ad quem de Divione certum eorum nuncium miserant, quod supradictus Romanorum rex jam transiverat per Sabaudiam et Delphinatum versus Narbonam, causa ulterius proficiscendi usque ad Perpinianum, ubi Petrus de Luna et rex Aragonum erant personaliter constituti; quodque idem rex iter suum faceret per Avinionem et Montempessulanum.

Quibus novis auditis, ab eodem domino duce Burgundie licencia obtenta, dicta die IX[a] augusti a Roeuers recedentes, in Divionem rediverunt die sabbati ejusdem mensis augusti die X[a]; unde eadem die recedentes et continue ulterius peragrantes, tandem die mercurii XXVIII[a] mensis augusti prescripti memorati ducis Anthonii oratores Narbonam intraverunt: qui die eadem, circa horam vesperarum, unacum comite de Wirtemberch et Mombliardo iverunt obviam domino regi, qui causa solacii fuerat in castro Cygau, archiepiscopo Narbonensi pertinente et a Narbona per quatuor leucas distante. Qui quidem rex ipsos oratores in campis benigne per manus accepit, cum quo dominus de Heynsberch continue ad latus suum equitans conferebat de diversis usque ad palacium archiepiscopi, ubi rex fuerat collocatus. Quibus oratoribus rex ad ipsos audiendum diem et horam assignavit, videlicet ad diem crastinam post missam suam.

Die vero sequenti, videlicet jovis XXIX[a] dicti mensis augusti, de mane oratores Brabancie antedicti associaverunt regem de suo palacio ad magnam ecclesiam, ubi audivit missas suas. Quibus finitis, et ipso ad palacium suum reverso, habitisque prius consilio et deliberacione de ambaxiatoribus suis mittendis ad sepefatum Petrum de Luna, Benedictum papam XIII[um] in sua obediencia nominatum, et regem Aragonum Perpiniani existentes, rex, assistentibus sibi bastardo Sabaudie, domino Amedeo de Challant militibus, Johanne de Belloforti et Lamberto Oddinen. legum

doctoribus, supradicti comitis Sabaudie ambaxiatoribus ad ipsum destinatis, oratores ducis Anthonii, facta prius reverencia decenti, literisque suis credencialibus presentatis et per dictum dominum regem perceptis atque perlectis, per organum domini Heinrici de Imbermonte sibi dictum ducem Anthonium et dominam ducissam ejus consortem, neptem suam, humiliter recommendantes, obsequiumque eorum offerentes, ac graciam suam implorantes, ipsumque ducem Anthonium, de hoc quod tunc ad ejus presenciam non accesserat, cum tamen ad hoc paratus fuerat, propter adventum Anglicorum excusantes, certisque articulis per eundem dominum regem tam Confluencie quam Constancie propositis respondentes, ac alias dicentes, petentes et facientes juxta predictarum commissionis et instructionis formam ipsis desuper traditam : adjungentes quod, licet dux Anthonius ad mandatum domini regis domino Huwardo de Altari et suis pacem dederit, et Hugonem ac Bartholomeum de Altari, Goswinum et alios captivos usque ad eorundem dominorum regis et ducis mutuam convencionem de eorum captivitatibus relaxaverat, nichilominus tamen aliqui prefati domini Huwardi satellites de post incolis patrie Lucemburgensis plura dampna intulerunt quam ante.

Et demum, dictis prius per dictum de Imbermonte dicendis petitisque petendis, respondit rex : Quia dux Anthonius ad ipsum propria non venit in persona, si cum eisdem oratoribus tractare deberet, et ducem Anthonium dominum ipsorum recipere tamquam filium, socerum, consanguineum et vasallum, oporteret, ipsum primitus scire per quem modum et quare deberet ipsum talem recognoscere et tenere: desiderabat propterea videre potestatem et mandatum ipsorum. Quo viso, dixit illud fore limitatum et per consequens non valere: nichilominus dixit illud post dormicionem suam maturius vellet videre, et voluit quod dominus Octobonus et illi alii duo doctores de Sabaudia essent presentes, quodque tunc celeriter vellet ipsos licenciare, donec consummasset suum tractatum cum Petro de Luna et rege Aragonum super facto unionis ecclesie sancte. Dixit eciam inter cetera quod in mandato ipsorum non continerentur ea que ipse vellet contineri: quod si ita foret, vellet quod comes Sabaudie sciret quid ipse tunc responderet. Dixit insuper ad illos de Sabaudia : « Quare deberem » dare mantellum meum, nisi prius scirem ob quam causam, vel quid pro » illo haberem? » Eadem die post prandium dominus Heinricus de Imber-

monte et magister Emondus consultaverunt illos duos milites et doctores de Sabaudia, quid melius essent facturi. Qui ipsis responderunt, quod ex ore regis scirent, quod ipse dominus rex bene vellet, quod dominus de Heynsberch et ipsi manerent donec predictum suum tractatum super unione Ecclesie perfecisset; consulentes pro meliori quod ita facerent, quia dominus de Heynsberch medio tempore paulatim posset aliquid prestare et cum rege tractare, et crederent verisimiliter quod ipse infra duos vel tres dies ita secretus et bene visus esset penes ipsum dominum regem, sicuti et ipsi essent. Post dormicionem vero domini regis dicti oratores nichil fecerunt, quia ipse rex prepeditus fuit cum ambaxiatoribus regis Aragonum; similiter et die sequenti propter predictam causam nichil fecerunt.

Die vero sabbati mensis augusti ultima, dominus rex, habita prius cum oratoribus Brabancie collacione super causa predicta, fecit ipsis tandem per organum supradicti domini Johannis de Belloforti responderi, videlicet quod bene intellexerat ea que sibi ex parte ducis Anthonii, ipsorum domini, retulerunt; visitavit eciam mandatum ipsorum, quod, quia limitatum, non erat sufficiens; illo non obstante, asseruit, quod tales ardue cause non possunt ita bene tractari per ambaxiatores, oratores, nuncios sive literas sicuti per mutuam convencionem; quare voluit dominus rex, quod dux Anthonius veniret ad ipsum in propria persona, vel in Sabaudia, vel Parisius post recessum suum de Narbona, vel Perpiniano, et ibi videretur, cui jus competeret ad Brabanciam; si duci Anthonio, maneret quod suum est, quia rex non intenderet auferre jus suum; non vellet eciam pati, quod jus suum auferretur. Que quidem verba per dictum dominum Johannem de Belloforti sic prolata, rex sub brevi replicans dixit, se velle tenere illa que inter ipsum et comitem Sabaudie de premissis fuerunt tractata, et de post Constancie erant avisata: videlicet quod dux Anthonius personaliter veniat ad ipsum, cui tempus et locum sibi tunc non potuit significare, ex eo quod nesciret quando expediretur per regem Aragonum, quia, si Petrus de Luna rediret ad obedienciam, tunc oporteret ipsum statim redire Constanciam; si poneret in dilacione, tunc iret Parisius ad pacificandum reges Francie et Anglie, et cercioratus de premissis significaret duci Anthonio per literas suas quam viam deberet tenere, ac locum et tempus veniendi ad ipsum. Et fuit avisatum, quod dicti oratores mitterent unum penes dominum regem, qui hujusmodi expectaret responsum.

Item, de domino Huwardo de Altari et suis dixit rex, quod ad ipsorum instantem peticionem semper scripsit de pace tenenda, nunc vero cercioratus quod nollent pacem, haberent igitur guerram, quid ad ipsum.

Dominica vero prima septembris, de mane, prelibati oratores iterum accesserunt regem, petentes quatenus ipsis vellet dare responsionem suam in scriptis per extensum, quia duo ipsorum intelligerent latinum, et alii duo non intelligerent. Respondit rex quod illud scandalum nollet ipsis facere, dicens verbis theutonicis : « Als wy by einander comen, mugen wir » gutlichen ubercomen in Gotes namen, en is des aber nit, soe en willen » wir ym kein ongelych tun; und des gelikes getruwen wir uns tzu ym, und » es is syn scade und der myn, das wir nit by einander comen. » Dixit ulterius, sicut per dominum Johannem de Belloforti fecit dici, quod ista non possent ita bene tractari per nuncios sive literas sicut per mutuam convencionem, propter inconvenienciam et alia que possent supervenire. Dixit insuper quod maluit per medium domini Sabaudie comitis quam cujuscumque alterius inire tractatum cum domino ipsorum, quia esset ejus socer et affinis, et propter ipsius presenciam mallet pocius cum domino ipsorum convenire in Sabaudia quam alibi, sed propter regem Aragonum nesciret ipsis locum et tempus assignare, quia, si causa bene procederet cum Petro de Luna, velociter redibit Constanciam; si male, ibit Parisius ad pacificandum reges : quo scito, scribet domino ipsorum locum et tempus; vellet tamen bene quod dominus Sabaudie ordinaret congruum locum convencionis ipsorum ad primam decembris, quodque vellet personaliter interesse. Que quidam verba rex protulit theutonice et latine. Et fuit ordinatum quod magister Emondus maneret penes regem, suam responsionem expectando. Eadem vero die dominica prima septembris, post prandium, dominus de Heynsberch, dominus Heinricus de Imbermonte et Johannes de Reynshem, petita et obtenta licencia a domino rege, de Narbona recedentes, ad patriam Brabancie remearunt.

Die vero lune secunda dicti mensis septembris, magister Emondus literas responsionum sollicitando regem adivit, qui ipsum secum ducens ad ecclesiam Sancti Sigismundi, ubi audivit missas suas et fecit poni caput sancti Sigismundi supra magnum altare, cui, missis finitis, dixit quod ipsum expedire non posset, donec ambaxiatores regis Aragonum redierint, et nuncii Petri de Luna advenerint. Quibus dictis, supervenit domi-

nus Wenceslaus Miska, qui conduxerat dominum de Heynsberch, referendo regi certa nova, que scripta fuerunt domino de Heynsberch de Anglicis. Et sic rex, conferendo cum Miska et magistro Emondo de causa Brabantina supradicta, dixit rex ipsi Emondo inter cetera : « Wanneer myn sun und » swager van Brabant by mir comt, wir en bedurffen niet vele dedingen; » war er saget : Hen han ich uch ertzorent oder verschult, ick bidden uch » das er't mich vergebent. »

Die martis tercia septembris, magister Emondus associavit regem de palacio suo ad predictam ecclesiam Sancti Sigismundi, petendo, ut supra, habere responsum, qui sibi dixit quod expectaret. Post prandium vero ejusdem diei rex vocavit magistrum Emondum, dicens : « Du bote von » Brabant; » cui ad se venienti dixit aliqua secreta dicenda domino duci Burgundie, super materia de qua sibi scripsit; dicens ulterius quod nunc esset expeditus, quodque Miska daret sibi literas ducis Burgundie, et cancellarius suus daret sibi literas Brabancie, quodque crederet ea que ipse Miska sua ex parte sibi referret de causis predictis tam Burgundie quam Brabancie. Quare idem magister Emondus ipsum dominum Miska tunc accessit, qui sibi dixit quod nuncium domini ducis Burgundie, qui regi literas apportaverat, penes se teneret, et esset presens quando dictus nuncius presentaret literas regis domino Burgundie, cui tunc diceret ea que sibi rex injunxit dicto domino Burgundie dicenda. Dixit sibi ulterius idem Miska, quod dominus de Heynsberch mandavit domino regi, quod Anglici cepissent Herffloer et essent in Normannia, quodque obsidionem posuerunt ante Rothomagum : quare rex deliberavit quod mitteret ad reges Francie et Anglie, quatenus velint inire et servare treugas sive abstinenciam guerrarum usque ad suum adventum, et quod propter hoc mitteret unum episcopum dominum Nycholaum Rebenitz, et unum alium, qui ad longius post cras recedere deberent, et sic rex infallibiliter veniret Parisius. Item, quod ipse magister Emondus ista non diceret nisi domino Brabancie et domino de Heynsberch, et nullo modo domino Burgundie revelaret; item, quod dominus Brabancie incontinenter se prepararet veniendi ad regem, quando rex sibi significabit, vel ipse Miska ex parte regis, quia indubitanter rex ipsum recipiet tamquam filium, etc.; et casu quo dominus Brabancie hoc velit facere, quod tunc mittat Martinum nuncium suum regi bene notum ad ipsum regem et Miska. Item, quod domina

ducissa eciam sit parata veniendi, casu quo rex velit eam videre, et, si aliqui vellent dominum Brabancie de contrario informare, quod illis non credat. Item, eodem die martis magister Emondus sollicitavit dominum cancellarium pro literis responsivis habendis, quia rex sibi dixerat quod illas sibi tradere deberet. Qui sibi respondit, quod rex adhuc vellet secum loqui, antequam recederet : quare ipsi literas predictas non traderet, donec esset regi locutus.

Die vero mercurii quarta septembris, de mane, Emondus fuit conquestus regi de cancellario, ex eo quod noluit sibi dare literas responsivas : qui respondit sibi : « Expecta : ambaxiatores Petri de Luna debent hodie » intrare : volo quod audias ambaxiatam ipsorum, ut illam domino tuo re- » feras. » Eadem die, de vespere, dicti ambaxiatores intraverunt Narbonam, et, facta reverencia regi, rex assignavit ipsis horam ad crastinum post missam suam. Tunc rex vocans ad se Emondum predictum, dixit sibi : « Veni die crastina, et audies ambaxiatam Petri de Luna. »

Die jovis V^a septembris dicti ambaxiatores proposuerunt coram rege in camera paramenti, ubi Emondus erat presens, et facta proposicione, rex intravit cameram secretam, et fecit Emondum secum intrare : ubi fuit conclusum quod rex iret Perpinianum, quodque hac die premitteret, sicut premisit, magistrum hospicii, dominum Octobonum de Bollonis [1], utriusque juris doctorem, et nonnullos alios versus Perpinianum pro hospiciis captandis. Similiter magister magnus ordinis hospitalis Sancti Johannis Jerusalem et alii magnates eciam premiserunt. Fuit eciam conclusum quod die dominica proxime futura rex recederet de Narbona, eundo usque ad Salz, ubi staret per totam diem lune, et die martis intraret Perpinianum. Et quia salvi conductus, quos Petrus de Luna et rex Aragonum miserunt regi, erant insufficientes et limitati usque ad numerum quadringentorum equitum, corrigebantur ibidem, et fuerunt extensi usque ad numerum mille et quingentorum equitum.

Eadem die jovis, auditis et factis hiis que premissa sunt, rex dedit Emondo licenciam recedendi, astantibus illis de Sabaudia et domino Octobono, dicens sibi : « Dic domino tuo ea que audisti et vidisti, et quod » spero facere unionem in ecclesia sancta Dei, quodque, per Dei graciam,

[1] In aliis MSS. *de Bellonis*.

» negocia bene ibunt. et negociis hic expeditis. volo per medium suum » facere pacem inter reges Francie et Anglie. et inter fratrem suum Bur» gundie et adversarios ejus. » Item. audiente rege, Miska dixit Emondo: « Attentis hiis que dicta sunt, videtur consultum quod dominus Brabancie » remittat incontinenter Martinum nuncium suum vel alium ad regem. » quia. si rex poterit primitus Anglicos apprehendere. ibit ad ipsos prop» ter pacem. etc.. antequam ibit Parisius. et sic poterit domino Brabancie » significare locum et tempus mutue convencionis ipsorum. »

Postquam Emondus. die jovis predicta. recesserat de Narbona. venit penes dominum Johannem ducem Burgundie, in Argley prope Divionem ad tres leucas, XIX^{a} dicti mensis septembris: qui ipsum benigne audivit in hiis que ex parte dicti Romanorum et Hungarie regis sibi retulit: narravit sibi eciam tractatum habitum cum rege de causa fratris sui ducis Anthonii. Qui fecit ipsum ibidem manere per diem veneris usque ad post prandium. quia ipse et frater suus comes Nyvernensis scripserunt aliqua fratri ipsorum duci Anthonio predicto.

Die veneris XX^{a} dicti mensis septembris, de sero, Emondus venit in Divionem. unde die sequenti recessit, et equitavit de die et nocte celeriter. et taliter quod die dominica XXIX^{a} ejusdem mensis applicuit apud Lovanium penes ducem Anthonium: ubi reperit dominum de Heynsberch et dominum Heinricum de Imbermonte et Johannem de Reynshem, qui die sabbati precedente ibi venerunt; eratque ipsis hora assignata ad faciendum relacionem post missam dicti ducis. Qua missa finita, et dictis hiis que erant dicenda de tempore quo fuerunt penes regem, Emondus. habens in manu sua memoriale suum. continuavit relacionem suam de hiis que viderat et audiverat. et rex sibi domino duci dicenda injunxerat, et que post dicti domini de Heynsberch et aliorum predictorum recessum facta fuerant.

Qualiter dominus Anthonius mittit ad regem Romanorum, apud Perpinianum existentem, literas. Cap. CXXIV.

Memoratus dux Anthonius. habito prius consilio super hiis que dominus de Heynsberch et Emondus sibi ex parte dicti domini Romanorum et

Hungarie regis retulerunt, conclusit personaliter eundem regem accedere, et misit propterea Martinum nuncium suum ad ipsum, juxta relacionem per dictum Emondum sibi desuper factam, cum literis suis clausis, quarum tenor sequitur in hec verba :

« Serenissimo principi et domino, domino Sigismundo, Dei gracia 1415
Romanorum regi semper Augusto, et Hungarie, etc., regi, metuendissimo domino et patri generoso.

» Serenissime princeps et metuendissime domine mi, et pater generose, humillima mei recommendacione cum debiti vestre celsitudini servicii mei promptitudine premissa, ex relatu nobilis viri Johannis domini de Heynsberg, consanguinei ac consiliarii mei fidelis et dilecti, aliorumque nunciorum meorum, quos ad vestram regiam majestatem transmiseram, intellexi qualiter vestra serenitas, ipsos benigne recolligens, generose audivit ea que sublimitati vestre, mei ex parte, verbotenus explicarunt; unde majestati vestre non quas debeo sive teneor, sed quantas possum, graciarum humiles refero actiones. Preterea, excellentissime princeps, domine et pater mi peramantissime, pari modo michi retulerunt quod serenitas vestra desiderat, mandando quod ad majestatem vestram regiam personaliter accedere debeam, ad concordandum et amicabiliter concludendum verbotenus cum ipsa vestra excellencia de omnibus que inter nos ad invicem sunt agenda. Ad quod, Dei michi gracia assistente, complendum paratus ero et esse volo, in quocumque loco et quandocumque vestre serenitati placuerit, et ipsa vestra majestas in hoc duxerit intimandum.

» Insuper ab eisdem nunciis meis percepi quod, gracia afflante divina, mediantibus maximis laboribus vestre excellencie ac sumptibus seu expensis, ecclesia sancta Dei uniri speratur in brevi, de quo gavisus fui et sum gaudio magno valde; tamen ex hoc vestra excellens majestas non solum humane laudis preconium jugi evo, sed post hujus temporalis regni finem, Altissimo annuente, regnum merebitur sempiternum. Ceterum sensi narracionibus nunciorum prefatorum, quod celsitudo vestra sperat, Deo previo, satis cito ad partes regni Francie hic vicinas declinare, ad inquirendum, prosequendum et perficiendum pacem inter reges Francie et Anglie, virtute Altissimi adjuvante; unde, pater et domine mi serenissime, si in hoc salubri proposito et actu meritorio celsitudini vestre obsequium aliquid vel adminiculum prestare potero, promptissimus ad id ero.

subeundo labores quoslibet et expensas, quando benignitas vestra regia michi hoc, et locum ubi voluerit me venturum, dignabitur intimare per nuncium meum portitorem, quem ad sublimitatem vestram ideo duxi principaliter destinandum. Nam nedum in hiis sed in quibuslibet regie vestre excellencie beneplacitis atque graciis obedienter et fideliter, prout teneor et obligor, eidem servire toto posse promptus sum et semper ero, favente michi gracia omnium Creatoris, qui majestatem vestram, que michi humillimo filio vestro jugiter sit accepta, precipere dignetur, conservet incolumem et felicem, ad laudem et honorem ecclesie sue sancte, ac protectionem universi fidelis populi christiani. Datum Lovanii, mensis octobris die octava. Humilis et fidelis vestre regie majestatis filius, ANTHONIUS, Dei gracia Lotharingie, Brabancie ac Lymburgis dux sacrique imperii marchio. »

De infirmitate domine ducisse Brabancie. CAP. CXXV.

1415 Anno Domini M° CCCC° XV° mense octobris, dum domina ducissa Brabancie residens in castro de Turnhout infirmari cepit, nonnulli inceperunt dicere quod ipsa esset veneno intoxicata: quare dux Anthonius, ad instanciam magistri Alberti Didmari, medici ordinarii domine ducisse, illico fecit vocari alios medicos, necnon aliquos barones et nobiles et legislatores oppidorum suorum Lovaniensis, Bruxellensis et Antwerpiensis, ut super infirmitate sua debitam facerent inquisicionem sive informacionem.

« Quare coram subscriptis baronibus et nobilibus deputatisque oppidorum predictorum, et me notario infrascripto, propter hoc, die jovis XXVIIIa octobris anni predicti in ecclesia Sancti Petri in Turnhout congregatis, ad instanciam domini de Huldenberge, magistri hospicii, Nicolai Vanden Werve, magistri coquine, Wilhelmi Nouts, marescalli curie, et Gerardi de Mangui, scutiferi, qui ante dominam ducissam cibum scindere consuevit, magistri Albertus Didmarus antedictus, Hermannus de Kuyck, Johannes de Ecle, de Breda, in medicina magistri, medio eorum juramento, tactis sacrosanctis scripturis, prestito, deposuerunt, quod quadam die lune, XIIIIa dicti mensis proxime preterita, dictam dominam ducissam visitaverunt, invenerunt ipsam in maximo periculo constitutam: qui a

dominabus et domicellabus ac scutiferis, qui ei ad mensam servire consueverunt et tunc interfuerunt, intellexerunt quod die dominica ejusdem mensis domina ducissa, cenans et in mensa sedens, senciit dolorem in dextera parte capitis circa aurem : qui quidem dolor descendit ad collum, et consequenter natum fuit subito apostema sub axilla dextra cum febribus acutis. Quibus auditis, fecerunt ipsam fleubotimari, adhibentes alia remedia opportuna; et quantum ex pulsu, urina et sanguine judicare poterant, erat epidimata : que, per Dei graciam, jam, scilicet dicta die jovis XVII^{a} octobris predicta, secundum predictorum judicium medicorum, erat extra periculum. Presentibus spectabili, nobilibus, egregiis et prudentibus viris, Engelberto comite de Nassouw, domino de Lecka et de Breda, domino Thoma de Dyest, Johanne domino de Rotselaer, domino Heinrico de Bergis, domino de Grymbergis et de Melino, domino Heinrico domino de Heverle, Johanne de Ranst domino de Cantickrode, magistro Petro Pistoris et domino Luca de Eycke, magistris camere computorum Bruxellensis: de Lovanio : Egidio de Ryck, magistro communitatis, Rasone de Graven domino de Malenia et Johanne de Borthoven, scabinis, et magistro Rumoldo, clerico oppidi Lovaniensis; de Bruxella : domino Waltero Vanden Heetvelde, milite, Waltero Vander Noot, Reynero Moers et Johanne Rolybuyck, scabinis, Walthero Vander Bulct, clerico oppidi Bruxellensis; de Antwerpia : dominis Arnoldo de Immerseel, Walthero Vander List, militibus, et Johanne Vanden Werve, scabinis, ac magistro Heinrico de Espemde, clerico oppidi Antwerpiensis, tamquam testibus ad premissa vocatis. Et ego Emondus de Dynter, dicti domini ducis secretarius, apostolica et imperiali auctoritate notarius, a quo supradicti magistri hospicii et coquine ac marescallus curie sibi fieri petierunt publicum instrumentum. »

Item est sciendum, quod supradictus Martinus, ducis Anthonii nuncius supradictus, ejusdem ducis Anthonii literas presentavit dicto Romanorum et Hungarie regi adhuc Perpiniani existenti, qui de hiis que predictus dux sibi scripsit erat multum bene contentus, et fecit dictum Martinum ibi manere, ad finem ut possit per eundem Martinum dicto duci Anthonio significare locum et tempus mutue convencionis ipsorum. Quo Martino adhuc ibi propter causam predictam moram trahente, supervenerunt prelibato regi dolorosa nova de lamentabili bello et conflictu habito et conserto inter Francigenas et Anglicos die XXV^{a} mensis octobris supradicti, ubi

dux Anthonius et Philippus comes Nyvernensis, frater suus, et alii majores principes et proceres regni Francie pro patria pugnantes, quod de jure licitum est, interierunt et ceciderunt : quorum anime per misericordiam Dei requiescant in pace!

Quomodo et qualiter dux Anthonius inductus accessit ad bellum inter Francigenas et Anglicos consertum, in quo corruit. CAP. CXXVI.

1415. Preterea est sciendum, quod anno a nativitate Domini M° CCCC° XV° predicto, die lune XXI^a^ octobris, memorato duci Anthonio in castro suo Lovaniensi existenti, de sero inter octavam et nonam horam, presentate fuerunt certe litere scripte Peronne die XIX^a^ ejusdem mensis octobris ex parte ducum Borbonie et Alenconie, comitum de Richemont, d'Eu et de Vendonie, supremi magistri hospicii, Karoli de Lebret, conestabularii, et Boussicandi, marescalli Francie, item et alie litere eciam scripte Peronne die predicta XIX^a^ ex parte senescalli Hannonie et dominorum de Wavrin et de Rons, in quibus hortabantur eundem, quatenus celeriter veniret in propria persona, quoniam in septimana proxime ventura intenderent debellare Anglicos, significantes eciam quod rex Francie et delphinus Viennensis venirent propriis in personis. Quibus quidem literis receptis et visitatis, dictus dux Anthonius illico mandavit secretariis suis, quatenus illa nocte scriberent literas patentes et clausas ad omnes barones, nobiles, vasallos et officiarios sui ducatus Brabancie, quatenus sine dilacione ipsum insequerentur, cum majore qua possent copia hominum armatorum et arbalistariorum, capiendo viam versus Cameracum, ubi de ipso percipere deberent, ad accedendum secum ad alios principes et dominos Francie ad Anglicos inimicos regni debellandum. Misit eciam eadem nocte unum scutiferum ad oppidum Antwerpiense, similem requisicionem facientem.

De mane vero, scilicet die martis XXII^a^ predicti mensis, ivit ad domum consulum oppidi Lovaniensis, requirens, quatenus prestarent sibi auxilium hominum armatorum et arbalistariorum contra Anglicos, capiendo viam per Montes in Hannonia versus Cameracum, ubi de ipso percipere deberent. Eadem die ivit Bruxellam, ubi similem requisicionem fecit, quam sibi Lovanienses, Bruxellenses et Antwerpienses annuerunt, illico gentes

suas ordinando in magno numero cum apparatu bellico : qui die sequenti se posuerunt in via. Qua requisicione sibi concessa, ivit de nocte ad Furam; die mercurii XXIII^a dicti mensis fuit reversus in Bruxella, precipiens Emondo suo secretario ut ipsum sequeretur: et abinde recedens ivit de nocte ad Montes in Hannonia: dehinc de nocte circa undecimam horam recedens, venit de mane in Valenchenis, ubi propter pabulum equorum modicam moram traxit, et abinde recedens, venit die jovis XXIIII^a dicti mensis circa decimam horam noctis in Lens. De mane circa quartam horam, scilicet die veneris XXV^a dicti mensis, dux Anthonius recedens de Lens ivit ad Perves, ubi fecit celebrari missam per fratrem Hectorem de Vitriaco, ordinis Predicatorum, confessorem suum, cui ante introitum misse fuit confessus peccata sua, qui injuncta sibi penitencia salutari ipsum a peccatis suis absolvit. Et facta elevacione corporis Christi, antequam missa fuit finita, supervenit ibi Robinus Daule, referens pro novis, quod ante meridiem Anglici utique debellarentur. Quod dux Anthonius audiens, percepta prius communione corporis Christi, ipse et alii nobiles penes ipsum existentes, signum crucis vestibus suis affigentes, et equos suos ascendentes, ad prelium acceleraverunt : erat enim tunc per duas leucas a loco ubi bellum fuit consertum, in quo, heu proch dolor! cecidit, cujus anima requiescat in pace. Amen.

Emondus autem predictus, juxta mandatum per dominum ducem sibi traditum, fuit ipsum secutus, recedendo de Bruxella die jovis XXIIII^a dicti mensis, et fuit de nocte in Brania Comitis; die veneris XXV^a in Montibus in Hannonia in prandio, et de nocte in Valenchenis: die sabbati in prandio in Duaco, ubi repperit multos nobiles, tam ex Brabancia quam ex Hannonia, ad bellum properantes : ubi ipsis in prandio existentibus supervenerunt lamentabilia nova de ducis Anthonii interitu et bello perdito.

Item est sciendum, quod eodem duce Anthonio in itinere existente, fuerunt sibi litere presentate ex parte comitis Nyvernensis, fratris sui, scripte Luthen die martis, bene tarde, die XXII^a mensis supradicti, qui ipsum exhortabatur, quatenus acceleraret ad bellum. Recepit eciam literas domini de Cuvillers et Robini Daule, qui sibi certa nova de Anglicis eciam scripserunt. Fuerunt sibi eciam alie litere in via presentate ex parte Wilhelmi comitis de Seine domini de Rode Sancte Agathe, domini Reyneri de Berghe militis, magistri Nicolai Destrez, Johannis de Perves et magistri Johannis

Mercatoris, quos predictus dux Anthonius miserat in ambaxiata ad regem Francie, qui sibi eciam scripserunt nova que audiverant de Anglicis; sed illas non perlegit totaliter; quod si fecisset, forte tantum non festinasset. Alias vero literas totaliter perlegit, quam plus festinavit, mandans ut omnes litere predicte dicto Emondo traderentur, quas postea recepit per manus fratris Hectoris confessoris supradicti.

De bello et interitu ducis Anthonii et ejus sepultura. Cap. CXXVII.

Licet materia belli antedicti non concernat gesta sive cronicas Brabancie, nichilominus, propter casum Anthonii ducis Brabancie supradicti, aliqua, et brevius quo potero, scribere curabo.

1415. Accidit autem, quod die veneris XXV^{a} mensis octobris antedicti anni M^{i} CCCC^{i} XV^{i}, Francigenis, ex parte una, et Heinrico rege Anglie, ex altera, cum potestate magna in campis congregatis, predictus rex Anglie, videns multitudinem Francigenarum suam Anglicorum multitudinem numero prevalere, anxius et trepidus mittens ad principes Francorum, fecit ipsis offerri, si vellent ipsum secure et libere permittere Franciam exire et ad Angliam transfretare, redderet in manus ipsorum Herfleur et alia castra et oppida per ipsum contra regem Francorum conquesta, nullum deinceps in eodem regno dampnum illaturus. Quod quia principes Francorum acceptare recusarunt, idem rex, attendens quod non in multitudine hominum, sed virtute divina victoria de celo venit, in Deo confidens, acies suas ad bellandum discrete ordinavit : videlicet sagittarios ad partem unam, et homines armorum ad aliam. Principes vero Francie, ipsorum arbalistariis et sagittariis necnon famulis abjectis et repulsis, pre nimia superbia proposuerunt, dictum Anglorum regem et suos, vix pugillum sive manipulum hominum contra Francos habentes, quoniam, ut pretendebant, decem viros contra unum haberent, per ipsos tantum et alios nobiles debellare, et in prelio vel capere vel occidere : ordinantes, quod dominus Clingetus de Borbant cum mille et ducentis equestribus deberet turbam sagittariorum Anglicorum ab acie hominum armatorum separare. Quod cum dominus Clingetus temptasset et in Anglicos irruisset, et propter resistenciam sagittariorum adimplere nequivisset, processit ad castra Anglicorum, omnia

ipsorum clinodia, valesias, res et bona depredando. Interim sagittarii Anglicorum maximum impedimentum cum jaculis et sagittis Francis intulerunt, et tale quod Anglicis nequiverunt tam cito, ut speraverant, manualiter appropinquare. Tunc venit Anglicis ad profectum, et Francis in dampnum, quod arbalistarios suos et sagittarios cum famulis suis retrocedere fecerunt.

Et dum ambe partes ad bellandum manualiter congregate fuerunt, supervenit dux Anthonius prope bellum, ubi stetit quedam arbor spine, sub qua descendit cum paucis nobilibus secum existentibus, quoniam reliqui et gentes bonorum oppidorum, ex eo quod ipse dux die noctuque ex Brabancia equitaverat, timens quod tarde nimis veniret ab bellum, tam cito non poterant advenire: qui tamen in itinere cum apparatu bellico existentes, ipsum, quantocius poterant, sequebantur. Sub qua quidem arbore ipse dux Anthonius, quia arma sua adhuc non advenerant, non habens arma propria neque tunicam armorum suorum insigniis decoratam, nec vexillum neque primiculum [1], induit arma unius sui cambellani dicti Gobbelet, alias Vosken, et pro tunica armorum accepit signum dictum *blasoen* unius trompette, quod in medio foramine facto induit pro tunica, et pro vexillo accepto alterius trompette signo, et ad lanceam ligato, sic intravit bellum cum paucis nobilibus penes ipsum tunc existentibus, excepto domino Johanne de Grymbergis domino de Assche, cujus et ejus predecessorum, dominorum de Assche, juris fuit ducum Brabancie vexillum deferre, quod ipse de Assche tunc facere distulit, et cum suis turpiter aufugit, ut dicitur, de qua fuga ipse se postea excusare conabatur coram tribus statibus Brabancie apud Furam ad exequias dicti ducis Anthonii congregatis. Dum vero idem dux Anthonius, cujus tale vexillum, ut predictum est, dictus Gobbelet, alias Vosken, ante ipsum ferebat, a fortuna intravit cum suis in locum, per quem dictus Clingetus de Borbant ad separandum sagittarios ab hominibus armorum exiverat; sic quod venit in primo congressu belli, clamando : « Brabant, Brabant. » Sed proch dolor! bellum non diu duravit, quoniam Francigene per eorum superbiam captivi vel mortui succumbentes, Anglici victoriam reportarunt. Tunc rediit dominus Clingetus predictus cum suis, non animo preliandi, sed pocius iterum depredandi.

[1] Forte legendum *primipilum*, illum scilicet qui vexilli custodiae praeerat.

Rex vero Heinricus Anglie, presumens quod alii Francigene fuissent ipsum iterum debellare volentes, fecit clangenti tuba preconizando per suum exercitum precipi et mandari, quod quilibet suum captivum occidere deberet, sic quod plures principes et nobiles, qui vivi captivati fuerunt, lamentabiliter occisi fuerunt. Quod de duce Anthonio est notorium, quoniam post bellum fuit repertus tantummodo in capite et in gutture vulneratus, quod fieri non potuisset, si galeatus fuisset; fuit eciam longe a loco commissi belli, et ubi mortui jacuerunt, repertus. Eciam dixerunt aliqui secum captivati, quod ipsum viderunt post bellum captum et viventem, quem alloqui non audebant, sperantes quod levius redimi debuisset.

Quod quidem bellum accidit anno Domini M° CCCC° XV°, die veneris XXV[a] mensis octobris predicti, in festo Sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum. Ex parte vero Anglicorum interierunt in bello frater Heinrici regis Anglie, dux Joerick, et comes de Arondeel et multi alii magnates et nobiles; et ex parte Francigenarum interierunt predictus Anthonius dux Brabancie et Lymburgis, dux Barensis, dux Alenconie, comes Nyvernensis, frater ducis Anthonii; et fuerunt captivi dux Aurelianensis, dux Borbonie et plures alii magnates et nobiles. Ex parte vero ducis Anthonii, qui secum venerant, domini Heinricus et Philippus de Liedekerke fratres, milites, dominus Engelbertus de Angia, dictus de Kerstergeten, miles, qui die tercia inter mortuos repertus fuit adhuc vivus, letaliter vulneratus, qui fuit ductus in oppido Sancti Pauli, ubi decessit, Johannes de Forteyns de germine Hannoniensis, commorans Bruxelle, dominus Alemanius de Schauchines, miles, magister curie ducis Anthonii, dominus Theodericus Vanden Heetvelde, miles, Gobbelet dictus Vosken, Johannes de Huldenberge, Heinricus de Woude et Johannes de Halle natus de Bruxella, cum multis famulis ipsorum. Et fuerunt ibi capti dominus de Rotselaer, Cornelius de Liedekerke, frater Heinrici et Philippi predictorum, dominus Nycholaus de Sancto Gaugerico miles, Johannes de Glimes, Johannes Cole de Bruxella et plures alii ex Brabancia.

Die vero sequenti Anglici totam suam predam et arma meliora fecerunt navigio duci in Angliam; mortuos autem suos et multa occisorum arma fecerunt portari in una magna grandia, quos et que in eadem combusserunt, exceptis magnorum nobilium cadaveribus, que fecerunt duci in Angliam; cadavera vero Francorum dimiserunt nuda in campis. Et dum

Anglici versus Calesium se retraxerunt, venerunt ad locum conflictus diversi presbiteri et famuli, dominos suos et magistros querentes; venit ibi eciam dictus frater Hector, confessor ducis Anthonii, cum nonnullis famulis camere ejusdem ducis, qui ipsum die dominica XXVII^a dicti mensis, longe a loco dicti conflictus et remote a suis ibidem interfectum, nudum invenerunt, solum in capite et gutture vulneratum, quem deportaverunt ad oppidum Sancti Pauli, ubi ipsum in cista plumbea cum speciebus et aromatibus recondiderunt. In vigilia vero Omnium Sanctorum, scilicet die martis, que fuit ultima dicti mensis octobris, fuit funus ejusdem ducis ductum in Tornaco, ubi episcopus et capitulum omnesque viri ecclesiastici civitatis Tornacensis dicto funeri personaliter obviaverunt, et extra civitatem cum magno merore duxerunt. Die vero mercurii prima novembris, que fuit festivitas Omnium Sanctorum, venit corpus sive funus dicti ducis Anthonii de sero in Hal, et fuit per totam noctem in ecclesia Beate Marie ibidem, ubi vigilie mortuorum et exequie fuerunt decenter peracte. In crastinum, videlicet II^a novembris, fuit transportatum ad Bruxellam, et positum in ecclesia Sancte Gudule, ubi exequie solempniter fuerunt peracte, et de vespere vigilie mortuorum cantate.

Et est sciendum, quod tres status Brabancie, ad hoc congregati, dicto funeri obviam iverunt inter Bruxellam et Hal, et in Bruxellam introduxerunt; quod die sequenti, scilicet III^a dicti mensis novembris, conduxerunt apud Furam, ubi fuit in ecclesia Beati Johannis post missarum solempnia, et exequiis decenter peractis, penes primam uxorem suam inhumatum et ecclesiastice sepulture traditum : cujus anima in pace requiescat. Amen.

Quibus sic peractis, dicti tres status ad Bruxellam redeuntes ordinaverunt, quod Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, et dominus Heinricus de Bergis, dominus de Grymbergis et de Melino, suis sigillis signarent et clauderent omnes cameras in curia ducis apud Frigidum Montem, ac cistas et coffretos in eisdem existentes, nec non cistas et coffretos in domo Wilhelmi Blondelli, qui erat dicti quondam ducis primus sive supremus cambellanus constitutus, qui jocalia ipsius habuit in custodia. Qui quidem dux Anthonius, postquam ducatus Brabancie et Lymburgis laudabiliter rexerat per annos novem vel circa, interiit in predicto bello, inter Francigenas et Anglos apud Azincourt conserto, die veneris XXV^a octobris, anno Domini M^o CCCC^o XV° suprascripto. Cui successit in dictis ducatibus Johannes primogenitus ejus.

De mutua confederacione et amicicia facta per et inter tres status Brabancie et status terrarum ultramosanarum. Cap. CXXVIII.

Anno Domini M° CCCC° XV°, mensis novembris die III[a], memorato quondam duce Anthonio, ut premittitur, in ecclesia Sancti Johannis apud Furam ecclesiastice sepulture tradito, exequiisque ipsius debite peractis, necnon prelatis, nobilibus et deputatis oppidorum, franciscarum, tres status ducatus Brabancie representantibus, qui hujusmodi sepulture interfuerunt, ad Bruxellam reversis, iidem tres status, et cum ipsis nobiles ducatus Lymburgensis aliarumque terrarum intra Mosam et Renum situatarum, et deputati oppidorum ducatus et terrarum predictarum, videlicet Lymborch, Daelhem, Valkenborch, Rode, Wassenberghe, Carpen, Lomeshein, Spremont, Millen, Gangelt et Vucht, die sequenti, scilicet quarta dicti mensis novembris, ad infrascripta peragenda in domo dicti oppidi Bruxellensis congregati, post luctuosas flebilesque lamentaciones de doloroso interitu predicti quondam ducis Anthonii, eorum domini, invicem factas et habitas, attendentes quod idem quondam dux duos juvenes filios, Johannem et Philippum, sub pupillari etate existentes post se reliquit, maturis deliberacione et consilio prehabitis, concluserunt unanimiter, quod seniorem, scilicet Johannem, in eorum principem et dominum reciperent et tenerent, publice consencientes et declarantes quod temporibus et locis congruis, per ipsos super hoc ordinandis, ipsum in eorum dominum inthronizantes sibi homagii ac fidelitatis et obediencie debita prestarent juramenta. Et insuper desiderantes summopere, unanimiter, in vera pace et unione perfecta deinceps penes dictum ducem Johannem inseparabiliter permanere, ad omnem discordiam et dissencionem, que inter ipsos oriri posset, vitandam et precavendam, precipue quoque propter honorem et profectum Johannis eorum domini adhuc sub pupillari etate constituti, ac eciam omnium terrarum suarum et dominiorum conservandum, custodiendum et amplificandum, omnes pariter et singuli tamquam fratres unanimi voluntate conjuraverunt, et confederacionem mutue pacis et amicicie pepigerunt et fecerunt, deinceps cunctis futuris temporibus indivisim per se ipsos et successores suos inviolabiliter observandam. Ceterum promiserunt invicem et juraverunt, quodsi dictus eorum juvenis dominus aut

heredes sui, Brabancie et Lymburgis duces, dicteque terre sue aut ipsi opus habuerint, dicto eorum duci, ac alter alteri ad jus suum conservandum rebus et corporibus fideliter assistere contra unumquemque hominum, quacumque excusacione semota, et se ad hoc semper paratos et benevolos exhibere. Et, si quis eorum tam citra quam ultra Mosam situatorum, vel aliqua alia singularis persona, se contra premissa vel ipsorum aliquid scienter inobedientem reddiderit vel rebellem, illum rebus suis et corpore ad obedienciam compellere deberent, viis et modis ad hoc debitis et requisitis; et hoc in quantum prelati antedicti se in istis de jure submittere possunt et obligare : promittentes ulterius alter alterius jura, privilegia, cartas, consuetudines, usus et observancias conservare, et in conservacione ipsorum alter alteri fideliter assistere, sine fraude et dolo. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum XII abbates, C et XV nobiles, tam comites, milites, barones et militares parcium supradictarum, et deputati oppidorum earundem literas patentes inde fieri fecerunt, ipsorum impendentibus sigillis sigillatas. Datum Bruxelle, mensis novembris die quarta, anno Domini M° CCCC° XV° suprascripto.

De undecim personis per supradictos tres status ad regimen et administracionem predicti ducis Johannis et terrarum suarum institutis.
Cap. CXXIX.

Post confederacionem predictam, sicut premittitur, per prelibatas duas patrias, scilicet Brabanciam et Lymborch, initas atque factas, tres status patriarum earumdem, ad regimen et administracionem Johannis senioris filii quondam ducis Anthonii, eorum domini supradicti, intendentes, quia inter se de personis, que predictum regimen assumere deberent, concordare non poterant, potestatem et auctoritatem hujusmodi personas nominandi concesserunt et dederunt septem oppidis principalibus Brabancie, scilicet Lovaniensi, Bruxellensi, Antwerpiensi, Buscoducensi, Thenensi, Leuwensi et Nyvellensi. Quo facto, deputati septem principalium oppidorum predictorum, unanimi consensu et voluntate, nominaverunt duos prelatos, tres barones, duos milites, et quatuor notabiles et ingenuos burgenses : scilicet Johannem Afflighemensem, Johannem Tongerlensem ab-

bates: dominum Thomam dominum de Diest et de Sichenis, borchgravium Antwerpiensem, dominum Johannem dominum de Wesemael et de Fallays, marescallum Brabancie, dominum Heinricum de Bergis dominum de Grymbergis et de Malino, senescallum Brabancie, barones: dominum Heinricum dominum de Heverle, camerarium hereditarium Brabancie, et dominum Johannem dominum de Huldenberge, milites: Rassonem de Graven dominum de Malenia, ex Lovanio, Reynerum Mours, ex Bruxella, Nycholaum de Stelant, ex Antwerpia, et Heinricum de Weerthusen, ex Buscoducis, post cujus obitum fuit in ipsius loco subrogatus dominus Theodericus de Roever. Qui quidem undecim, sicut premittitur, nominati sive instituti, absque aliqua alia commissione, regimen et administracionem dicti ducis Johannis adhuc sub pupillari etate constituti et patriarum suarum predictarum in se assumentes, ordinaverunt pro ipso duce, Philippo suo fratre et hospicio suo debitum et honorabilem statum, expedientes omnes literas, que scribebantur sub eorum sigillis, donec ipse dux Johannes in ducem fuerat receptus et inthronizatus, mandantes quod tres status ad dietas ac omnia alia et singula facerent, que ipsorum regiminis incumbebant officio. Fecerunt eciam fieri diebus XXV^a et XXVI^a novembris supradicti inventarium de omnibus jocalibus, in capella et camera curie ducis apud Frigidum Montem in Bruxella, et in cameris et in cistis Withelmi Blondelli, primi dicti quondam ducis Anthonii cambellani, existentibus et repertis: de quo quidem inventario oppida Brabancie copiam ad se receperunt.

De dieta tenta Trajecti supra Mosam, et de eo quod ibi fuit concordatum inter patrias Brabancie, Leodiensem et Lossensem. Cap. CXXX.

1415 Ad finem et effectum quod subditi et incole patriarum et Lymburgensis a modo in pace et tranquillitate manuteneri, et a dampnis, gravaminibus, molestiis et violenciis melius deffendi possent et preservari, fuit, ad procuracionem et instanciam supradictarum undecim personarum ad regimen dicti ducis Johannis electarum, inter eundem Johannem ducem Brabancie et Lymburgis, ex una, et Johannem ducem de Bavaria, electum Leodiensem, ex altera parte, certa dieta tenta in oppido Trajectensi, die XVII^a

mensis decembris anni M° CCCC° XV° antedicti, de et super omnibus et singulis causis, questionibus inter eosdem Brabancie ducem et electum Leodiensem ac patrias et subditos utriusque ipsorum pendentibus et vertentibus. In qua, ex parte dictorum ducis et statuum Brabancie, interfuerunt dominus Johannes abbas Tongerlensis, dominus Heinricus de Bergis dominus de Grymbergis et de Malino, Johannes de Schoenvorst, borchgravius de Monyouw, dominus de Craendonck et de Diepenbeke, dominus Heinricus dominus de Heverle, Egidius de Ryck, magister communitatis, et Heinricus de Borchoven, consiliarius oppidi Lovaniensis, Johannes Mennen et Giselbertus Pipenpoy, scabini oppidi Bruxellensis, dominus Geldolphus de Zenna, miles, et Johannes Vanden Houte, scabini oppidi Antwerpiensis, ac Heinricus Croy, scabinus in Buscoducis, magister Johannes Bont, licenciatus in utroque jure, consiliarius, magister Petrus Pistoris, magister camere computorum in Bruxella, et Emondus de Dynter, secretarius ducis Johannis prelibati: et, ex parte Johannis ducis Bavarie, electi Leodiensis, interfuerunt antedicte diete domini Hacko de Outhoesden, thesaurarius, Jacobus Groy, Arnoldus Bock, sigillifer, canonici Leodienses, et Johannes Vander Roetsen, advocatus de Fleron, scabinus civitatis Leodiensis, et Theodericus de Hoeckelen, reddituarius electi Leodiensis, tamquam ejus consiliarii: et, ex parte venerabilis capituli Leodiensis, dominus Waltherus de Mosmalia, archidiaconus Hannonie, dominus Egidius Wynants, dominus Petrus de Steyne, prepositus de Eycke, canonici Leodienses, Wilhelmus Boirle et Heinricus Coene, scabini Leodienses. Per quos quidem supradictorum Brabancie ducis et Leodiensis electi et patriarum earumdem commissarios sive deputatos fuerunt in dicta dieta Trajectensi concordati et conclusi certi articuli infrascripti:

Et primo, quod ad statim, ex parte dicti ducis Brabancie, in predictis suis ducatibus Brabancie et Lymburgis et aliis suis dominiis ultramosanis faciet publice preconizari, precipi et mandari, in locis ubi mandata et precepta publicari consueverunt, quod omnes malefactores communiter *heydrote* et *moytmakers* appellati, qui ex patriis Leodiensi et Lossensi ad partes Brabancie et Lymburgensem effugerunt post bellum Leodiense, et interim in terris Leodiensi et Lossensi dampna intulerunt, extra predictam terram Brabancie et ultramosanam sine dilacione recedant, sub suorum amissione corporum et bonorum: et singulariter et precipue illi

moytmakers, qui novissime certum monopolium fecerunt in civitate Leodiensi, proponentes memoratum dominum Leodiensem electum et amicos suos interficere inibi et occidere.

Item, pari modo in eisdem terris Brabancie et ultramosanis faciet predictus dux precipi et mandari, sub pena amissionis corporum et bonorum, quod nullus, ex eisdem terris et per easdem eundo, predictis terris Leodiensi et Lossensi dampnificare presumat quoquo modo; et si tales, qui hujusmodi dampna intulerunt, infra dictas terras Brabancie et ultramosanas reperiri poterunt, quod illi apprehendantur, capiantur et teneantur, acsi dicti ducis Brabancie fuerint inimici diffidati; quodque inimici earum terrarum Leodiensis et Lossensis, neque alii qui in eisdem terris dampna intulissent incendio, capcione aut rapina, non debeant receptari in domibus neque curtibus, nullusque succursus prebeatur eisdem, sub pena amissionis corporum et bonorum. Et quod officiarii et subditi dictarum terrarum Leodiensis et Lossensis inimicos suos et alios, qui in eisdem terris dampnificaverint, poterunt sequi infra terras Brabancie et ultramosanas, ad deffendendum mobilia sua bona, et inimicos suos detinendum: in quo officiarii et subditi domini ducis Brabancie facient assistenciam, et sequentur cum sono campane ad juvandum bona ipsorum mobilia deffendere, et inimicos et alios, qui ipsis dampna intulerint seu inferre voluerint, capere et suppeditare, et tales deliberare proximiori officiario et justicie, sub quibus tales fuerint apprehensi, ad fiendum desuper execucionem justicie debitam et opportunam.

Et pari modo, et per formam suprascriptam, prelibatus dominus electus Leodiensis faciet per totas suas terras Leodiensem et Lossensem indici et preconizari precepta et prohibiciones de omnibus punctis et articulis suprascriptis.

Item, omnes cause, dissenciones, processus et questiones exorte inter predictos dominos Brabancie et Leodiensem et patrias et subditos ipsorum, absque hoc quod in eisdem procedatur, debent stare in suspenso usque ad octavas Pasche proxime venturas; quodque interim nulla mandata fient ex curia Leodiensi in terris Brabancie et ultramosanis, exceptis in tribus causis, scilicet testamentariis, matrimonialibus et spiritualibus sive ecclesiasticis: cum nonnullis aliis punctis et articulis ad pacem et concordiam inter predictos dominos et ipsorum terras et subditos tenden-

tibus, in cedula recessus diete diete Trajectensis comprehensis, quos brevitatis causa describere non curavi.

De inthronizacione et recepcione Johannis hujus nominis quarti in ducem et dominum ducatuum Lotharingie, Brabancie et Lymburgis et aliarum terrarum ultramosanarum. Cap. CXXXI.

Supradicti prelati, nobiles et bona oppida, tres status ducatuum et 1416
terrarum predictarum representantes, ad inthronizacionem et recepcionem memorati Johannis, hujus nominis ducis quarti, et ad literas ipsis in eadem sua recepcione concedendas, intendere cupientes, et ob hoc et alia necessario requisita in oppido Bruxellensi congregati deputati bonorum oppidorum, attendentes quod quilibet princeps in suo jocundo adventu et prima recepcione consuevit suis subditis de novorum jurium et privilegiorum largicione et antiquorum confirmacione sive innovacione generose providere, idcirco iidem dictorum bonorum oppidorum deputati nonnulla nova jura et privilegia per ipsos avisata in literis dicti jocundi adventus, ultra antiqua, inseri et ipsis concedi postulabant. Sed quia ipse dux Johannes adhuc sub pupillari etate constitutus, XIII^{um} videlicet annum vel eo circa, prelibati nobiles, hoc audientes, nolebant consentire, quod ab ipso plus exigeretur quam suus pater bone memorie dux Anthonius concessit eisdem. Quapropter dicti tres status unanimiter convenerunt, quod starent contenti quod predictus dux Johannes in dicto suo jocundo adventu primaque recepcione daret literas tales, nil addito vel diminuto, quales dictus quondam dux Anthonius in sua recepcione ipsis duxerat concedendum.

Deinde aliqui ex dictis tribus statibus, vertentes in dubium, an juramentum per eundem ducem Johannem dictis statibus ad observandum illesa et illibata omnia ipsorum jura et privilegia prestandum ipsum ligaret, an ne, viso quod adhuc esset minor, videlicet XIII annis vel circa; et licet dicti tres status per consultaciones jurisperitorum erant cerciorati et edocti quod memoratus Johannes tunc prestare potuit juramentum de jure validum, mediante quo ipsum ex tunc tantum ligari haberet, quod futuris nunquam posset revenire, nichilominus dicti tres status, ad omne

ambiguitatis dubium tollendum, concluserunt, quod eundem ducem Johannem in eorum dominum inthronizare et recipere deberent, et sibi prestare et ab ipso recipere debita juramenta, sub tali condicione videlicet quod, postquam compleverit etatis sue annum XV^{um}, quod ipse infra tres menses ex tunc immediate sequentes juramenta per ipsum in sua prima recepcione prestita renovare, necnon confirmare, ratificare, et approbare deberet omnia ipsorum jura, privilegia, consuetudines, usus et observancias, modo qualicumque ipsis per suos antecessores concessas. Casu vero quo hoc non fecerit seu in defectu fuerit, et interim per se vel alium seu alios contra faceret vel veniret, in parte vel in toto, quod tunc homines et subditi sui Brabancie a juramentis, promissionibus et fidelitatibus sibi prestitis erunt absoluti, et in illis amplius non obligati: quodque sibi eciam nullum servicium facerent neque facere tenerentur, neque obedire in causis quibuscumque, quoad usque ipsis predicta plenarie compleverit. Sub qua quidem condicione ipsum in eorum dominum et ducem reciperent, prout in dicti Johannis ducis literis desuper confectis plenius continetur, que fuerunt facte et accordate Bruxelle, die XIII^{a} mensis januarii, anno Domini M^{o} CCCC^{o} XV° secundum stilum curie Cameracensis[1]. In qua undecim dicti ducis Johannis rectores fuerunt signati presentes. Que quidem litera lecta fuit immediate post juramenta prestita in septem oppidis principalibus.

Qualiter dux Johannes confirmavit regimen undecim personarum suprascriptarum; et de domina ducissa Brabancie et Lucemburgensi, vidua quondam ducis Anthonii bone memorie; et de ambaxiata per Romanorum regem ad dictam dominam ducissam et tres status patrie Brabancie transmissa. Cap. CXXXII.

1416. Subsequenter vero supradictus Johannes hujus nominis dux quartus, postquam fuerat intronizatus et receptus ad dominia ducatuum et terrarum predictarum, omologando, ratificando et approbando omnia et singula per supradictos tres status acta, gesta et ordinata post prelibati ducis

[1] Itaque anno 1416.

Anthonii, sui genitoris recolende memorie, interitum et decessum, et pari modo omnia et singula, que per supradictas undecim personas per dictos tres status ad suam suarumque terrarum administracionem assumptas facta fuerunt, usque in presentem diem, videlicet XXIIIum mensis februarii anni Mº CCCCº XVº suprascripti, promisit omnia illa tam firma et valida perpetuo servare et obtinere, acsi illa per ipsummet fuissent facta et ordinata. Quas quidem undecim personas, necnon magistrum Johannem Bont, in utroque jure licenciatum, ipse dux Johannes predicta die XXIIIª februarii in suos consiliarios continuos commensales duxit retinendum. Qui quidem undecim electi, infra tempus regiminis ipsorum, jussu ducis tenuerunt diversas amicabiles dietas cum electo et patriis Leodiensi et Lossensi, cum duce et patria Gelrie, cum comitibus de Vernenborch, de Blanckenhem, de Sarwarden et aliis nobilibus, in Aquisgrano, in Trajecto, in Sancto Trudone, in Harcke, in Boscoducis, in Diest et in Halem : ita et taliter ordinantes, quod per eorum sagacitatem, prudenciam et industriam, per hujusmodi dietas, terras Brabancie et ultramosanas tenuerunt in pace et tranquillitate.

Anno Mº CCCCº XVº secundum stilum curie Cameracensis, die martis XIIIIª januarii, sepefatus Johannes hujus nominis dux quartus, etatis sue anno XIIIº, fuit intronizatus et receptus in Lovanio, ubi prestitit juramenta sub tali modo et forma sicut quondam dux Anthonius, suus genitor et immediatus antecessor, inibi prestiterat, nil addito vel remoto : que innovavit die jovis Vª mensis maii, anno Domini Mº CCCCº XVIIIº.

Anno Domini Mº CCCCº XVº supradicto, die jovis XVIª mensis januarii antedicti, dux Johannes quartus prelibatus, etatis sue anno XIIIº, fuit receptus in Bruxella, ubi prestitit juramenta consimilia juramentis per quondam ducem Anthonium prestitis : que innovavit die sabbati VIIª mensis maii, anno Mº CCCCº XVIIIº predicto.

Anno Domini Mº CCCCº XVº predicto, die vero jovis XXª januarii, predictus dux Johannes, etatis sue anno XIIIº, prestitit sua juramenta in Antwerpia : que inibi renovavit die XIIIª mensis maii, anno Mº CCCCº XVIIIº antedicto.

Anno Mº CCCCº XVº predicto, die vero lune XXVIª mensis januarii suprascripti, dux Johannes fuit receptus in Buscoducis, ubi tunc prestitit juramenta : que innovavit ibidem die mercurii XVIIIª mensis maii, anno Mº CCCCº XVIIIº suprascripto. Consequenter vero fecit similiter, diebus

ad hoc statutis, in aliis oppidis ducatus Brabancie et in oppido Trajectensi supra Mosam.

Nunc restat aliqua scribere de successu [1] domine ducisse Brabancie et Lucemburgensis, vidue quondam Anthonii ducis supradicti, et de ambaxiata per dominum Romanorum et Hungarie regem ad ipsam et ad tres status Brabancie destinata.

Pro quorum enucleacione est sciendum, quod, post ejusdem quondam ducis Anthonii interitum, inhumacionem et exequias cum magnis luctu et fletu debite peractas, tres status patrie Brabancie miserunt duos abbates, duos barones, duos nobiles et certos notabiles burgenses ex septem principalibus oppidis ejusdem patrie Brabancie, per dictos tres status ad hoc deputatos, ad predictam dominam ducissam in Turnhout tunc existentem, ipsam de lamentabili interitu dicti quondam ducis Anthonii, ejus mariti, verbis ad hoc debitis et requisitis consolantes, et ex parte dictorum trium statuum obtulerunt eidem, quod, si sibi placeret, ipsam ducere vellent ad quemcumque locum sibi in Brabancia melius placentem, ad suum statum inibi honorifice tenendum; quodque sibi de hujusmodi suo statu taliter provideretur, quod merito deberet contentari: sic quod iidem deputati, ejusdem domine ducisse ad hoc accedente consensu et voluntate, ipsam reverenter duxerunt ad Bruxellam penes ducem Johannem, ejus privignum, in suo hospicio apud Coudenberghe, qui ipsam cum statu quem ibi adduxit benigne recolligens, sibi de omnibus necessariis magnifice provideri fecit. Deinde vero fuit per antedictum ducem Johannem, de dictorum trium statuum consilio, pro eadem domina ducissa honestus et honorabilis status ordinatus et in scriptis redactus, quem primitus per reverendum in Christo patrem, dominum Tornacensem episcopum, et nonnullos alios illustris principis domini ducis Burgundie consiliarios, et aliquos ex dicte ducisse consilio, scilicet dominum Erhardum et Wenemarum fratres de Gymnich, milites, examinatum et notabilem et honorabilem judicatum, ipse dux Johannes fecit sibi in scriptis exhiberi, eidem benigne offerendo, quod ipsam cum eodem statu vellet tenere expensis suis et in hospicio suo; et, casu quo sibi non placeret secum in suo hospicio morari, tunc provideret sibi de notabili domo sive habitacione in Bruxella, aut castrum

[1] Forte *secessu*.

suum apud Furam sibi apertum traderet, pro statu suo ducendo in eodem : ad quem tenendum sibi traderet annuatim quinque millia coronarum Francie in tribus terminis persolvendarum, tamdiu et quousque sibi foret provisum de suo duario sive dotalicio, sicut deceret. Quem quidem statum sibi, ut premittitur, in scriptis exhibitum ipsa domina ducissa tacite acceptando, cum dicto duce Johanne Bruxelle in hospicio et expensis suis permansit.

Deinde vero advenerunt in Bruxella illustris dominus Ludovicus dux de Brige et de Legnitz, nobilis Wilhelmus Hase de Waldeck, dominus de Rolitzi, et honorabilis Petrus Wacker, imperialis curie scriba, per serenissimum dominum Romanorum et Hungarie regem tamquam sui ambaxiatores cum literis credencialibus ad prelatos, nobiles et communitates oppidorum dicti ducatus Brabancie transmissi. Qui die veneris VI^a^ mensis marcii, anno M° CCCC° XV°, prelatis, nobilibus et deputatis bonorum oppidorum, tres status ducatus Brabancie representantibus, in parvo numero Bruxelle congregatis, ex parte predicti regis suas literas credenciales, que erant date apud Lugdunum die martis proxima post festum Conversionis sancti Pauli, regnorum suorum anno Hungarie XXIX°, Romanorum vero VI°, exhibuerunt. Quibus reverenter, ut decuit, visis et intellectis, dicti ambaxiatores onus, ut asseruerunt, ipsis injunctum proponere curaverunt, dicentes primo, qualiter dictus Romanorum et Hungarie rex ipsis mandavit suam graciam amicabilemque suam salutacionem et omne bonum; quodque idem rex dominus ipsos destinavit ad supradictam ducissam de suis mesticia et tristicia consolandum, necnon dictis tribus statibus de hiis que dicte domine liberaliter et benigne obtulerunt bono corde regraciandum, eosdem propterea obnixe deprecantes, quatenus bonum per ipsos inchoatum continuando benigne perficere curarent.

Item, quia dictus ducatus Brabancie, ut asseruerunt, tam ex devolucione ad imperium quam hereditaria successione ducis Wenceslai, quondam Lucemburgensis et Brabancie ducis, sui patrui, sibi pertineret de jure, de qua quidem successione in ista et aliis partibus, prout dixerunt, litere patentes esse deberent, eapropter predictos tres status ex parte dicti domini regis attente requisiverunt, quatenus eundem dominum regem tamquam eorum verum dominum recognoscere vellent et tenere, prout idem dominus rex hoc hactenus prelibato quondam domino duci Antho-

nio. suis amicis et ambaxiatoribus multociens fecerat significari: quod pari modo dictis tribus statibus temporibus preteritis eciam significasset, si occupacio, quam habuit pro extirpacione scismatis et unione sancte Romane ecclesie consequenda, ipsum non impedivisset. Supra quo petierunt sibi brevem dari responsionem: qua audita, onus ipsis injunctum continuando ulterius propalarent, de quo dederunt opcionem tribus statibus sepedictis. Quibus ex parte eorumdem fuit responsum, quod ipsi status onus ipsorum ulterius audire desiderarent.

Quo facto, petiverunt exhortando eosdem tres status, quatenus ad hoc velint consulere et juvare, quod memorate domine ducisse provideretur de ejus duwario sive dotalicio et aliis causis ad quas sibi jus esset quesitum, quodque taliter in hoc se velint exhibere. quod rex ipsis desuper regraciari haberet.

Item, quod jocalia sua, que quondam dux Anthonius ejus maritus et ipsa eciam in suis necessitatibus impignoraverat, prout asseruerunt, redimerentur et sibi restituerentur.

Item, quod eidem domine ducisse deliberarentur prime et omnes alie litere, quas serenissimus princeps et dominus rex Bohemie quondam duci Anthonio suo marito et sibi concessit, terram Lucemburgensem concernentes, presumentes quod eedem litere nunc eidem domine ducisse soli appertinerent.

Item, si alique litere essent ex thesauraria Lucemburgensi capte et in Brabanciam transportate, quod ille restituerentur, quia nulli utiles forent quam illi cui terra Lucemburgensis pertineret.

Item, quod captivi ex terra Lucemburgensi tradantur in manibus domine ducisse supradicte, dicentes quod iidem captivi eidem domine ducisse nunc pertinerent, attento quod ipsa nunc dictam terram Lucemburgensem deffendere haberet; quodque supradictus rex suos amicos in terra Lucemburgensi destinavit, qui ex parte ipsius in eadem terra pacem atque treugas fecerunt cum parte adversa quondam ducis Anthonii et domine ducisse antedicte: concludentes quod propterea dicti captivi in suis manibus tradi deberent; petentes ipsis desuper tradi brevem responsionem et talem. quod Romanorum et Hungarie rex et rex Bohemie et domina ducissa antedicta se de predictis tribus statibus merito haberent regraciari.

Super quibus fuit ipsis ex parte dictorum trium statuum per organum

magistri Johannis Bont responsum, quod ipsi requisiciones ipsorum taliter qualiter intellexerunt; et, quia cause hujusmodi essent magne et onerose, predictum ducem Johannem, eorum dominum, et communem patriam Brabancie quamplurimum concernentes, fuit ipsis deprecatum, quatenus hujusmodi suas requisiciones per puncta sive articulos vellent ipsis tradere in scriptis, ad finem ne plus aut minus predicto eorum domino et duci reportarent. Quo facto, ipsi eadem puncta sive articulos referrent dicto eorum domino et communi patrie ejus Brabancie, attento quod tres status dicte patrie non erant sufficienter congregati, et non plures quam quatuor prelati, pauci barones et milites, et dumtaxat deputati quatuor oppidorum, ad finem quod prelibatus dominus se desuper consultare possit cum domino duce Burgundie, suo patruo, et aliis dominis consanguineis suis et amicis ac communi patria sua antedicta. Quibus peractis, ipsi dicto domino regi desuper responsionem transmittere curarent, infra hinc et festum Penthecostes proxime venturum, intendentes semper facere quod tenerentur.

Et quantum de punctis dictam dominam ducissam concernentibus, fuit ipsis dictum quod una dieta fuit ordinata die lune proxime futura tenenda coram dicto domino duce Burgundie et ejus consilio, in qua ipsi sperabant dicta puncta terminari debere; deprecantes eosdem, quatenus hujusmodi responsionem gratanter recipere, et illam dicto domino regi benigne reportare dignarentur.

Ad que dicti ambaxiatores responderunt, quod non erant onerati aliqua puncta in scriptis exhibere, quodque erant missi ex parte dicti domini regis cum literis credencialibus, eorum credenciam oretenus explicandi, quod onus sic injunctum ipsi transgredi non auderent; sed, si dicti status eadem puncta minus bene intellexissent sive retinuissent, vellent adhuc ipsa semel reiterare sive narrare. Dixerunt eciam ipsis, quod non fuit data eciam potestas terminum respondendi prorogare, quodque terminus ad Penthecosten videbatur ipsis nimis prolixus;, verum quod longum terminum dominus rex non caperet gratanter, qui eciam abhinc non erat tam remote, quin ipsum infra quinque vel sex dies attingere possent; sed si dicti status vellent diem et terminum respondendi capere infra unum mensem, hoc libencius deberent dicto domino regi reportare.

Item, licet fuerit dictis dominis ambaxiatoribus secundo et tercio humi-

liter supplicatum, quatenus supradicta per ipsos puncta proposita et requisita velint ipsis in scriptis tradere et exhibere, nullatenus tamen huic dictorum trium statuum peticioni voluerunt consentire; sed semper eundem sermonem sicut prius responderunt.

Qualiter et ob quam causam domina ducissa predictum dominum ducem et ejus hospicium dimisit; et de ejus secreto recessu ex Brabancia versus Lucemburgis; et ambaxiata per ipsam ad tres status Brabancie deputata. CAP. CXXXIII.

1416. Postquam dux Ludovicus de Brige, Wilhelmus Hase de Waldeck et Petrus Wacker, scriba imperialis curie, predicti domini Romanorum et Hungarie regis oratores, recesserunt a Bruxella, die lune IXa mensis marcii, anno M° CCCC° XV° predicto, supradicta domina ducissa continue permansit penes dictum dominum ducem Johannem in hospicio suo apud Coudenberghe in Bruxella et in expensis suis, de statu sibi ordinato, ut videbatur, bene contenta, usque ad mensem julii ex tunc immediate sequentem sub anno Domini M° CCCC° XVI°. In quo mense ipsa ad se revocavit dominam Claram de Floreville, consortem domini Everhardi Boets militis, et domicellam Katherinam, conjugem Danielis de Ranst, ad morandum secum, que in dicto statu sibi ordinato non erant comprehense, sed loco illarum domina de Hoochstraten baronissa et domina de Bredam militissa, matrone generose vite et morum honestate laudabiliumque probitatum et virtutum meritis quamplurimum decorate et omni mala suspicione carentes. Quod dux Johannes et undecim rectores et consiliarii sui, necnon tres status Brabancie supradicti percipientes, ipsam super hoc ad partem ducentes redarguerunt, asserentes sibi in secreto quod, si ille due, scilicet domina Boets et domicella de Ranst, fuissent reputacionis honeste et in vita et moribus non suspecte, utique illas in statu suo penes ipsam dimisissent et ab ipsa non alienassent, quia ipsius domine ducisse generositate attenta, que ex potencioribus religionis christiane regibus et principibus traxit originem, ipsam non decuit sine nota tales secum in domo sua tenere suspectas. Quare predictam dominam ducissam affectuose deprecabantur, quatenus de supradicto statu sibi ordinato vellet stare con-

tenta, et, si illis majores ex Brabancia secum habere vellet, illas utique sibi associarent. Que more aspidis surde aurem suam obturans, dictorum ducis, rectorum et trium statuum monitis salutaribus rejectis, maluit, ut asseruit, dictum dominum ducem et ejus hospicium dimittere quam illas duas, dominam scilicet et domicellam antedictas. Dux vero et ejus consiliarii, hoc videntes, ipsam iterato, genibus flexis et flebilibus oculis, rogarunt, quatenus maneret, et sibi tantum dedecus non faceret. Que tamdiu nolens expectare quod currus suus cum dextrariis adduceretur, ivit pedester ex hospicio dicti domini ducis ad domum domine de Boets sepedicte, et dum currus cum dextrariis et alii equi gradarii sibi mittebantur. illos indignanter acceptare recusavit.

Deinde vero, videlicet die XVI[a] mensis julii supradicti, ipsa domina ducissa ex Bruxella secrete recedens ivit peregre ad Dominam Nostram de Hal, ubi existens scripsit dominis de consilio domini ducis predicti, quod pro tunc secum negocia taliter haberent, quod ipsam festinanter oporteret equitare, ob certas causas que sibi supervenerunt, quas heri nescivit, dum a Bruxella recessisset; quapropter ipsos rogavit, quatenus excusacionem suam erga carum filium suum ducem Brabancie facere vellent, quod tam inavisate recessit, sine licencia a dicto dilecto filio suo capienda, sperando ipsum per Dei graciam breviter revisurum, prout in dicta litera plenius continetur, scripta in Hal, die XVII[a] mensis julii, per ducissam Lucemburgensem, Brabancie et Lymburgensem.

Subsequenter vero dicta domina ducissa ex patria Lucemburgensi, ubi applicuerat, suos certos nuncios et oratores, scilicet Egidium de Rodemachere, dominum Erhardum de Gimnich et alios, misit cum literis suis credencialibus ad tres status Brabancie : quibus in Bruxella congregatis ex parte dicte domine ducisse proposuerunt oretenus quinque puncta, que eciam in scriptis exhibuerunt in vulgari teuthonico, continentibus in effectu:

Primo, quod, sicut tres status Brabancie dicte domine ducisse obtulerunt, quod sibi vellent facere de suo duwario sive dotalicio et ejus statu ac aliis causis ipsam concernentibus taliter, quod ipsa se de ipsis erga suos amicos haberet regraciari, quare ipsa domina rogat et requirit, quatenus sibi ipsorum voluntatem et intencionem desuper aperire velint et declarare.

Item, secundo, ipsa domina rogat et requirit, quod omnes litere ipsam et terram Lucemburgensem attingentes sibi tradantur et ad manus delibe-

rentur, et eciam castra omnia sive fortalicia ad terram Lucemburgensem pertinencia.

Item, tercio, quod terra de Duffel et de Waelhem, quam quondam dux Anthonius felicis memorie cum dicta domina ducissa in thoro conjugali emit et conquisivit, et litere desuper confecte in manibus suis tradantur; et sibi pari modo aliqua alia bona per dictum quondam Anthonium ducem fuerint conquisita in pleno thoro cum eadem, domina ducissa sperat quod hoc sibi juxta legem patrie fieri deberet.

Item, quarto, dicta domina ducissa cupit dictos tres status non latere, quod de pecunia sive precaria, quam patria Brabancie dedit, dum ipsa primitus ad partem Brabancie venit, sibi data fuit et concessa summa quinquaginta millium coronarum, quare ipsa rogat et requirit quatenus Wilhelmus Vanden Berghe et alii, qui ad levandum hujusmodi pecuniam fuerunt instituti, tales habeantur, quod sibi de dicta sua pecunia computum sive racionem reddant et satisfactionem.

Item, quinto, deficiunt dicte ducisse diversa clinodia sibi pertinencia, de quibus per declaracionem partes dabit in scriptis, ad finem quod de illis contentetur.

Ad que quidem quinque puncta dictis tribus statibus in scriptis exhibita ipsi status in scriptis responderi fecerunt :

Et primo, ad primum de dotalicio et statu, etc., mencionem facientem, quod semper dicte domine ducisse perficeretur sive perficere volunt, quemadmodum sibi in Turnhout ex parte trium statuum predictorum per eorum deputatos oblatum fuit atque relatum, videlicet quod dux eam tenere deberet, in quocumque loco sibi in Brabancia melius placente, ad statum suum honorifice inibi tenendum, quodque sibi de hujusmodi suo statu taliter provideretur, quod merito deberet contentari. Quod memoratus dux Johannes benigne insequendo, dum ipsa, suo ad hoc accedente consensu, ad ipsum venit in Bruxella, ipsam honorifice, ut decuit, in hospicio suo recolligens, de omnibus necessitatibus juxta status decenciam provideri fecit eidem. Cui de post amicabiliter fecit offerri, quod ipsam cum tali statu conscripto in quadam cedula, quam sibi fecerat exhiberi, vellet tenere, expensis suis propriis, in suo hospicio; et, casu quo sibi non placeret secum in hospicio suo morari, tunc provideret sibi de notabili domo sive habitacione in Bruxella, aut castrum suum apud Furam sibi apertum

traderet pro statu suo tenendo, ad quem tenendum sibi traderet annuatim quinque millia coronarum Francie in tribus terminis persolvendarum. tamdiu et quousque sibi foret provisum de suo duwario sive dotalicio. sicut deceret. Sed quod tres status sibi obtulissent sibi facere fieri de suo dotalicio, etc., ipsi tres status non credunt quod per talem modum fuerit eidem domine ducisse relatum; eciam non credunt de hoc onerati, qui ad ipsam in Turnhout fuerunt destinati, et valde invite super hoc cum eadem domina ducissa tractarent, absque scitu et consensu domini ducis Burgundie et aliorum qui de convencionibus matrimonialibus sciunt loqui. quemadmodum ipsamet merito desiderare deberet.

Ad secundum respondetur, quod dicto domino duci Johanni non convenit tam nude recedere a literis et castris predictis, in quibus sive ad quas idem dominus dux credit quod juxta continenciam earumdem literarum magnum sibi jus sit acquisitum et interesse; nichilominus idem dominus dux, de consilio ducis Burgundie et dicte domine ducisse, proximorum et amicorum sibi, semper faciet, quod justum fuerit et racionis.

Ad tercium de terra de Duffel, etc., respondetur, quod dictus dominus dux hoc libenter faciet, in quantum jus sive lex patrie hoc docet, et quod domina ducissa ex parte sua eciam faciet, quod jus patrie indicabit.

Item, quantum ad quartum de quinquaginta millibus coronarum, etc., respondetur, quod Wilhelmus Vanden Berghe recognovit coram dictis tribus statibus, quod ipse fuit receptor vigore commissionis sibi per quondam ducem Anthonium inclite memorie concesse; unde ipse, de mandato domini ducis, fecit computacionem in camera computorum coram magistris camere ejusdem, ad quam se refert, credens quod dicta domina ducissa sibi teneri debeat plus quam mille et septingentas coronas, deprecans quod dicta domina taliter inducatur, quod sibi de hujusmodi summa persolvatur. Et simili modo dixit Quintinus Cleresone, receptor Antwerpiensis, quod ipse per commissionem dicti quondam ducis Anthonii de hoc fuit receptor, de qua computavit in dicta camera computorum; unde eciam habet quitanciam a dicto quondam domino duce, ad quam se refert.

Ad quintum de clinodiis, etc., respondetur, quando dicte domine ducisse placuerit partes dictorum clinodiorum per declaracionem in scriptis exhibere, tunc sibi in hiis fiet quod fieri tenebitur, etc.

De tutela et administracione quam Johannes dux Burgundie, senior frater quondam ducis Anthonii, petivit habere de Johanne duce Brabancie, nepote suo et dicti quondam Anthonii filio, et de patriis et dominiis ejusdem. Cap. CXXXIV.

Est sciendum, quod tempore dolorosi conflictus inter Francigenas et Anglicos conserti, in quo supradictus quondam dux Anthonius, proch dolor! interiit, prelibatus dux Johannes fuit in Burgundia, et Philippus suus filius, tunc comes de Charolois, nunc vero dux Burgundie, Brabancie, etc., fuit in Atrebato, qui ob patris sui absenciam solempnes suos nuncios ad dictum Johannem ducem et tres status Brabancie in oppido Bruxellensi tunc congregatos duxit transmittendum, ad consolandum eosdem de morte sui patrui, quondam ducis Anthonii predicti; necnon ad dictos tres status exhortandum, quatenus sine dilacione dictum ducem Johannem, filium ducis Anthonii patrui sui antedicti, in eorum dominum et principem reciperent et intronizarent, sibique omnia et singula facerent, que suo vero, naturali et hereditario domino facere tenerentur, jure tutele domino et genitori suo in ipso competente in omnibus semper salvo.

Ad quod nunciis predictis fuit ex parte trium statuum predictorum responsum, quod ipsi super ejusdem ducis Johannis recepcione ad certam dietam fuerunt congregati, matura deliberacione prehabita unanimiter concludentes, quod sibi facerent ea omnia et singula, que boni et fideles subditi eorum vero et naturali domino facere tenerentur, juribus, privilegiis, libertatibus et observanciis patrie Brabancie illese observatis. Qua responsione, sicut premittitur, facta, dicti nuncii a Bruxella recedentes, ad predictum comitem de Charolois remearunt.

Deinde vero, postquam predictus dux Johannes fuerat cum solempnitatibus debitis et consuetis in ducem et dominum Brabancie receptus, memoratus Johannes dux Burgundie, patruus suus, ad eundem ducem Johannem et tres status Brabancie, ad petendum tutelam dicti ducis sui nepotis sibi concedi, solempnem ambaxiatam transmisit, videlicet dominum episcopum Tornacensem, dominum Sancti Gregorii, dominum de Antry, dominum Reynerum Pot, magistros Symonem de Fourmelles, Johannem de Rysingen et Johannem Keythullo: quibus fuit breviter responsum.

quod dicto duci Johanni eorum domino semper facere vellent, quod fideles subditi eorum domino facere tenerentur, quodque de tutela petita non erant onerati; et sic, hujusmodi responsione habita, recesserunt.

Post quorum recessum venit sine mora antedictus Johannes Burgundie dux in propria persona in Bruxellam ad ducem Johannem, nepotem suum predictum, ubi a dictis tribus statibus ad suam requestam inibi congregatis instanter requisivit ejusdem ducis Johannis sui nepotis tutelam, suorumque bonorum, dominiorum et terrarum regimen et administracionem sibi recognosci, tradi atque concedi, dicens illam sibi tamquam suo patruo et propinquiori viventi pertinere debere, tam secundum jus scriptum quam secundum consuetudinem et legem patrie. Super qua quidem responsione fuit dicto domino duci Burgundie ex parte dictorum trium statuum responsum, quod, quia deputati bonorum oppidorum non erant desuper onerati, sed ea que audierunt reportarent, sic quod super premissis sibi unanimiter respondere non valebant, quodque super sua requisicione ad aliam dietam inter se convenire deberent.

Deinde, post certas dietas inter eosdem tres status desuper tentas et observatas, super requisicione dicti domini ducis Burgundie, occasione tutele et administracionis suprascripte, primo per suos ambaxiatores et consiliarios, et deinde per semetipsum, facta fuit tandem per eosdem tres status dicto Johanni Brabancie duci super eadem requisicione responsio exhibita in scriptis, ipsum humiliter deprecantes, quatenus hujusmodi ipsorum responsionem predictam domino duci Burgundie, patruo suo, significare dignaretur. Quorum peticioni idem dux annuendo, responsionem predictam eidem domino patruo suo literatorie significavit, continentem in effectu, quod ipsi tres status, consideratis et ponderatis consuetudinibus et observanciis dominii et terre Brabancie ab antiquo tempore tentis, usitatis et observatis, et aliis causis et racionibus ad hoc deservientibus, salvis ipsorum honoribus et juramentis et fidelitatibus sibi et patrie sue Brabancie prestitis et debitis, et absque injuria sibi suisque successoribus et patrie inferenda, sibi facere tenerentur et facere oporteret eosdem omnia et singula, que boni et fideles subditi eorum vero, naturali et hereditario domino facere teneantur, absque hoc quod alicui alteri ab ipso vel dictis suis bonis patriis et dominiis aliquam tutelam, regimen vel administracionem recognoscant, juxta eorum fidelitates et juramenta su-

prascripta, nisi melioribus sive pocioribus causis et racionibus de contrariis desuper informarentur, juxta consuetudinem et legem patrie Brabancie suprascriptas.

Et quia dictus dominus dux Burgundie de responsione predicta non fuit contentus, fuerunt ad procuracionem aliquorum super premissis nonnulle alie diete observate inter ejusdem domini Burgundie ducis commissarios, ex una parte, et commissarios atque deputatos ducis Johannis et trium statuum sue patrie Brabancie prenarratos, in quibus ipsis commissariis Burgundie fuit propositum et allegatum, quod dominus Burgundie nullam haberet justam causam et occasionem petendi tutelam et administracionem supradictas, obstantibus nonnullis causis et racionibus in jure fundatis, et, inter ceteras, si ipse tamquam proximior racione sanguinis hujusmodi tutelam et administracionem assumere deberet, oporteret ipsum juxta decretum judicis fidejussores et caucionem prestare, sui nepotis curam gerere ad utilitatem et profectum et absque dampno et prejudicio ejusdem: quales fidejussores qui dicto eorum domino Brabancie duci sufficientes forent, juxta multiplicia ipsius principatus et dominia, quibus, Dei gracia, presidet de presenti, in terra Brabancie vix reperiri possent; principes vero et magnates extranei non essent sibi sufficientes, quia, si casus emerserit, dampnum et interesse suum ab ipsis leviter consequi non posset, sed cum magnis incommodis et expensis fortassis ipsum prosequi oporteret eosdem.

Item et alia racio, quod dominus Burgundie non habet justam causam petendi tutelam predictam juxta consuetudinem et legem patrie, juxta quam omnes nobiles patrie Brabancie post ipsorum duodecimum annum completum bona sua, si petant sive requirant, regere possunt et administrare, absque hoc quod ab aliquo regantur contra voluntatem ipsorum: et quia ipse dux Brabancie jam complevit XIII[um] annum, quapropter dominus Burgundie, patruus suus, ipsum contra suum consensum et voluntatem tutorio nomine regere non potest quovis modo. Eciam non fuit unquam visum, quod dux Brabancie fuerit per suos consanguineos vel proximos nomine tutorio gubernatus, sed quando dux Brabancie temporibus retroactis fuit juvenis sub pupillari etate constitutus, rexit et gubernavit suam patriam per illos et cum illorum consilio, qui per suam patriam sive status Brabancie ad hoc fuerunt deputati et ordinati: prout hoc clare patet

per Godefridum hujus nominis Lotharingie et Brabancie ducem tercium, qui non erat etatis unius anni, quando pater suus decessit, scilicet anno Domini M° C° XLIII°, quique fuit gubernatus per dominos Heinricum dominum de Diest, Gerardum dominum de Wesemale, Johannem dominum de Bierbeke et dominum Arnoldum de Wemmelen, qui per patriam Brabancie ad hoc fuerunt ordinati et instituti. Pari modo, anno Domini M° CC° LX°, obiit Heinricus hujus nominis dux Brabancie tercius, qui suos filios sub pupillari etate post se impuberes reliquit, de quibus et eorum patriis et dominiis Otho comes Gelrie, Heinricus frater suus, episcopus Leodiensis, et Heinricus lantgravius Thuringie, racione sanguinis proximiores, tutelam et administracionem habere contendebant; qui per tres status Brabancie taliter fuerunt inducti et informati, quod ab eorum requisicione desistebant, et juvenis dux et fratres sui fuerunt gubernati per dominam ducissam ipsorum matrem, ac dominum Walterum Berthout, dominum terre Mechliniensis, per dictos tres status Brabancie ad hoc ordinatos.

Et post hoc, scilicet anno Domini M° CCC° XII°, obiit Johannes hujus nominis Brabancie dux secundus, qui post se reliquit filium nomine Johannem ducem tercium, etatis sue annum XII^um^ attingentem, qui patrias suas et dominia sue juventutis tempore laudabiliter gubernavit, consilio hominum suorum ad hoc per predictos tres status ordinatorum, absque hoc quod sui consanguinei et sanguine propinqui se de sua tutela ad mamburnia intromitterent quovis modo : prout hec clare constant per cronicas Brabancie et literas sive scripturas auctenticas tunc desuper confectas.

Subsequenter vero, anno Domini M° CCCC° XVI°, mense octobris, fuit 1416.
certa dieta per commissarios utriusque dominorum ducum Burgundie et Brabancie predictorum tenta in oppido Mechliniensi, ubi commissarii ducis Burgundie referebant, quod post obitum Heinrici hujus nominis ducis tercii, predicti Otho comes Gelrie, frater suus Heinricus, episcopus Leodiensis et Heinricus, lantgravius Thuringie, de tutela filiorum suorum, quam habere petiverunt, pacificati neque contenti cum nudis verbis ipsis prolatis, sed cum magna pecuniarum summa ipsis promissa et persoluta, ut desisterent a requisicione tutele suprascripte. Et sic in eadem dieta inter dictos commissarios super peticione dicte tutele nichil fuit conclusum, sed fuit alia tunc concepta, tenenda in Denremonde, die V^a^ mensis

novembris anni predicti, in qua ex parte ducis Brabancie fuerunt missi dominus abbas Afflighemensis, dominus Heinricus de Bergis, dominus Grymbergensis et de Melino, magister Johannes Bont, in utroque jure licenciatus, dominus Theodericus dictus de Rover, miles, et Nycholaus de Stelant, consiliarii, et magister Johannes Mercatoris, secretarii sui; et ex parte domini ducis Burgundie, Johannes de Schoenvorst, burchgravius de Monyouw, dominus Reynerus Pot, miles, magistri Johannes de Rysingen, consiliarii, et Johannes de Keythulle, secretarius sui, ac Rutgerus Raes de Colonia.

In qua quidem dieta fuit inter predictos commissarios concordatum, quod memoratus dux Johannes Brabancie in juribus, privilegiis, consuetudinibus et observanciis sive impeticionibus ulteriori et prosecucione, ac in gracia et benevolencia dicti domini ducis Burgundie manere, et ab ipso contra impeticionem Romanorum et Hungarie regis deffendi posset, eidem domino duci Burgundie daret et exhiberet summam viginti quinque millium coronarum Francie, aut valorem earumdem, in duobus terminis, scilicet medietatem inter festa Nativitatis Christi et Purificacionis beate Marie Virginis proxime ventura, et aliam medietatem in foro Antwerpiensi circa festum Penthecostes ex tunc immediate futurum.

De ambaxiata per dominum Johannem Brabancie ducem transmissa ad predictum Romanorum et Hungarie regem, in Leodio existentem. Cap. CXXXV.

1416 Anno Domini M° CCCC° XVI° suprascripto, die vero XIII^a mensis decembris, memoratus dux Johannes, per suas certi tenoris literas datas Bruxelle anno, mense et die suprascriptis, nobilem virum dominum Thomam, dominum de Diest et de Sichem, militem et baronem, consanguineum et consiliarium suum fidelem et dilectum, de cujus fidelitate et industria fiduciam gerebat indubiam, constituit, ordinavit et deputavit, dando sibi speciale mandatum et plenariam potestatem, suo nomine et pro ipso, serenissimo principi et domino clementissimo Sigismundo, Dei gracia Romanorum regi semper Augusto et Hungarie regi, de omnibus et singulis, que ab ipsius majestate ac sacro Romano imperio in feudum

tenere dinoscitur, homagium et debite fidelitatis juramentum faciendum et prestandum, investituramque de ipsis, in quantum opus fuerit, recipiendum, omniaque alia et singula circa hujusmodi negocium necessaria et ab eodem dependencia, necessaria et opportuna, que ipsemet faceret et facere posset, si personaliter interesset, prout in dictis literis plenius continetur.

Pari modo, anno, mense et loco supradictis, idem dux Johannes per alias suas certi tenoris literas notum fecit universis, quod ipse debite confederacionis respectu cognoscens virtutum merita, quibus nobiles et egregii Wilhelmus de Arckel, dominus de Borne, de Sittart, Thomas dominus de Diest et de Sichem, consanguinei, Johannes dominus de Rotselaer et de Vorselaer, senescallus Brabancie, magister Johannes Bont, in utroque jure licenciatus, Raso de Graven, dominus de Malenia, et Reynerus Mours, consiliarii, et Emundus de Dynter, secretarius, sui fideles et dilecti viri, utique famosi pluribusque experienciis probitatibusque decorati, comprobantur, ipsos, de quorum fidelitate et industria fiduciam gessit indubiam, ex certa sua sciencia constituit, ordinavit et deputavit ambaxiatores seu nuncios suos speciales, ad accedendum sui ex parte ad supradictum Romanorum et Hungarie regem, et se sue majestati regali humiliter recommendandum et obsequium suum offerendum, animum ipsius debite informandum, graciam quoque et benevolenciam ipsius implorandum; seque de hiis que sinistre erga ipsum fortassis suggesta fuissent excusandum; causas et raciones in premissis et infrascriptis necessarias et opportunas proponendum et allegandum; necnon cum eodem domino rege de omnibus et singulis, que inter majestatem suam et se ad invicem tam super premissis quam quacumque alia occasione sive causa forent agenda, graciose tractandum et amicabiliter concordandum et concludendum; sibique humiliter supplicandum, quatenus prelibatum dominum de Diest de omnibus et singulis, que de majestate sua ac sacrosancto Romano imperio in feudum tenere dinoscitur, nomine suo et pro se, ad homagium et debite fidelitatis juramentum sibi prestandum recipere dignaretur, donec illud propria in persona commode facere et prestare valeret; et super hoc dilacionem postulandum, literasque desuper opportunas, et quascumque alias confirmatorias graciamque seu justiciam continentes, impetrandum; omniaque et singula in premissis necessaria et opportuna faciendum, procurandum.

pertractandum et concludendum, melioribus modo et forma quibus ipsi possent, et prout ipsemet facere posset, si personaliter interesset, promittentes fide media, pro se heredibusque suis, habere ratum, stabile atque firmum quidquid per predictos nuncios suos seu majorem partem eorumdem factum, procuratum pertractatumque fuerit in premissis atque conclusum, sub expressa hypoteca et obligacione omnium bonorum suorum, mobilium et immobilium, presencium et futurorum, prout in supradictis literis plenius continetur.

Qui quidem ambaxiatores, onus ambaxiate hujusmodi in se assumentes, se transtulerunt versus oppidum Trajectense, adventum dicti regis, qui, ut dicebatur, in brevi Leodium veniret, inibi expectantes. Qui quidem dominus rex, in vigilia Nativitatis Christi anni M[i] CCCC[i] XVI[i] supradicti veniens de civitate Aquensi, transitum per dictum oppidum Trajectense faciendo, intravit ecclesiam Sancti Servacii, ubi facta oracione, capite sancti Servacii ac aliis reliquiis osculatis, supradicti ambaxiatores, conspectui suo se presentantes, sibi reverenciam debitam humiliter fecerunt, dicentes quod ad majestatem suam per predictum ducem Brabancie, ipsorum dominum, ad tractandum secum amicabiliter cum pleno mandato essent destinati. Quos singulariter per manus benigne recipiens dixit, quod ipsum ad Leodium sequerentur, ubi ipsos vellet clementer audire et expedire. Quo facto, dictus dominus rex statim equum ascendens se transtulit versus Leodium, ubi eadem die de vespere intravit.

Die vero sequenti, videlicet in festo Nativitatis Christi, dicti ambaxiatores, auditis missarum solempniis, de Trajecto recedentes itinerando Leodium pervenerunt, ubi post vesperas dictum dominum regem in palacio episcopali existentem accesserunt, a quo, facta reverencia, postularunt humiliter locum, horam et diem audiencie ipsis assignari. Quibus benigne respondit, quod in crastinum, videlicet in die Sancti Stephani protomartyris, post missam suam in eodem palacio ad ipsum venirent, et ea que proponere vellent, clementer audiret.

Quapropter predicti ambaxiatores, in dicta die Sancti Stephani eundem dominum regem hora et loco ipsis prefixis adeuntes, facta prius reverencia, majestati sue literas suas credenciales reverenter presentarunt. Quibus per ipsum benigne receptis, visis atque perlectis, iidem ambaxiatores per organum magistri Johannis Bont proponi fecerunt, primo, qualiter dominus

ipsorum, scilicet Johannes dux Brabancie et Lymburgis, sue majestatis fidelis et obediens consanguineus et subditus, se eidem majestati humiliter recommendat, offerendo sibi suum servicium ad suum beneplacitum promptum et paratum. Secundo, fecerunt dicti ducis Johannis excusacionem, ex eo quod ipse propria in persona ad serenitatem suam non venit, quia sibi, qui juvenis delicatus sive debilis corpore existit, tempus presens, frigidum et humidum, sue nature non congruit; et pari modo ipsum excusantes quod non citius ad majestatem suam destinavit, quia hoc salvo suo honore facere non potuit racionibus infrascriptis : primo, dum sibi interitus sui genitoris quondam ducis Anthonii primo innotuit, sibi naturaliter incumbebat mortem ejusdem sui genitoris lugere et deplorare: item ad ipsum regem dominum Parisius existentem venire sive destinare non decebat, attenta potencia adversariorum patrui sui domini ducis Burgundie, neque eciam in Anglia, consideratis circumstanciis obitus dicti sui genitoris, per Anglicos post captivitatem in bello, proch dolor! occisi : deprecantes humiliter majestatem suam cesaream, quatenus hujusmodi excusacionem gratanter accipere dignaretur. Item, tercio, supplicarunt humiliter dicto domino regi, quatenus et sue benignitatis gracia memoratum dominum Diestensem infeudare dignaretur, nomine et ad opus dicti Johannis ducis, atque debitum fidelitatis juramentum ab ipso recipere de omnibus et singulis, que a dicta sua majestate ac sacrosancto Romano imperio in feudum relevare et tenere tenetur, salvo quod dictus dominus dux hujusmodi homagium propria in persona faciet, et fidelitatis juramentum dicto domino regi prestabit loco et tempore ad hoc congruis, per eundem dominum regem ad hoc designandis.

Super quibus prelibatus dominus rex personaliter respondit, se proposicionem ac requisicionem, per organum antedicti magistri Johannis magistraliter exaratam, bene intellexisse, et signanter requisicionem factam de infeudacione prelibato domino Diestensi facienda : super quibus voluit dicere tria puncta. Primo, qualiter ducissa Brabancie, fratris sui regis Bohemie soror atque sua filia, post obitum quondam Anthonii ducis, sui mariti, indebite fuit expulsa sive ejecta ex Bruxella et Brabancia, ad ejusdem ducisse suique fratris regis Bohemie et suum magnum vilipendium et contemptum, quod, ut asseruit, esset publicum, notorium et manifestum. Item, secundo, quod supradicte sue filie ducisse de convencioni-

bus matrimonialibus, quas predictus rex Bohemie, frater suus, tractaverat, et eciam de suo dotalicio sive duario ac donacione propter nupcias, de quibus essent litere patentes, adhuc non esset provisum neque satisfactum: quod tamen minori nobili domine secundum jus sive legem patrie Brabancie fieri teneretur. Item, tercio, quod Brabancia contra ipsum tenetur occupata, quam asseruit de jure ad se spectare debere, tam ex devolucione ad imperium quam hereditaria successione ducis Wenceslai, quondam Lucemburgensis et Brabancie ducis, patrui sui, quemadmodum ipse hoc patrie Brabancie significaverat per ducem de Brige et Wilhelmum Hase de Waldeck, dominum de Reletez, unde dicta patria Brabancie sibi eorum responsionem significasse debuissent in festo Penthecostes proxime preterito, quod adhuc non fecerunt.

Ob quas quidem causas et raciones ipse adhuc non esset consultus sive deliberatus prelibatum dominum Diestensem infeudandi, quoad usque predicte ducisse, sue filie, de prelibatis convencionibus matrimonialibus, duario sive dotalicio et donacione propter nupcias provisum foret integraliter atque satisfactum; et eciam donec sibi contemptus et vilipendium predicta forent emendata, taliter quod dicte sue filie, fratri suo, regi Bohemie, et suus honor desuper esset conservatus; ac eciam donec racionabiliter fuerit edoctus, quod Brabancia non sibi sed dicto Johanni quondam Anthonii ducis filio pertineret, cui nollet aliquam inferre injuriam, et hoc facto ipse esset ille qui eidem Johanni duci, qui de sanguine suo esset exortus, ad jus suum conservandum et deffendendum assistere vellet et deberet. Dedit eciam intelligi, qualiter tempore ducis Anthonii predicti, et signanter non diu ante mortem suam, inter ipsum et eundem Anthonium certi tractatus habiti fuerunt, prout bene constaret domino de Heynsberch, qui ibi in ista relacione tunc affuit. Dixit ultra idem rex, quod dictus quondam Anthonius cum domina ducissa, fratris sui regis Bohemie sorore atque sua filia, vixisset sicut sibi placuit, de quo nollet multa dicere, quia erant vir et uxor.

Quibus verbis finitis, ambaxiatores Brabancie prelibati, a dicto domino rege petita et obtenta licencia, ad predicta tria puncta eidem domino regi in crastinum, scilicet in die et in ecclesia Sancti Johannis evangeliste, per organum prefati magistri Johannis Bont, responderunt ut sequitur:

Et primo, ad primum continens quod domina ducissa indebite sive

indecenter fuit ejecta ex Brabancia, fuit responsum, quod non diu post predicti quondam ducis Anthonii decessum tres status Brabancie notabiles ambaxiatores ad dictam ducissam, tunc viduam, in castro de Turnhout residentem, miserunt duos abbates, duos barones, duos milites et certos notabiles burgenses ex septem principalibus oppidis Brabancie, per dictos tres status ad hoc deputatos. Qui quidem deputati eandem dominam ducissam de lamentabili interitu dicti quondam ducis Anthonii, ejus consortis, verbis ad hoc debitis et requisitis consolantes, obtulerunt eidem quod, si placeret, ipsam vellent ducere ad quemcumque locum sibi in Brabancia melius complacentem, ad statum suum ibidem honorifice tenendum, quodque sibi de hujusmodi suo statu taliter provideretur, quod merito deberet contentari. Quod benigne memoratus dux Johannes insequendo, dum ipsa honorabiliter et magnifice ducta fuit in Bruxellam, quam habitandum elegit, et ad ipsum venit, ipsam honorifice, ut decuit, in hospicio suo apud Coudenberghe recolligens, de omnibus necessitatibus suis juxta status sui decenciam habundanter provideri fecit eidem. Cui de post amicabiliter fecit offerri, quod ipsam cum statu conscripto in quadam cedula, de consilio dictorum trium statuum ad hoc ordinata, cujus copiam sibi fecit exhiberi, vellet tenere expensis suis in dicto hospicio suo; et, si sibi non placeret secum in dicto suo hospicio morari, tunc provideret sibi de notabili domo seu habitacione in Bruxella, aut castrum suum apud Furam sibi traderet pro statu ducendo in eodem: ad quem tenendum sibi traderet annuatim quinque millia coronarum Francie in tribus terminis solvendarum, tamdiu et quousque sibi foret provisum de suo duario sive dotalicio, sicut deceret. Qui siquidem status dicte domine ducisse in scriptis exhibitus fuit, antequam sibi exhiberetur, per reverendum in Christo patrem episcopum Tornacensem et nonnullos alios illustris principis domini ducis Burgundie consiliarios et aliquos ex ejusdem domine ducisse consilio, scilicet per dominos Erhardum et Wenemarum de Gimnich, milites et fratres, visitatus et examinatus, qui ipsum notabilem et honorabilem judicaverunt. Quem quidem statum ipsa domina ducissa tunc acceptando, continue permansit penes dictum ducem Johannem, in suo hospicio apud Coudenberghe, usque ad mensem julii ex tunc immediate sequentem, anno Domini M° CCCC° XVI° : in quo mense ipsa domina ducissa ad se revocavit duas personas feminei sexus, que ad morandum secum in dicto statu

tamquam suspecte et minus honeste, non erant comprehense sed repulse, et loco illarum due alie generose matrone et domine, vite et morum honestate atque probitatum et virtutum meritis quamplurimum decorate, et omni mala suspicione carentes, scilicet domina de Hoochstraten baronissa et domina de Breda militissa. Dux vero Johannes et ejus consiliarii, advocacionem dictarum duarum feminarum percipientes, ipsam ducissam ad partem ducentes redarguerunt, offerentes sibi in secreto quod, si ille due persone fuissent reputacionis honeste, utique ipsi et tres status illas in statu suo penes ipsam dimisissent, quia ipsius domine ducisse generositate attenta, que ex potencioribus christiane religionis regibus et principibus traxit originem, ipsam non deceret sine nota tales secum in domo sua tenere suspectas; quare eamdem dominam ducissam affectuose deprecabantur, quatenus de supradicto statu sibi ordinato vellet stare contenta. Que more aspidis surde aurem suam obturans, dictorum ducis et sui consilii monitis salutaribus spretis et rejectis, maluit, ut asseruit, dictum dominum ducem et ejus hospicium quam illas duas personas dimittere. Dux vero et ejus consiliarii, hoc videntes, ipsam iterato et genibus flexis et flebilibus oculis rogaverunt, quatenus maneret et sibi ipsi tantum dedecus non faceret. Que tamdiu expectare nolens quod currus suus cum dextrariis adduceretur, ivit pedes ex dicti ducis hospicio ad domum unius feminarum predictarum; et, dum currus cum dextrariis et alii equi gradarii sibi mittebantur, illos indignanter acceptare recusavit. Deinde, videlicet die XVI[a] mensis julii predicti, ipsa domina ducissa ex Bruxella secrete recedens ivit peregre ad Dominam Nostram de Hal, que inde scripsit dominis de consilio dicti ducis predicti, quod pro tunc negocia secum taliter haberent, quod ipsam festinanter oporteret equitare, ob certas causas que sibi supervenerunt, quas heri nesciverat, dum a Bruxella recessit. Quapropter ipsos rogavit, quatenus excusacionem suam erga carum filium suum ducem Brabancie facere vellent, quod tam inopinate recessit sine licencia a dicto filio suo capienda, sperans ipsum breviter revisurum, prout in dicta litera sua plenius continetur, que fuit scripta in Hal, mensis julii die XVII[a]. Quibus attentis, probabiliter constat quod memorata domina ducissa ex Bruxella et Brabancia non fuit ejecta, quodque illud dicto domino regi, salvis suis honore et reverencia, sinistre fuit reportatum. Prelibatus eciam dominus dux et tres status antedicti bene vellent, quod dominus rex me-

ram veritatem de causa hujusmodi tam bene sciret sicut ipsi, sperantes indubie quod ipse dominus rex nullam emendam habere requireret de hiis que sibi sinistre et irracionabiliter sunt reportata; sed deberet illos, qui predictam dominam ducissam ad premissa facienda induxerunt, taliter facere corrigi et castigari, sicuti secundum exigenciam demeriti appertinere deberet, et quod honor dicti domini ducis suorumque consanguineorum et proximorum atque trium statuum desuper servaretur illesus.

Item, ad secundum punctum faciens mencionem de duario sive dotalicio domine ducisse prelibate, fuit per organum dicti magistri Johannis Bont responsum, quod antedictus dominus dux sepefate domine ducisse semper amicabiliter offerri fecit, et sibi in scriptis exhiberi, sibi de predicto suo duario sive dotalicio, et de omnibus causis in quibus sibi jus competit, per consilium ducis Burgundie, sui patrui, et ejusdem domine ducisse consanguineos et amicos se facturum quod racionabile foret et juridicum, sperans quod dictus dominus dux hac die taliter eciam faciendi erit consultus in quo ipse prefatum dominum regem et ejus nobile consilium non vitabit.

Item, ad tercium punctum mencionem faciens quod Brabancia sibi pertinere deberet, tam ex hereditaria successione ducis Wenceslai, quondam ducis Brabancie, patrui sui, quam ex devolucione ad imperium, prout hoc per supradictos ducem de Brige et dominum Wilhelmum Hase de Waldeck dictis tribus statibus fecerat significari, de quo adhuc nullam recepit responsionem, etc., fuit dicto domino regi per organum prefati magistri Johannis Bont responsum, quod esset verum quod predicti dux de Brige et dominus Wilhelmus Hase fuerunt in Brabancia (ad) onus ipsis injunctum ex parte ejusdem domini regis in oppido Bruxellensi, coram aliquibus et paucis prelibatis militaribus et deputatis oppidorum tunc ibidem congregatis, ad quod fuit ipsis per illos, qui ibi tunc pauci numero erant congregati, responsum, quod ipsi requisiciones ipsorum taliter qualiter intellexerant; sed, quia cause hujusmodi essent magne et ponderose, predictum ducem Johannem, eorum dominum, et communem patriam Brabancie quamplurimum concernentes, fuit ipsis deprecatum, quatenus hujusmodi suas requisiciones per articulos vellent ipsis tradere in scriptis, ad finem ne plus aut minus predicto eorum domino reportarent; quo facto, ipsi eosdem articulos referrent dicto eorum domino et communi patrie Braban-

cie, attento quod tres status ejusdem patrie non erant sufficienter congregati, et non plures quam quatuor prelati, pauci barones et milites, et dumtaxat deputati quatuor oppidorum, ad finem quod prelibatus dominus dux se desuper consultare posset cum domino duce Burgundie, suo patruo, et aliis dominis consanguineis suis et amicis ac communi patria Brabancie antedicta: quibus peractis, ipsi dicto domino regi desuper responsionem transmittere curarent infra festum Penthecostes tunc proxime venturum, intendentes semper facere illud quod facere tenerentur. Ad quod prelibati domini dux de Brige et Wilhelmus Hase responderunt, quod non erant onerati aliqua puncta sive articulos exhibere in scriptis, quodque erant missi ex parte dicti domini regis cum literis credencialibus eorum credenciam explicandi oretenus, quod onus ipsis sic injunctum ipsi transgredi non auderent; dixerunt eciam quod ipsis non fuit data potestas terminum respondendi prorogare. Et licet fuerit eisdem dominis duci de Brige et Wilhelmo Hase secundo et tercio supplicatum, quatenus predictam eorum requisicionem ipsis vellent in scriptis exhibere, ad quod ipsi semper eundem sermonem sicut prius responderunt; quare illi, qui pauci numero ex tribus statibus ibidem congregati fuerunt, nullum onus audebant assumere, nam antiqua consuetudo patrie hoc continet, nullum onus ab eorum principe nec a quoquam alio reportare nisi in scriptis. Quapropter memorati oratores et nuncii domini ducis Brabancie antedicti prefato domino regi humiliter supplicarunt, dominum eorum ducem et tres status antedictos pro excusatis tenere. Et quia hujusmodi tercium punctum esset multum arduum et magni ponderis, concernens dicti ducis, ipsorum domini, hereditatem, et non haberent potestatem ad illud respondendi, quare iidem oratores et nuncii eidem domino regi supplicarunt, ut prius, quatenus dignaretur ipsis illud tradi facere in scriptis: et, si hoc facere sibi non placeret, ipsi de hoc vellent esse boni nuncii, et reportare melius quo possent, etc.

Responsio domini regis super premissis. Cap. CXXXVI.

Quibus quidem causis et racionibus prelibato domino regi, sicut premittitur, in predicta ecclesia Sancti Johannis enarratis, ipse illico respondit animo irato, si ipsum ad hoc restringere vel coercere vellent, quod causas

suas in scriptis exhibere deberet; et si non esset rex Romanorum sed tantum rex Hungarie, merito deberet tali principi, sicut est dux de Brige, fides adhiberi de hiis que oretenus per literas exponeret credenciales, quodque secum non esset taliter illudendum vel irridendum. Item, quod domine ducisse, filie sue, de ejus duario sive dotalicio adhuc non esset satisfactum, quod tamen minori nobili domine de patria fieri deberet, ipse eciam corpus suum exponeret, vel eadem filia sua consequi vel sibi fieri deberet quod de jure sibi competit. Dixit eciam, quam cito veniret in Constanciam, ipse faceret Brabantinos citari, et ipsos gladio spirituali et eciam cum circajacentibus dominis ad judicium stringere.

Item, quod ipse dixit quod militares ex patria Lucemburgensi, qui ad dictam dominam ducissam, suam filiam, venerant, in despectum ipsius fuerunt in Bruxella captivati; qui quidem captivi deberent esse liberi et quiti, vel ipse permitteret quod amici sui tam bonos captivos ex Brabancia acquirerent vice versa. Dixit insuper, quod Brabancia ex antiquissimis temporibus semper spectasset ad imperium et Germaniam, et ad hoc ipse reduceret, vel ob hoc collum suum exponeret, petendo animo irato : « Vultis » ita esse Francigene? » cum istis verbis dicendo : « Vultis plus dicere? » vos habetis responsionem vestram, quare non exitis? Si non vultis exire, » tunc nos volumus exire; vadamus, vadamus. » Et sic recessit a domini ducis Brabancie oratoribus et nunciis supradictis. Et quia dictus dominus rex taliter fuit commotus, dicti domini ducis oratoribus non patebat locus neque tempus ad loquendum vel ad respondendum, ad hospicium eorum se retraxerunt.

Item est sciendum, quod, dum dicti oratores venerunt in ecclesiam Sancti Johannis predictam, supradictus dominus rex stetit ante summum altare, bibens ex calice vinum sanctificatum in honorem sancti Johannis evangeliste. Et postquam bibit, vocans ad se dominum Diestensem, prebuit sibi calicem, dicens : « Tu, domine Diestensis, bibe de hoc vino sanctificato in » honorem beati Johannis. » Qui respondit : « Domine, ego bibi hodie et » comedi. » Rex hoc audiens accendebatur et inflammabatur in facie : hoc videntes ex oratoribus, qui mores regis cognoverunt, dixerunt inter se : « Ecce rex est commotus, hodie non habebimus gratum responsum : » credentes firmiter, si dominus Diestensis bibisset, responsum optatum reportassent.

Sequuntur octo articuli supradictam dominam ducissam concernentes, quos prelibatus dominus rex coram antedictis oratoribus Brabancie fecit proponi et in scriptis exhiberi. Cap. CXXXVII.

Eodem die Sancti Johannis evangeliste, dum supradicti oratores ducis Brabancie erant in prandio, nobilis dominus Johannes de Loen, dominus de Heynsberch et Leuwenberch, misit ad magistros Johannem Bont et Emundum de Dynter, requirens quatenus ad ipsum venire vellent post prandium. Qui incunctanter, facto prandio, iverunt ad ipsum : qui dixit ipsis qualiter cum dicto domino rege esset locutus, quare videbatur sibi bonum quod dicti oratores se tenerent paratos; ipse sperabat quod dominus rex aliquos de suo concilio ad ipsos destinare deberet. Quare iidem oratores se transtulerunt ad majorem ecclesiam Sancti Lamberti, ubi ad ipsos venerunt predictus dominus de Heynsberch, dominus Wilhelmus Hase de Waldeck et dominus Conrardus Beyer, qui, facta salutacione, hincinde pariter iverunt ad hospicium domini de Heynsberch antedicti, ubi ex parte dicti domini regis proposuerunt articulos infrascriptos, quos ipsis tandem in scriptis exhibuerunt :

Primo, quatenus dicte domine ducisse provideretur et satisfieret de ejus duario sive dotalicio et aliis causis sibi de jure competentibus, etc.

Secundo, quod eidem domine ducisse exhibeantur sive tradantur litere de tractatu suo matrimoniali, et pari modo omnes litere terram Lucemburgensem attingentes, quas Romanorum et Bohemie rex olim duci Anthonio bone memorie et sibi concesserat, dicentes quod eedem litere modo dicte ducisse soli appertinere deberent, etc.

Tercio, quod castrum, oppidum et terra de Durbuy, ad patriam Lucemburgensem spectancia, sibi in manibus suis deliberentur, que domicellus de Monyouw contra ipsam detinet occupata, prout asseruerunt.

Quarto, quod dictus domicellus de Monyouw, Johannes de Hoeps et Emundus de Dynter certas literas ex thesauraria Lucemburgensi accepisse debuissent, et specialiter certas literas continentes qualiter Valkenborch, Millen, Gangelt et Vucht ad patriam Lucemburgensem spectare deberent, quod omnes hujusmodi litere restituantur.

Quinto, quod primi captivi, scilicet Huwardus de Elter, etc., et postremi,

scilicet Egidius de Rodemakere, etc., in manibus suis ponerentur, quia predicta patria Lucemburgensis sibi nunc appertineret, ut asseruerunt, quodque omnes officiarii sibi computum et racionem facere tenerentur.

Sexto, quod terra de Duffel et de Waelhem, quam quondam dux Anthonius, ejus consors predictus, cum eadem domina ducissa in pleno thoro conjugali emit et conquisivit, ac litere desuper confecte in manibus suis tradantur; et, si pari modo aliqua alia bona per eundem quondam ducem Anthonium fuerint conquisita, quod illa eciam ad manus suas exhibeantur, quoniam ipsa domina ducissa sperat, quod hoc sibi secundum legem patrie fieri debeatur.

Septimo, quod eidem domine ducisse per communem Brabancie patriam in suo primo jocundo adventu concessa fuerunt quinquaginta millia coronarum, unde non plus quam X millia recepit, quatenus sibi residuum persolvatur.

Octavo, quia quondam dux Anthonius predictus antedicte domine ducisse jocalia et clinodia sibi ordinata impignoravit, unde ejusdem domini literas habet sigillatas, necnon jocalia sua et clinodia, que ipsa in parte in necessitatibus suis impignoravit, quatenus hujusmodi jocalia et clinodia redimantur et sibi restituantur.

Quibus quidem requisicionibus, sicut premittitur, factis, supradicti domini rogaverunt oratores Brabancie supradictos, quatenus de ipsis vellent esse boni nuncii, ipsi e converso eciam melius curare vellent apud dominum regem predictum.

Informacio super responsionibus faciendis in proxima dieta inter predictos dominum regem et Johannem ducem Brabancie, tam ad puncta per eundem dominum regem in die et in ecclesia Sancti Johannis Leodiensis animo irato prolata, quam ad alia puncta antedictam dominam ducissam concernencia, eadem die post prandium coram dictis oratoribus Brabancie proposita et ipsis in scriptis exhibita. Cap. CXXXVIII.

Et primo, de duario sive dotalicio domine ducisse, etc., respondebatur, quod dominus dux Brabancie eidem domine ducisse semper fecit amicabiliter offerre, et sibi eciam in scriptis exhiberi, quod sibi de predicto suo

dotalicio, etc., et de omnibus aliis causis in quibus sibi jus competit, per consilium ducis Burgundie, patrui sui, et ejusdem domine ducisse consanguineis et amicis vellet facere quod equum fuerit et racionis, quodque desuper cum ipsa libenter tenebit dietam loco et tempore sibi competentibus, in quo dictum dominum regem aut ejus consiliarios non vitabit.

Ad secundum punctum, faciens mencionem de militaribus patrie Lucemburgensis in despectum dicte ducisse captivatis, etc., respondebatur, quod, dicti domini regis reverencia semper salva, eidem domino regi sinistre est reportatum, quod in ejusdem domine ducisse despectum fuerunt capti; sed est verum quod Egidius de Rodemakere, dominus Johannes Tzolveren, dominus Conrardus Montebaer, decanus Arlunensis, Heinricus Scheffeleer et Nycholaus Scalap, in oppido Bruxellensi, secundum legem ejusdem fuerint arrestati, ad faciendum computum et racionem de officiis ipsorum, que rexerant ex parte quondam ducis Anthonii in patria Lucemburgensi, quodque ad requestam eorum de arresto fuerunt relaxati usque ad certam diem ipsis ad hoc prefixam, ut eorum computa interim prepararent et apportarent juxta stylum camere computorum Bruxellensis, etc.

Item, ad tercium punctum, quod deberet Brabanciam ad imperium reducere, eciamsi ob hoc collum suum exponere deberet, etc., respondebatur, quod dictus dominus Johannes et quondam dux Anthonius, pater suus, nunquam aliud cogitaverunt nec in animo posuerunt, quoniam semper intendebant et desiderabant eidem domino regi et imperio facere quod tenerentur; et super hoc dictus Anthonius, pater suus, diversis vicibus ad majestatem suam transmisit : scilicet in Confluencia Engelbertum comitem de Nassouw, et in Narbona predictum dominum de Heynsbergh; et ipse dux dominus Johannes non est diu quod transmisit dominum Diestensem in Leodio, cum plena potestate ab eodem domino rege nomine ipsorum homagium et fidelitatis juramentum faciendum et prestandum, quodque se ab eodem domino rege et imperio Romano valde invite alienassent : cui dominus dux Brabancie predictus semper cupit obtemperare et facere quod de jure facere tenetur. Nichilominus idem dominus dux intendit semper regi et corone Francie facere quod de jure facere debebit de terris et dominiis, quas et que a corona Francie tenet in feudum, extra supradictum imperium situatis.

Sequuntur responsiones ad puncta dictam ducissam concernencia.
CAP. CXXXIX.

Ad primum punctum de dotalicio, etc., respondebitur, prout ad primum supradictum per dictum dominum regem est propositum.

Ad secundum punctum de literis, etc., respondebitur, quod dictus dux Brabancie non intendit tam recedere nude a literis predictis, in quibus et ad quas sperat quod juxta continenciam earumdem literarum magnum sibi jus et interesse sit acquisitum, quodque dicte litere comprehendunt plures articulos dicto domino duci Burgundie, sibi et patrie sue quamplurimum concernentes. Nichilominus idem dux Brabancie, per ejusdem domini ducis Burgundie, suosque et dicte domine ducisse consiliarios et amicos, in dictis locis et temporibus congruentibus desuper observandis, faciet quod justicia suadebit et ordo dictaverit racionis.

Item, ad tercium punctum de Durby, etc., respondebitur, quod super hoc dominus dux cum dicta domina ducissa eciam libenter tenebit dietam, per modum et formam in proximo scripto articulo comprehensam.

Item, ad quartum punctum de literis receptis ex thesauraria Lucemburgensi, etc., respondebitur, quod domicellus de Monyouw, Johannes de Hoeps et Emundus de Dynter super hoc fecerunt excusacionem, dicentes quod unus alium predictorum nunquam vidit in thesauraria. Et, si alique litere inde essent sumpte sive extracte, et in Brabancia portate, dux Anthonius prelibatus fuit princeps tam nobilis, virtuosus et racionabilis, quod valde invite permisisset aliquas literas inde capi et in Brabanciam transportari, que sibi et heredibus suis non appertinuissent. Et, quia dictum quartum punctum tangit de Valkenborch, Millen, Gangelt et Vucht, respondebitur ad hoc, quod dominus dux desuper libenter tenebit dietam, per modum et formam suprascriptos.

Item, ad quintum punctum de captivis primo et ultimo captivatis, etc., de ultimo captivatis respondebitur, prout supra ad secundum punctum regis est responsum; et de dictis ultimo et primo captivatis respondebitur, quod dominus dux desuper desiderat tenere dietam cum dicta domina ducissa, per modum et formam suprascriptos.

Item, ad sextum punctum de Duffel et de Waelhem, etc., respondebitur.

quod dictus dux peticionem hujusmodi puncti libenter faciet, quantum jus sive lex patrie hoc docet sive docebit, salvo quod domina ducissa ex parte sua eciam hoc faciet quod jus patrie indicabit.

Item, ad septimum punctum tangens de quinquaginta millibus coronarum. respondebitur, prout ad primum est responsum vel secundum, quia alias fuit responsum ad quartum articulum per ambaxiatores dicte domine ducisse, sui ex parte ad tres status Brabancie transmissos.

Item, ad octavum et ultimum punctum, tangens de clinodiis, jocalibus. etc., respondebitur, quando dicte ducisse placuerit partes ipsorum clinodiorum, etc., dicto domino duci tradere in scriptis, tunc sibi inde faciet quod facere tenebitur vel quod desuper secum tenebit dietam, per modum et formam suprascriptos.

De ordinacione per tres status Brabancie facta super statu hospicii Johannis hujus nominis quarti ducis Brabancie. Cap. CXL.

1417 Quia septem principalia oppida Brabancie, et cum ipsis oppidum Trajectense, perceperunt quod expense anni immediate preteriti in hospicio dicti domini ducis facte ad tantam summam ascenderant. quod status hujusmodi non possent continuari (expense enim domestice erant annuatim supra triginta quinque millia coronarum); quare dicta oppida, cum tribus statibus ad hoc convocatis. maturaque deliberacione desuper prehabita. propter honorem, profectum et utilitatem ejusdem domini ducis ordinaverunt, quod per quinque annos ex tunc proxime venturos communis patria Brabancie quolibet anno persolveret et exponeret sedecim millia coronarum aurearum Francie, ad tenendum deinceps cum eisdem statum ducis antedicti : infra quos quidem quinque annos, attenta ipsius ducis etate juvenili, fructus et reditus ex domanio ducis provenientes ac emende et forefacta deberent converti in redempcionem et exsolucionem castrorum, villarum et redituum impignoratorum et obligatorum, ad finem quod dictis quinque annis exspiratis ipse dominus dux cum suis propriis redditibus a modo statum decentem et honorabilem posset ducere, prout antecessores sui facere solebant; salvo quod ipse dominus dux infra predictos quinque annos, si sibi placeret suum statum et regimen personaliter assu-

mere, quod hoc facere posset post primum annum, dummodo hoc per unum annum ante significaret tribus statibus predictis, qui ex tunc non essent amplius astricti in persolucione summe sedecim millium coronarum predictarum.

Que quidem ordinacio fuit facta et dicto duci in scriptis tradita mensis januarii die XXIX[a], anno Domini M° CCCC° XVI° secundum stilum curie Cameracensis.

Item est sciendum, quod per istam predictam ordinacionem supradicte undecim persone ad regimen ejusdem ducis Johannis ordinate manserunt consiliarii, sed quotidie non habebant expensas in curia ducis, nec eciam stipendia, nisi specialiter mandati; eciam duc Johannes predictus non potuit instituere aliquos officiarios, nec diplomata concedere, nisi quatuor de consilio suo ad minus in eisdem literis essent signati presentes.

Quam siquidem ordinacionem predictus dux Johannes, nonnullorum usus consilio, qui non ejusdem ducis publicam sed propriam et privatam ipsorum querebant utilitatem, tantummodo per spacium septem mensium observavit, et ex tunc personaliter acceptavit regimen et administracionem sui status et patriarum sibi subditarum : quam tamen ordinacionem infra predictos septem menses infregit, instituendo in ammannum suum Bruxellensem Wilhelmum de Assche, qui per scabinos ibidem fuit admissus, absque hoc quod aliquis in literis commissionis fuit presens signatus.

Qualiter Johannes hujus nominis Brabancie dux quartus se transtulit versus Trajectum, ubi fuit in dominum receptus et intronizatus. Cap. CXLI.

Anno Domini M° CCCC° XVII°, in mense maio, memoratus Johannes dux 1417.
quartus, cum tribus statibus ducatus sui Brabancie consilio et deliberacione prehabitis, conclusit quod se transferret ad oppidum Trajectense, causa ab incolis ejusdem cum debitis fidelitatis et obediencie juramentis, more suorum progenitorum, in eorum dominum recipi, etc. Et quia dux Johannes in Bavaria, electus Leodiensis et comes Lossensis, per cujus terram et districtum idem Brabancie dux necessarie transire habebat, sibi suum salvum denegavit dare conductum, idem Brabancie dux, de consilio

sui consilii, proposuit cum tanta suorum hominum armatorum potencia illuc proficisci, quod emulorum suorum malivolenciam timere non haberet : mandans igitur fidelibus suis nobilibus et vassallis, quatenus armati ad ipsum venirent in oppido Diestensi, in die sabbati VIII^a mensis maii, mandavit insuper oppidis suis principalibus Brabancie, quatenus suos deputatos die eadem inibi destinarent ad proficiscendum secum ad oppidum suum Trajectense predictum.

Die vero dominica IX^a mensis maii predicti idem dominus dux Johannes cum suis nobilibus, numero octingentorum equestrium armatorum vel circiter, unacum deputatis oppidorum suorum antedictorum ab oppido Diestensi recedens, versus Trajectum iter suum arripuit. Et veniens in villam de Diepenbeke, que unacum castro ibidem ab ipso et ducatu Brabancie movetur in feudum, ubi pro se et comitiva sua cibaria et alia eciam pro pabulo equorum necessaria preparari et provideri fecit, descendentes comederunt et biberunt. Domicella vero uxor Johannis de Monyouw, domini temporalis de Diepenbeke, de predicto castro duci Johanni et comitive sue vinum et fercula diversa honorifice transmisit; solvit eciam omnia que per eundem ducem Johannem et suos ibidem fuerunt expensa et consumpta. Supradicto vero Johanne adhuc in mensa sedente, supervenerunt ibidem militares et nobiles ducatus Lymburgensis et aliorum dominiorum ultra Mosam sitorum atque burgenses Trajectenses in multitudine armatorum copiosa. Et dum dominus dux proficisci volebat, contigit quod trompetta sive tubicen oppidi Trajectensis prius quam trompetta ducis suam clangebat tubam: quare Johannes dominus de Wesemaele, marescallus hereditarius ducis Brabancie, et Johannes de Aa, marescallus curie domini ducis predicti, ad quorum officium spectabat facere tubicinari, contra predictum trompettam Trajectensem irati et commoti, ipsum percutere voluerunt. Ob quam causam insurrexit magnus concursus et tumultus inter predictos duos marescallos, ex una parte, et Trajectenses et militares ultramosanos, ex altera : quod dicti domini ducis officiarii, consiliarii et deputati oppidorum Brabancie percipientes, illico ad partes predictas accelerantes, contencionem hujusmodi ad se receperunt pacificandam, quam cito Trajectum venirent. Dum vero prelibatus dux Johannes venit ante portam Trajectensem, multi proscripti et exbanniti pro gracia consequenda voluerunt secum intrare : quod quia burgenses consentire noluerunt, porte

diu clause permanserunt. Tandem fuit tractatum, quod die sequenti deberet avisari et concordari, quales exbanniti et de quibus casibus ipsi gracia jocundi adventus dicti domini ducis potiri deberent, et simile de facto trompette. Quo tractatu, sicut premittitur, facto, atque portis oppidi apertis, et exbannitis exclusis, ipse dominus dux equitavit in claustro Sancti Servacii ad hospicium suum, communiter dictum hospicium ducis.

Die vero sequenti, videlicet lune Xª maii, domini de consilio domini ducis et deputati oppidorum Brabancie predictorum tenuerunt consilium de factis exbannitorum et trompette, decernentes quales exbanniti et in quibus casibus dicti domini ducis gracia gaudere deberent; eciam sedarunt questionem trompette predicti.

Altera vero die, scilicet martis XIª mensis maii predicti, memoratus dux Johannes, suis associatus nobilibus, equitavit extra portam Trajectensem, quam intraverat, et statim post hoc sibi obviam iverunt processionaliter, cum crucibus et vexillis, collegium ecclesie sue Sancti Servacii atque mendicantes, necnon scultetus, burgimagistri, scabini, consules et notabiliores burgenses, qui ipsum solempniter inthronizantes duxerunt in ecclesiam Sancti Servacii ante summum altare, ubi, facta oracione et sanctis osculatis reliquiis, prestitit suum juramentum, tale quale dux Anthonius ejus genitor prestitit, et alii sui antecessores, Brabancie duces, hactenus prestare consueverunt. Quo juramento sic prestito, duo burgimagistri duxerunt ipsum sub campanili, ubi pulsavit campanam; post hoc reduxerunt ipsum in quodam eminenti loco ante chorum, ubi sibi existenti burgimagistri, scabini et consules et notabiliores burgenses ibidem presentes ac tota communitas, stantes inferius, sibi prestiterunt debitum fidelitatis et obediencie juramentum, tale sicut predicto suo genitori prestiterunt, et suis predecessoribus, Brabancie ducibus, prestare consueverunt.

Diebus vero mercurii XIIª et jovis XIIIª predicti mensis maii antedictus dux continue permansit in Trajecto: in quibus diebus ipse renovavit suis subditis ultramosanis juramenta alias per dominum Heinricum de Bergis suo nomine ipsis prestita; et vice versa iidem subditi renovaverunt eciam juramenta sua in forma debita eidem domino Heinrico de Bergis ad opus dicti ducis prestita.

Die vero veneris XIIIIª dicti mensis maii, antedictus dominus dux recedens de Trajecto, venit die sabbati in Bruxellam. Et est verum quod pre-

libatus dux Johannes, in recessu suo a Trajecto, dimisit ibidem dominum abbatem Afflighemensem, dominum Diestensem, Rassonem de Gravio. dominum de Malene, Reynerum Moers et magistrum Johannem Bont, suos consiliarios, ac magistrum Wilhelmum Bont, suum secretarium, ad audiendum, decidendum et terminandum causas parcium juridice, vel amicabiliter concordandum.

De tractatu facto in Biervliet super matrimonio contrahendo inter illustres Johannem ducem Brabancie, etc., et dominam Jacobam in Bavaria ducissam et Hannonie, Hollandie et Zelandie comitissam. Cap. CXLII.

1417. Anno Domini M° CCCC° XVII° supradicto, in die sancta Penthecostes, que fuit XXX^a mensis maii suprascripti, obiit illustris princeps Wilhelmus, comes palatinus Reni, dux in Bavaria necnon Hannoniensis, Hollandie et Zelandie comes, qui ex illustri domina Magareta sua consorte, filia quondam illustrissimi principis domini Philippi quondam Francorum regis filii, Burgundie, etc., ducis, genuerat unicam filiam, nomine Jacobam, que tempore dicti sui patris habuit in maritum delphinum Viennensem et Thuronie ducem, serenissimi principis domini Karoli Francorum regis filium; et quia idem delphinus decesserat tempore dicti quondam ducis Wilhelmi, ex dicta domina Jacoba nulla prole relicta, quare idem quondam dux Wilhelmus, in lecto sue egritudinis decumbens, de qua non convaluit, in presencia comitum, baronum, militum et nobilium multitudine copiosa, pro sua ultima voluntate petivit et desideravit ab eisdem, quatenus ad hoc operam dare vellent efficacem, quod matrimonium tractaretur inter eandem dominam Jacobam suam filiam et Johannem ducem Brabancie supradictum, obtenta prius a sede apostolica super impedimentis inter ipsos existentibus dispensacione desuper necessaria et opportuna. Dum vero ejusdem quondam ducis Wilhelmi extrema voluntas et desiderium ad ipsius Johannis ducis Brabancie noticiam pervenerunt, profectus fuit cum magno et decenti apparatu atque statu ad illustrem principem dominum Johannem ducem Burgundie, suum patruum, primo in Mechlinia, videlicet die XVIII^a mensis junii anni M^i CCCC^i XVII^i predicti, et deinde in Gandavo, scilicet die XVI^a mensis julii ejusdem anni, existen-

tem, ubi super predicto matrimonio inter memoratos Johannem ducem et dominam Jacobam ducissam contrahendo, maturis deliberacione et consilio primitus prehabitis, fuit ordinatum quod ambe predicte partes cum eorum proximis, consanguineis et amicis deberent convenire ad unam dietam in Biervliet in Zelandia tenendam, ubi in hospiciis esse deberent die ultima mensis julii supradicti.

Qua siquidem die adveniente, antedictus Johannes dux Brabancie et Lymburgis, et secum illustris dominus Philippus tunc comes de Charolois, nunc vero Burgundie dux, Johannes de Loen, dominus de Heynsberch et de Leuwenberch, Johannes abbas Affligheniensis, Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, Johannes dominus de Wesemale, dominus Heinricus de Bergis, dominus Grymbergensis et de Melino, Reynerus Pot dominus de la Roche, dominus de Robais, dominus Heinricus de Diest, dominus de Riveria, Wilhelmus Blondelli dominus de Grenillis, dicti ducis Johannis primus cambellanus, magister Simon de Formellis, ac magister Johannes Mercatoris, secretarius suus, ibidem in hospiciis applicuerunt. Pari modo applicuit ibidem eciam, die ultima mensis julii predicti, dicta domina Jacoba, et secum predicta domina Margareta mater sua, ac reverendus in Christo pater dux Johannes in Bavaria, tunc electus Leodiensis, dominus Johannes de Ligne et de Bailleul, dominus Gerhardus de Edingen, dominus de Haverich, Wilhelmus de Bredenrode, Johannes borchgravius de Montfort, Johannes de Schoenvorst, borchgravius de Monyouw, tunc dicti domini electi Leodiensis thesaurarius, dominus de Donsteneve, dominus de Moncheaulx, dominus de Steynkerke, dominus Heinricus de Naelwyck, Jacobus de Floyen, Egidius de Aremude, et magister Johannes de Mailly.

Die vero sequenti, scilicet dominica prima mensis augusti, anno Domini M° CCCC° XVII° antedicto, inter Johannem Brabancie et Lymburgis ducem et predictam dominam Jacobam in Bavaria ducissam necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comitissam, in secundo gradu consanguinitatis et tercio affinitatis sibi invicem attingentes, interveniente ad hoc et infrascripta ex parte ducis Brabancie, illustrium principum dominorum Johannis quondam ducis Burgundie et Philippi tunc comitis de Charolois, nunc vero Burgundie ducis, et ex parte domine Jacobe, domine Margarete in Bavaria ducisse, genitricis sue, et reverendi patris Johannis ducis in

Bavaria tunc electi Leodiensis, patrui ipsius domine Jacobe, aliorumque cognatorum proximorum eorumdem, ac utriusque ipsorum nobilium et fidelium suprascriptorum, patriarumque eorumdem consilio pariter et assensu, ad laudem et honorem Dei, utilitatemque et profectum patriarum suarum, et signanter propter causas et raciones, quas omitto causa brevitatis enarrare, in literis dispensacionis desuper obtentis sufficienter expressatas, tractatum fuit de matrimonio inter eosdem ducem et ducissam contrahendo, et ad tantum deventum, quod uterque ipsorum et quilibet eorumdem pro parte sua, videlicet dux auctoritate et consensu domini Heinrici de Bergis antedicti, et ducissa auctoritate et consensu domini Johannis domini de Ligne prelibati, curatorum suorum per jus et sentenciam ad infrascripta peragenda ipsis datorum, hujusmodi tractatum sponte et libere laudavit, ratificavit et approbavit, ac ambo, sibi invicem manibus conjunctis in manibus predicti abbatis Affligheniensis, promiserunt solempniter, et corporaliter juraverunt, se in conjuges mutuo recepturos propter causas in supradicta dispensacione comprehensas, necnon ad solempnizacionem hujusmodi sacri matrimonii, obtenta tamen prius dispensacione super predictis impedimentis a sancta sede apostolica ad hoc necessaria, procedere debere. Et insuper conventum fuit per pactum, quod ipse dux Brabancie pro dispensacione opportuna super predictis impedimentis a prefata sede apostolica obtinenda pro dicto matrimonio contrahendo laboraret, et ad hoc omnem diligenciam sibi possibilem [1], ut hujusmodi dispensacio infra festum Pasche ex tunc proxime venturum a dicta sede obtineretur.

Quibus sic peractis, memoratus Johannes dux Bavarie, electus Leodiensis, sponte obtulit predictis duci et ducisse, si ab ipso desiderarent, quod propria in persona se transferret ad concilium Constanciense, animo pro ipsis super impedimentis predictis a sede apostolica dispensacionem impetrandi opportunam. De quo ipse dux Brabancie sibi multum regraciabatur, dicens quod in dicto Constanciensi concilio generali suos habebat ambaxiatores, quos approbando primitus omnia et singula, que per prelibati quondam ducis Anthonii, genitoris sui, ambaxiatores acta fuerunt in eodem concilio, duxerat transmittendum, scilicet magistros Lambertum

[1] Deest vox aliqua, forte *adhiberet*.

de Stipite, decretorum doctorem, priorem de Bertrez, Anselmum Fabri, decanum Beate Marie Antwerpiensis, Godefridum de Zichen, Beati Petri Bekensis decanum, in decretis licenciatum, Reynerum de Aernhem, Leodiensem, Petrum de Bruxella, Constanciensem canonicos, et Leonium de Baest, baccalaureos in theologia; quibus et nonnullis ad hoc per ipsum ordinandis committeret dispensacionem hujusmodi prosequendi et impetrandi. Et insuper fuit eciam in dicto oppido de Biervliet tractatum, quod dux Brabancie et ducissa domina Jacoba, sponsus et sponsa, ammodo permitterent dictum Johannem Bavarie ducem pacifice et quiete perfrui et gaudere omnibus et singulis, que quondam dux Albertus genitor et quondam dux Wilhelmus germanus suus sibi dederant, et que eadem domina Jacoba neptis sua sibi dare promiserat post mortem patris sui. De quibus ipse dux Bavarie ex tunc fuit contentus, faciens provide predictis Brabancie duci et sue sponse homagium et debitum prestans fidelitatis juramentum, quem tunc in eorum consiliarium retinuerunt, ordinando, quandocunque in curia ipsorum adesset, quod sibi deliberarentur victualia pro se et quadraginta personis et totidem equis: si vero plus expenderet, hoc esset sumptibus suis. Quod non placuit Johanni de Monyouw, qui erat suus thesaurarius, qui libenter vidisset, quod sibi victualia pro tota sua familia ministrarentur, et quod taliter in ordinacione curie scriptum fuisset.

De procuratoribus per ducem Johannem Brabancie constitutis ad dispensacionem impetrandam a sede apostolica seu sacro generali concilio Constanciensi super defectibus, *etc.* Cap. CXLIII.

Die vero tercia mensis augusti predicti, sub anno Domini M° CCCC° 1417.
XVII° antedicto, memoratus Johannes dux Brabancie, insequendo tractatum in Biervliet concordatum inter ipsum et dominam sponsam suam, cum qua contraxerat sponsalia per verba de futuro ad hoc apta, per suas literas patentes constituit et ordinavit nuncios seu procuratores, scilicet reverendum dominum in Christo patrem Martinum episcopum Atrebatensem, magistros Petrum Canchon vicedominum Rhemensem, Johannem Papiot, domini ducis Burgundie consiliarios, et Johannem Bont, in utroque jure licenciatum, et eorum quemlibet in solidum, ipsis dans potestatem

plenariam et mandatum speciale, a sede apostolica seu sacro generali Constanciensi concilio, ac alio vel aliis ad hoc potestatem habentibus, ut non obstantibus impedimentis supranarratis ad solempnizacionem sacri matrimonii procedere valeant, dispensacionem sive licenciam impetrandi, prout in predictis literis plenius continetur et habetur.

Qualiter Johannes dux Bavarie electus Leodiensis nitebatur impedire dispensacionem supradictam. Cap. CXLIV.

1417 Anno Domini M° CCCC° XVII° sepedicto, in mense septembri, Johannes dux Bavarie predictus se transtulit de Leodio, ubi postea nunquam fuit reversus, et venit in Dordrecht, ubi procuravit se recipi et intronizari in dominum ipsorum, non obstante quod ipse consensum et assensum adhibuerat in Biervliet in matrimonium contrahendum inter predictum ducem Brabancie et neptem suam dominam Jacobam antedictam, tenens se pro contento de hiis que pater suus dux Albertus et frater suus dux Wilhelmus sibi assignaverant, et domina Jacoba sibi assignare et concedere adhuc deberet. Deinde idem Johannes dux Bavarie, XXIII^a^ mensis septembris anni predicti, ad supradictam dispensacionem impediendam sacrosancto cardinalium collegio fecit porrigi unam supplicacionem sequentis tenoris :

« Reverendissimi patres et domini presanctissimi. Johannes, quondam ducis Brabancie Anthonii filius, et Jacoba, quondam Wilhelmi Hollandie comitis filia, existentes in secundo gradu consanguinitatis, matrimonium contrahere promiserunt, in casu quo dispensacionem a sede apostolica possent obtinere. Est verum, reverendissimi patres et domini, si matrimonium dictarum personarum, sic in secundo gradu consanguinitatis conjunctarum, sortiretur effectum, non modica scandala, eciam diversa homicidia et alia mala exinde possent exoriri, maxime cum hujusmodi matrimonium fieret in prejudicium successionis et hereditatis illustris principis et domini, domini Johannis electi Leodiensis, comitis palatini Reni et Bavarie ducis. Ad obviandum hujusmodi scandalis, et ne dicti contrahentes in hujusmodi errore perseverent, supplicatur vestris reverendissimis paternitatibus, pro parte dicti domini electi et ducis, qui est frater patris dicte

filie contrahentis, quod committatur alicui in hoc sacro concilio, aut in partibus et locis vicinis, et, si placet, Treverensi vel Coloniensi archiepiscopis, si perceperint dictos contrahentes fore in secundo gradu consanguinitatis, quod ex tunc matrimonium declarent, prout est, nullum, eisque in futurum contrahere inhibeant, et alia in hiis faciant opportuna, etc. »

Item est sciendum, quod dictus Johannes Bavarie dux fecit dominum Romanorum et Hungarie regem taliter informari, quod ipse ad impediendum dispensacionem hujusmodi porrigi fecit singulis concilii Constanciensis antedicti certam supplicacionem tenoris sequentis :

« Nichil est, reverendissimi patres et domini, tam proprium hujus generalis sacri concilii, quam omnis generis scandalis et futuris periculis obviare, presertim que contra jus et justiciam creduntur a certo et verisimiliter exoriri : hinc est quod Johannes, filius quondam ducis Brabancie, et Jacoba, filia quondam comitis Hollandie, existentes in secundo gradu consanguinitatis, promiserunt invicem matrimonium contrahere, si possent super hujusmodi impedimento dispensacionem sedis apostolice obtinere. Est verum, reverendissimi patres et domini, quod, nisi per reverendissimas paternitates vestras diligenter et celeriter occurratur, ex hujusmodi matrimonio verisimiliter provenirent non mediocres guerre, sed crudelissime, ex quibus indubitanter suscitarentur et horrenda pericula tam in spiritualibus quam in temporalibus infinita, presertim si ex hujusmodi contractu, vigore cujuscumque dispensacionis concilii, que melius et dignius dissipacio diceretur, contingeret carnalem copulam inde sequi: de maximo enim prejudicio agitur ac diminucione honoris et status illustris ac prepotentis prosapie dominorum, quibus ab intestato deferretur hereditas sive successio dominiorum dicti quondam comitis Hollandie, dicta Jacoba ejus filia contrahi possent et valeant [1], per que hujusmodi dissenciones et scandala, guerre ac infinita homicidia vitabuntur. Supplicatur pro parte serenissimi ac invictissimi principis et domini, domini Sigismundi, Dei gracia Romanorum, Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc., regis semper Augusti, quatenus hoc generale concilium committat et mandet alicui prelato in hoc sacro concilio, quatenus de premissis summarie se informet, et, si repperit dictos Johannem et Jacobam secundo consanguinitatis gradu esse conjunc-

[1] Verba quaedam in Cod. MS. desiderantur, ita ut phrasis incompleta haereat.

tos, declaret et denunciet dictum pretensum contractum matrimonium esse nullum, dictisque Johanni et Jocobe, sub excommunicacione et aliis censuris et penis, inhibeat ne ulterius in futurum tale pretensum matrimonium contrahant : cum potestate insuper inhibendi reverendissimo patri summo penitenciario, ac quibuscumque aliis potestatem hujusmodi dispensandi possidentibus, ne super hujusmodi contractu dispensare, aut quidquam tale seu equipollens attentare presumant, seu alter eorum presumat, cum potestate contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescendi, premissis et aliis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. »

Quid Johannes dux Bavarie in Dordrecht existens a domina ducissa Jacoba, nepte sua, et patriis Hollandie et Zelandie requisivit. Cap. CXLV.

Postquam Johannes dux Bavarie contra predictam dominam Jacobam, neptem suam, et in ejus prejudicium in Dordrecht fuerat receptus et in dominum intronizatus, statim causam sui adventus in Dordrecht bonis oppidis Hollandie et Zelandie literatorie significavit, et inter cetera, quod post decessum quondam ducis Wilhelmi, sui germani, percipiens magnam divisionem et parcialitatem in Hollandia existentem, se transtulit in Dordrecht ad ponendum patriam illam in bona unione, tranquillitate et pace, ad finem quod quilibet per jus et justiciam sive sentenciam tractaretur; quodque cum dicta nepte sua concordavit taliter, ut asseruit, quod per ipsam et dilectam sororem suam, ejus matrem, et per ipsum unus thesaurarius et alii nobiles pro regimine patrie essent instituti, qui sibi promiserant quod omnia cum suo consilio agere deberent. Scripsit eciam, quod ipse esset verus tutor et mamburnus Hollandie et Zelandie, quamdiu dicta neptis sua legitimum tutorem et maritum non haberet, qui ejus et dictarum patriarum suarum curam et regimen gerere posset; et quia sibi novissime in Leodio existenti plurime questiones et querele porrecte fuerunt, continentes multas injusticias et violencias subditis earundem patriarum illatas, quare se illico properavit versus Dordrecht, ad finem quod eisdem subditis desuper providere possit de remedio opportuno, et eciam dictis bonis oppidis assistenciam faceret, quod eorum privilegia, libertates, bone consuetudines

et observancie ammodo sine infractione deberent observari. Quapropter predicta oppida instanter requisivit, quod sibi in premissis assistenciam facerent, et signanter in tutela et mamburnia, que sibi de jure, ut asseruit, appertineret : ipse enim in nullo vellet prejudiciare nepti sue predicte; obtulit eciam se dictis patriis facturum quidquid bonus tutor et mamburnus facere teneretur. Requisivit insuper, quod ista puncta non solum scabinis et justicie, sed eciam communitatibus oppidorum publicarentur.

Super quibus dicta domina ducissa Jacoba vocavit literatorie nobiles et bona oppida Hannonie, Hollandie et Zelandie ad certam dietam in Schoenhoven, ubi Johannes dux in Bavaria eciam applicuit. In qua dieta ducissa, cum suo consilio necnon nobilibus et deputatis bonorum oppidorum suorum predictorum maturis deliberacione et consilio prehabitis, fecit antedicto duci Johanni in Bavaria ad suas requisiciones prelibatis oppidis suis factas responderi, quod ipsa et similiter ejus consiliarii et bona oppida bene scirent, quod ipse de jure suus tutor et mamburnus esse deberet, si sub pupillari etate esset constituta; sed, quia ipsa extra eandem etatem pupillarem et ad annos legitimos pervenerat, esset cum dictis patriis suis Hannonie, Hollandie et Zelandie taliter consulta et deliberata, quod in iisdem nullum tutorem vel mamburnum habere neque regentem ponere volebat : quare ab eodem duce Johanne in Bavaria fecit requiri, quatenus de responsione contentus ipsam amplius super premissis non inquietaret. Et quia nuper fuerat ordinatum, quod ipsa domina Jacoba per consilium domine genitricis sue et Johannis ducis Bavarie, patrui sui, et aliorum tunc nominatorum dictas suas patrias deberet regere et gubernare, hanc ordinacionem ipsa utique observare vellet et facere observari, et si quis, cujuscumque condicionis eciam fuerit, contra eandem forefecerit, quod alter alteri emendare deberet.

Que oblacio dicto duci Johanni, suo patruo, eciam non placuit; quare idem dux Johannes ab eadem nepte sua petivit habere regimen et administracionem terrarum suarum predictarum, non ut tutor vel mamburnus, sed ut ejus commissarius et officiarius.

Ad quod ipsa domina Jacoba preavisata fecit sibi responderi, quod ipsa prima die mensis augusti proxime preteriti in Biervliet iniit certum tractatum super matrimonio contrahendo inter ipsam et Johannem ducem Brabancie et Lymburgis, sponsum suum, cum consilio, assensu et volun-

tate domine genitricis sue, domini ducis Burgundie, sui avunculi, domini comitis de Charolois, sui nepotis, ac ejusdem ducis Johannis in Bavaria, sui patrui, qui ad hoc suum eciam adhibuit consensum, necnon nonnullorum proximorum, consanguineorum, amicorum et fidelium suorum ac oppidorum suorum predictorum : quare ipsa non erat consulta, quod cum ipso patruo aut quocumque alio aliquem novum vellet inire tractatum absque consilio suorum dominorum proximorum et trium patriarum predictarum suarum. Nichilominus, si predictus Johannes patruus suus, in Bavaria dux, aliquid amplius ab eadem domina Jacoba vellet habere vel postulare, ipsa obtulit se promptam et paratam, se sibi semper facturam per consilium dominorum ducis Burgundie, sui avunculi, comitis de Charolois, nepotis, et trium patriarum suarum antedictarum, Hannonie videlicet, Hollandie et Zelandie, quidquid sibi de jure facere teneretur.

De qua quidem responsione dictus Bavarie dux non contentus, recedens de Schoenhoven se transfretavit versus Dordrecht, mensis novembris die III^a^, anno Domini M^o^ CCCC^o^ XVII° suprascripto.

De electione Martini pape quinti in sacro generali Constanciensi concilio celebrata, per quem unio in ecclesia Dei sancta est subsecuta. Cap. CXLV^bis^ [1].

Anno Domini M^o^ CCCC^o^ XVII°, tempore Sigismundi Romanorum et Hungarie regis, die X^a^ mensis novembris, in supradicto sacro generali Constanciensi concilio Martinus quintus, nacione Romanus, fuit electus in papam, et coronatus die XXI^a^ ejusdem mensis. Hic se elegit vocari Martinum quintum, eo quod in die Martini pape et profesto Sancti Martini episcopi fuerat electus. Hic antea vocabatur Oddo de Columpna, Sancti Gregorii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, de Columpna communiter nuncupatus : cujus electionis data habetur in hiis verbis : *Vivat columpna ecclesie*, prout de hujusmodi pape Martini electione clarius patet per ipsius literas patentes, more Romane curie bullatas, quas desuper

[1] Supra p. 13 notatum fuit in codd. MSS. bis exstare hujus capitis vel capituli CXLVI numerum.

transmisit Johanni duci Brabancie, quarum tenor sequitur in hec verba et est talis :

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio suo, nobili viro duci Brabancie, salutem et apostolicam benedictionem. Misericors et miserator Dominus, unigenitus Dei filius, Jesus Christus, qui celestia similiter et terrena sue majestatis omnipotencia dirigit et gubernat, sacrosanctam Romanam catholicamque ecclesiam, sponsam nostram, quam non facto solum sed sui proprii ac sacratissimi sanguinis aspersione fundavit, sue pietatis oculis ab alto respectans, ipsius viduitatis incommoda, post resignacionem juris papatus per olim Johannem XXIIIum, ac consequenter per Gregorium XIIum, ipsiusque eciam Johannis deposicionem ab ipso papatu, et per privacionem de Benedicto XIIIo eciam a papatu hujusmodi, ut toti orbi jam debet esse compertum, in hoc generali concilio Constanciensi ac per ipsum canonice celebratas, deplorare ulterius non est passus. Post longos, varios, diuturnosque tractatus, inter collegium venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium, de quorum numero tunc eramus, ac quosdam venerabiles prelatos et alios deputatos nacionum prefati concilii super electione futuri Romani pontificis celebracione solempniter habitos, et consilia impertita diebus hiis proximis, ad instar divina superillustrante clemencia in ipso concilio extitit, summo omnium consensu, pro effectu saluberrime unionis in prefata ecclesia consequendo ac totali extirpacione nefandi schismatis, salubriter ordinatum, quod collegio ipsorum cardinalium, ad eligendum ipsum futurum pontificem, per quinque naciones in eodem concilio existentes sex pro qualibet in coelectores adjungerentur: ita quod ille, qui per duas partes ipsius collegii concorditer, et subsequenter per duas partes coelectorum cujuslibet ipsarum nacionum in papam eciam concorditer eligeretur, pro unico, vero et indubitato Romanorum pontifice a cunctis Christi fidelibus haberetur, prout in decretis dicti concilii confectis desuper et solempniter publicatis lacius continetur.

» Unde, sicut equidem Altissimo placuit, est effectum, quod, celebrata per naciones ipsas electione dictorum electorum triginta numero, et approbata per concilium, die lune octava mensis presentis, circiter horam quartam post meridiem, in illius nomine qui perpetua mundum racione gubernat, cardinales numero viginti et tres et triginta coelectores, hujusmodi cooperante Spiritus Sancti gracia, conclave, libertate atque securitate et cele-

berrima ab extra custodia munitissimum, ad pacem ecclesie aspirantes intrarunt, missarumque celebratis de more solempniis, ac deinde consiliis habitis repetitis, prout tante rei sublimitas exposcebat, die jovis XI^a^ hujus mensis, celebritatis beati Martini confessoris et pontificis, hora quasi decima, eodem Spiritu, qui fidelium vivificatorum mentes illustrat ac dirigit semper in bonum, mentes nostras uniformiter et humillime ac eciam concorditer inspirante, ad Altissimi laudem et gloriam ac statum ipsius ecclesie, evulsionemque totalem ex agro dominico prefati scismatis, cardinales et coelectores prefati in nos, tunc Sancti Gregorii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, licet ex fragilitate humane condicionis ad tantum onus regiminis universalis ecclesie insufficientibus humeris, eorum vota unanimiter, discrepante nemine, direxerunt, in jubilo hymnum *Te Deum laudamus* decantantes, moxque eciam intronizavere ac eciam adoravere solempniter, ut est moris, ac denuo, servatis solempniis juxta prefate ritum ecclesie, in Constanciensi ecclesia, astante precelebri ipsorum cetu, necnon karissimo in Christo filio nostro Sigismundo, Romanorum et Hungarie rege, illustri prelatorum, ducum ceterorumque nobilium cleri et populi multitudine copiosa, nostre coronacionis insignia cardinales ipsi, ad sempiternam nominis Creatoris nostri laudem et prefate gloriam ecclesie, hac presenti die exultantibus animis peregerunt.

» Que nobilitati tue, cujus tranquillitatem ac statum paterna in Domino caritate complectimur, nominis equidem ab experto eandem filiali affectione diligere, ad cujus filialem ac jugem continuacionem ipsam nobilitatem tuam cordialiter exhortamur, intimare providimus per presentes. Datum Constancie, XI° kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo. Sic signate : P. de Cesariis. — Dilecto filio et nobili viro Johanni duci Brabancie, etc. »

Hujus siquidem tempore pape Martini sedatum est scisma, quod duravit per XL annos vel circiter. Hic dissolvit concilium Constanciense, in quo erant CCXLV mitrati; et, quamquam plura concilia fuerunt celebrata ubi plures fuerunt episcopi, nunquam tamen auditum est, quod unquam fuit solempnius concilium quam Constanciense, tum propter nobilitatem prelatorum, tum propter multitudinem principum et eorum ambaxiatorum, tum eciam propter decreta ibi decretata. Hic recepit dominum Balthasarem de Coxa, olim papam Johannem XXIII^um^, postea depositum, in suam graciam.

et eum promovit in cardinalem, et sic ipse Balthasar venit ad Florenciam, et ibi de post obiit. Hic dominus papa dispensavit, quod Johannes de Bavaria subdyaconus, electus Leodiensis, posset matrimonium contrahere cum domina Elyzabeth, filia illustris Johannis quondam ducis Gorlicensis, fratris germani Wenceslai Romanorum et Bohemie regis et Sigismundi Romanorum et Hungarie regis, postea imperatoris, sua commatre, relicta quondam domini Anthonii ducis Brabancie. Hic eciam dispensavit, quod Johannes dux Brabancie, filius ducis Anthonii predicti, cum supradicta domina Jacoba ducissa in Bavaria, sua consanguinea, in secundo gradu consanguinitatis et tercio gradu affinitatis sibi invicem attinentibus, matrimonium contrahere posset, prout inferius patebit. Hic eciam papa, anno pontificatus sui quarto, misit unum cardinalem tituli Sancti Clementis legatum de latere, ad predicandum crucem contra Bohemos : qui cum electoribus imperii ex Germania, Brabancia et Flandria acquisitum sibi exercitum, ultra centum millia pugnatorum, in Bohemiam duxit, qui ibi multa mala fecerunt, sed nichil profecerunt, quia propter defectus victualium et discordiam principum coacti fuerunt repatriare, quia litigabant pro spolio habendo. Item iste papa multas vias attemptavit per suos legatos, ut Bohemos ad fidem reducere posset; sed nichil potuit proficere. Tandem, anno Domini M° CCCC° XXXI°, misit Julianum de Cesarinis, tituli Sancti Angeli dyaconum cardinalem, in Germaniam, ad celebrandum concilium in Basilea pro extirpacione heresis Bohemorum, et pro reformacione ecclesie in capite et membris. Sed antequam concilium erat inchoatum, dominus Martinus obiit.

Iste Martinus recuperavit totum patrimonium ecclesie. Hic reformavit ecclesias urbis, per Ladislaum regem tempore predecessoris sui destructas. Hic tenuit vias in magna securitate, ita quod quilibet secure posset ambulare cum rebus suis; erga violatores viarum fecit justiciam sine misericordia. Hic congregavit sibi thesaurum infinitum, imo dicitur quod habuit decem milliones, et quilibet millio valet mille millia ducatorum auri; sed iste thesaurus non profuit postea ecclesie, neque sibi contra mortem. Hujus tempore in Papia civitate fuit inchoatum concilium, prout ipse papa in Constancia ordinaverat; sed propter pestilenciam ipse transtulit hoc in Senis, et propter incommoditatem loci fuit dissolutum concilium Senense, et decretatum quod anno a nativitate Domini M° CCCC° XXXI°, quarta mensis

marcii, deberent concilia in Basilea inchoari et celebrari, juxta decreta concilii Constanciensis. Et ideo, ut premittitur, misit dictum dominum cardinalem Sancti Angeli, ut ibidem nomine suo celebraret concilium; sed ante tempus inchoacionis concilii obiit, anno Domini M° CCCC° XXXI°, secundo februarii, seditque annis tredecim, mensibus tribus, diebus XIX, et vacavit sedes per dies undecim.

De bello apud Gorinchem conserto, in quo domicellus Wilhelmus de Arckel et dominus Walramus de Brederode interierunt. Cap. CXLVI.

1417. Eodem anno M° CCCC° XVII°, in mense novembri, domicellus Wilhelmus, filius domini de Arckel, dominus de Borne et de Sittart, heres ducis Gelrie et Juliacensis, assistentibus sibi dominis de Egmonda et Gelrensibus, atque gentibus armorum ducis Johannis in Bavaria, cepit et recuperavit oppidum de Gorinchem, quod dudum ad dominum de Arckel, suum genitorem, jure hereditario spectare solebat; sed gentes predicte domine Jacobe ducisse tenebant castrum in dicto oppido, super flumen Marweide situatum. Quod predicta ducissa Jacoba percipiens, incunctanter, congregatis fidelibus suis nobilibus, vasallis et bonis oppidis Hollandie atque civibus civitatis Trajectensis, navigio venit usque ad dictum suum castrum, quod intrantes ipsa domina Jacoba suum vexillum figi fecit ante portam castri, sub quo ipsa cum domina genitrice sua se tenuerunt; gentes vero sue ex eodem castro prosilientes dictum domicellum intrepide assaltando debellarunt, in tantum quod victoriam reportaverunt. Ubi fuerunt interfecti domicellus Wilhelmus de Arckel et dominus Walramus de Brederode prelibati, dominus de Petershem et dominus Arnoldus de Ordingen; comes de Virnenborch fuit captus, et Wernerus de Vlaeten ac Johannes de Rynshem; reliqui vero fuerunt capti vel occisi, exceptis illis, et signanter Gelrensibus, qui pro latibulo fugam elegerunt pro pugna. Et sic dicta domina Jacoba recuperavit oppidum suum de Gorinchem supradictum. Hoc autem bellum accidit in die Sancti Eligii, que fuit prima decembris anni M^i^ CCCC^i^ XVII^i^ predicti.

Est autem verum, quod domina ducissa suos nuncios speciales miserat ad predictum ducem Brabancie, sponsum suum, ipsum exhortando, quia

de jure sponsus tenetur deffendere jura sue sponse tamquam propria, quatenus contra predictum Johannem ducem in Bavaria, patruum suum, cum gentibus suis armorum auxilium et assistenciam sibi impertiri dignaretur. Quare idem Brabancie dux sibi in auxilium destinavit Engelbertum comitem de Nassouw, dominum de Lecka et de Breda, dominum Heinricum de Lecka, dominum de Hezewyck, dominum Heinricum de Bergis, dominum de Grymbergis et de Melino, tamquam capitaneos, cum plus quam quadringentis armigeris, pro custodia sui oppidi de Rotterdam, quod dictus Bavarie dux vicibus diversis fecerat oppugnari, et sic gentes dicti ducis bello de Gorinchem non interfuerunt. Est verum, quod idem dux Brabancie, congregata gencium armorum multitudine copiosa, iter arripuit animo proficiscendi in auxilium domine ducisse Jacobe, sponse sue predicte: sed, quia sibi in itinere existenti venerunt nova, que eadem sponsa literatorie sibi significavit, quod de inimicis suis bellando victoriam reportavit, idem dux cum suis Bruxellam est reversus; nichilominus destinavit aliquos ad ipsam de consilio suo, suo nomine de predicto triumpho gratulandi atque suum obsequium offerendi, etc.

Qualiter Martinus papa quintus dispensavit cum duce Johanne Brabancie et ducissa Jacoba Bavarie super defectibus, etc., ad matrimonium invicem contrahendum. Cap. CXLVII.

Quam cito dicto Johanni duci creacio [1] innotuit, ipse necnon tres status Brabancie eidem domino pape literatorie supplicarunt, quatenus, rejectis emulorum assercionibus frivolis et injustis, propter causas et raciones in suis literis declaratas, quas brevitatis causa omisi hic inserere, quia in literis dispensatoriis infrascriptis satis sunt declarate, dispensacionem supradictam annuere et graciose concedere dignaretur, literasque inde concedere necessarias et opportunas; quare ipse dominus noster papa, dictorum ducis et trium statuum Brabancie precibus favorabiliter inclinatus, predictas literas dispensatorias concessit sub tenore sequenti :

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro

[1] Scilicet *Martini V.*

Johanni Brabancie et Lymburgis duci, ac dilecte in Christo filie Jacobe, in Bavaria ducisse, necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comitisse, salutem et apostolicam benedictionem. Ineffabili sedentis in throno, cujus potestas est imperium summi patris, refertus providencia, apostolorum principis, celestis clavigeri, successor, Jesu Christique vicarius, Romanus pontifex, cuncta mundialia intuitu corporeo transcendens climata, omniumque nacionum qualitates et ortus condigne secernens resolucionis acie, juxta officii debitum, ut reddende potissime villicacionis tempore grex sibi resultans creditus quorumlibet fidelium pacis et salutis incentiva explorat irrigua, et canonum, humanarum videlicet edicionum, presertim circa dignitatis atque prosapie prerogativa fulgentes districte rigore, prout temporum necnon personarum et locorum persuadet, qualiter dispensatorie consuetudines municulum salubriter intermittit. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita peticio continebat, quod vos, quorum dicioni temporali oppida et fortalicia, necnon ville et munimenta, eciam limitibus contiguis numero plurima subesse noscuntur, nonnullorum parentum vestrorum et amicorum communium, procerum quoque et magnatum parcium illarum consiliis et deliberacionibus recollectis, et presertim pro vitandis consternendisque guerrarum et novitatum aliarumque calamitatum aculeis, scandalorum precipiciis et dispendiis innumeris, alias eciam cum execrabili et multiplici personarum deletu verisimiliter proventuris, et ut partes ipse earumque habitatores ac incole pacis ac tranquillitatis vegetentur amore sponsaliorum inter vos contractorum, ad presens preparatoriis habitis copulari invicem matrimonialiter affectatis, super sorcienda, pro eo quod secundo consanguinitatis et tercio affinitatis gradibus vos attingitis, dispensacione canonica, apostolice sedis patrocinium humiliter implorantes : nos igitur, qui in supremi culminis specula, post lugubris in Dei ecclesia stirpati alias scismatis juxta Omnipotentis manum exterminium, divinitus sublimari conspicimur, caula conjuncta dominica eciam inter fideles eosdem peregrinorum eventuum concussis laqueis ad ovilis personarum quoque et mencium propaginem motus et inclinaciones dirigentes, ex actis premissis, et aliis legitimis nobis expositis suadentibus causis, vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, vobiscum, dummodo tu, filia Jacoba, propter hoc rapta non fueris, ut impedimentis, que ex consanguinitate et affinitate hujusmodi proveniunt, non obstantibus, matrimonium invicem

contrahere, et in eo, postquam contractum fuit, remanere licite valeatis, auctoritate apostolica dispensamus, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando. Nulli ergo, etc., nostre dispensacionis infringere, etc. Si quis autem, etc. Datum Constancie, XI° kalendas januarii, pontificatus nostri anno I°.

» Scriptum de registro literarum apostolicarum ad partem registratarum et auscultatarum per me Paulum episcopum Ebroicensem. »

Item est verum, quod rex Romanorum et Hungarie, quam cito predicta dispensacio ad suam devenit noticiam, tantum procuravit apud dominum papam, quod predictam dispensacionem animo melius deliberandi revocavit; sed litere, que desuper scripte fuerunt et nondum bullate, fuerunt per oratores dicti ducis Brabancie in cancellaria apostolica arrestate, sic quod, antequam bullate et expedite fuerunt, dictus dominus dux, sue dispensacionis literis prius receptis, vigore earumdem ad consummacionem sacri matrimonii processit, antequam litere revocatorie sibi fuerunt presentate, prout inferius patebit, licet una nuda cedula ex dicta revocacione sibi fuerit missa; originales vero litere, seu *Vidimus* ex eisdem, nunquam fuerunt sibi presentate.

De consummacione matrimonii inter Johannem ducem et dominam Jacobam ducissam infrascriptos. CAP. CXLVIII.

Anno Domini M° CCCC° XVII° secundum usum scribendi ecclesie galli- 1418.
cane, et secundum stilum curie romane anno a nativitate M° CCCC° XVIII°, die vero jovis X^a^ mensis marcii, prescripta dispensacione a dicta sede apostolica per prefatum Johannem ducem Brabancie habita et obtenta, prelibati domini dux et ducissa in castro de Haga Comitis, de sero post completorium in crepusculo, dictam dispensacionem apostolicam ratificando, gratificando et approbando, in vim et pretextu ejusdem invicem contraxerunt matrimonium, per verba de presenti ad hoc apta et ipsis proposita in gallico sive lingua gallicana per magistrum Stephanum Wyardi canonicum Montensem in Hannonia, presentibus domina genitrice domine ducisse Jacobe et illustri principe domino Adolpho duce Montensi, domino Johanne domino de Rysferscheit et multitudine copiosa comitum, baronum,

militum et nobilium patriarum Brabancie, Hannonie, Hollandie et Zelandie, ac consulibus oppidorum patriarum predictarum, necnon ad hoc vocatis reverendo patre domino Tornacensi episcopo, domino preposito ecclesie Sancti Donaciani Brugensis ac magistro Symone de Formellis, ex parte predicti ducis Burgundie inibi ad hoc missis et destinatis. Et de nocte immediate sequenti dominus dux Johannes condormivit dominam ducissam Jacobam antedictam in castro prelibato. Quare de clandestino contractu hujusmodi dominus Hugo Monlet, provisor ac decanus Delflandie, tamquam vices gerens episcopi et archidiaconi Trajectensis ordinariorum, legi Hagensis predicti [1] absolvit contrahentes antedictos.

Item anno quo supra, et die dominica X^a mensis aprilis, dominus dux et domina ducissa prelibati dictum eorum matrimonium, in facie collegiate ecclesie seu cappelle in dicto castro constitute, in manibus decani ejusdem, servatis servandis, ut moris est, publice per verba ad hoc apta iterato contraxerunt et solempnizarunt, presentibus domina genitrice ducisse Jacobe prelibate, domina de Haymeida, domina de Agere Sancti Martini, domina et domicella de Lalaing, domina de Steynkerke, domicella Van den Poele, domicella Van den Does et quampluribus aliis dominabus et domicellabus, necnon Wilhelmo Blondelli domino de Grevilleer, Wilhelmo de Monte, domino de Orbays, cambellano ducis Johannis predicti, magistro Johanne Bont, in utroque jure licenciato, magistro Gerhardo tunc curato in Gouda, capellano predicte domine genitricis, domino borchgravio de Leydis, domino Heinrico de Lecka, militibus, et multis aliis nobilibus et aliis personis utriusque sexus.

Item est notandum, quod in predicto castro de Haga Comitis est situata una cappella, in qua est solempne collegium canonicorum secularium, habens decanum tamquam caput et canonicos tamquam membra; et unus beneficiatorum in dicta capella ex antiquissima consuetudine consuevit habere et habet regere et exercere curam animarum omnium curialium comitum Hollandie in Haga pro tempore existencium et omnes curiales consueverunt ibidem recipere ecclesiastica sacramenta, et contrahere matrimonia; et solempnitas matrimonialis inter predictos ducem et ducissam, qui sunt caput suorum curialium, fuit solempnizata in dicta capella per decanum ibidem, etc.

[1] Forte legendum : *in loco Hagensi praedicto;* vel : *juxta legem loci Hagensis praedicti.*

Quomodo et qualiter Johannes dux Brabancie fuit receptus et intronizatus in oppidis Hollandie, Hannonie et Zelandie tamquam legitimus maritus et mamburnus dicte domine ducisse Jacobe, ejus vita durante. Cap. CXLIX.

Supradicto vero matrimonio, sicut premittitur, consummato et solempnizato, prelibatus dux Johannes, de consensu dicte ducisse et ipsa presente et astante, fuit in dominum, tamquam ipsius ducisse maritus legitimus et mamburnus, solempniter receptus, ejusdem ducisse vita durante, faciens juramenta per comitem fieri solita et consueta, et vice versa a vasallis, subditis et incolis dictarum terrarum recipiens fidelitatis et obediencie solita juramenta, et primo in Delft die veneris XVIII[a] mensis marcii, et in Leydis die sabbati XIX[a] ejusdem mensis anni M[i] CCCC[i] XVII[i] predicti, in Harlem die sabbati II[a] aprilis, anno M° CCCC° XVIII°; item, die III[a] aprilis Ten Borge prope Wyckacker Merlandis; item, die lune III[a] aprilis in Catwyck de Rynlandrie; item, die veneris VIII[a] aprilis in Haga Comitis; item, die mercurii XX[a] aprilis dominus dux equitavit ad Rotterdam et Schiedam; item, die jovis XXI[a] aprilis in Gouda; item, die sabbati XXIII[a] in Hoesden; item, anno Domini M° CCCC° XVIII° predicto, die dominica XXIX[a] mensis maii, in Montibus; item, lune XXX[a] ejusdem mensis maii in oppido Gevogiensi; item, martis ultima maii in Malbodia; item, die mercurii I[a] junii in Valenchines; item, die veneris X[a] junii Ter Tolen et in Rymerswael; item, die sabbati XI[a] junii in Ziriczee; item, die dominica XII[a] junii in Middelborch a communitate; item, die lune XIII[a] junii in Middelborch a militaribus Zelandie, ubi juravit sicuti comites Hollandie et Zelandie jurare consueverunt : recepit eciam ab ipsis juramenta solita et consueta. 1418

Posuitque et ordinavit memoratus dominus dux in omnibus castris et locis trium patriarum predictarum, scilicet Hannonie, Hollandie et Zelandie, ac eciam dominii Frisie suo nomine castellanos, officiarios, judices et scabinos, pro justicia ministranda subditis predictis et pro tuicione et deffensione eorumdem. Contulit eciam beneficia et officia ecclesiastica, racione juris patronatus ad collacionem comitum Hannonie, Hollandie et Zelandie pertinencia et dominorum Frisie spectantia. Coutulit eciam. racione sui

jocundi adventus primarieque receptionis ipsius, in omnibus monasteriis et religiosis domibus, personis capacibus unam prebendam, prout comites terrarum et dominii predictorum in eorum jocundo adventu facere consueverunt.

Qualiter domino Jacoba fuit recepta in Brabancie ducissam. Cap. CL.

Item, post modici temporis spacium postea lapsum, prefata domina Jacoba ducissa, ut et tamquam sponsa et uxor legitima predicti Johannis Brabancie et Lymburgis ducis, fuit per eundem dominum ducem ipsiusque ducisse dominam genitricem ac cognatos et proximos suos ad dominia, territoria, oppida, villas, castra, domus, habitationes et hospicia ipsius domini ducis solempniter et publice conducta, ac per eundem ducem et ipsius subditos in locis et oppidis insignibus cum magna solempnitate, ut decuit, jocunde, sponte et libere recepta et intronizata. Ipsa eciam domina ducissa, racione sui jocundi adventus primarieque receptionis ipsius, contulit in omnibus et singulis monasteriis et religiosis domibus, infra ducatus Brabancie et Lymburgis et marchionatum sacri imperii constitutis, personis idoneis et capacibus unam prebendam, quemadmodum ducisse Brabancie in earum primaria receptione et adventu jocundo hactenus facere consueverunt seu fecerunt.

Tenor litere revocatorie prime dispensacionis per dominum papam animo melius deliberandi concesse, sequitur in hec verba. Cap. CLI.

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex, cum naturam sorciatur humanam, variis plerumque supplicancium assercionibus, presertim illustrium, ad nonnulla concedenda inducitur atque deflectitur precum maximarum instancia, que demum ex concessione hujusmodi gravissima emersura scandala verisimilia arbitretur; illa sic concessa, negociorum, personarum, locorum et temporum qualitate pensata, revocat, irritat et annullat, prout in Altissimo conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem, videlicet XI° kalendas januarii,

pontificatus nostri anno primo, ad supplicacionem dilecti filii nostri, nobilis viri Johannis ducis Brabancie et Lymburgis, et dilecte in Christo filie, nobilis mulieris Jacobe in Bavaria ducisse, necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comitisse, ex certis expressis in nostris desuper confectis literis clausis, quarum tenores hic alias habere volumus pro sufficienter expressis, cum prefatis Johanne duce et Jacoba ducissa, secundo consanguinitatis et tercio affinitatis gradibus se attingentibus, dummodo eadem Jacoba propter hoc rapta non esset, ut impedimento, quod ex consanguinitate et affinitate hujusmodi provenit, non obstante, matrimonium invicem libere contrahere, ac in eo, postquam contractum foret, remanere licite valerent, auctoritate apostolica dispensavimus, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando, sicut plenius in prefatis literis denotatur.

» Cum autem, sicut nobis nuper[1] ex hujusmodi dispensacione maxima sint verisimiliter scandala et guerrarum incendia, non solum in dominiis Johannis ducis Brabancie et Jacobe ducisse predictorum, sed et in circumvicinis et eciam in remotis partibus, necnon provinciarum, urbium et terrarum excidia, hujusmodique strages, si dispensacio hujusmodi suum sortiretur effectum, procul dubio proventura, eciam assercione carissimi in Christo filii nostri, Sigismundi Romanorum et Hungarie regis illustris, et nonnullorum procerum et baronum ac aliorum plurimorum fide dignorum testimoniis sic asserencium, nosque illius in terris vices gerimus, qui pacem et concordiam nutrit in sublimibus, ac pacem ipsam jure hereditario suis reliquit discipulis in discessu; cupientes ac eciam attendentes que ad pacem sunt, ut scandalorum ac periculorum fomenta possent verisimiliter amovere, supremis affectibus inquirentes, et potissime, ut inter illustres et maximos potentatus pacis conservetur amenitas; et propterea volentes hujusmodi scandalis et periculis salubriter obviare, auctoritate apostolica et ex certa sciencia, animo melius in materia deliberandi, tenore presencium dictam dispensacionem cum Johanne et Jacoba predictis per nos, ut prefertur, factam et contentam in prefatis nostris literis protinus revocamus, tollimus, irritamus et annullamus, ac nullius fuisse et esse decernimus efficacie, roboris vel momenti, constitucionibus apostolicis necnon pre-

[1] Deest aliqua vox, ut videtur : *innotuit*.

missis in dictis nostris literis contentis, et aliis contrariis, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc. Datum Constancie, nonis januarii, anno primo nostri pontificatus.

» Sumptum ex registro certarum literarum apostolicarum ad partem registratarum et auscultatarum per me PAULUM episcopum Ebroicensem. »

Qualiter dominus Martinus quintus papa misit prelibato duci Johanni certam apostolicam literam clausam. CAP. CLII.

Item est sciendum, quod supradictus Martinus papa quintus, in Gebenna existens, direxit memorato Johanni duci Brabancie certam apostolicam literam clausam, ejus vera bulla plumbea cum cordula canapis impendente sigillatam, cujus tenor sequitur in hec verba :

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro Johanni duci Brabancie, salutem et apostolicam benedictionem. Intellecto tenore literarum tue nobilitatis, et que dilecti filii nuncii prefate nobilitatis exquisitissime narraverunt, certa intimata paterne intencionis nostre propositum reserare providimus, et dilectis filiis, magistris Amando de Brevimonte, sacre pagine professori, ac Leonio de Baest, baccalaureo in eadem sacra pagina, prefate nobilitatis nunciis, nonnulla cordi nostro summa insidencia eidem nobilitati tue narranda injunximus, quorum relatibus prefata tua nobilitas adhibere velit credencie fidem. Datum Gebennis, V° kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo. De curia : PE. DE MAGRO. »

Qui quidem magistri Amandus et Leonius, prelibata litera apostolica dicto duci prius presentata, et cum qua decuit reverencia per ipsum recepta, aperta atque perlecta, sibi ex parte dicti domini nostri pape credencialiter retulerunt, qualiter ipse, metu domini Romanorum et Hungarie regis, dispensacionis sue revocatoriam literam concessit, sed quam cito Alpes transierit, eandem revocatoriam annullaret, et previam dispensacionem confirmaret : quapropter sine scrupulo consciencie fiducialiter maneret et manere posset et deberet penes dominam Jacobam, tamquam ejus legitimam uxorem. Quod, sicuti papa dicto duci significavit, adimplevit, ut patet ex litera revocatoria et prioris dispensacionis confirmatoria, que

fuit data Florencie, VI° kalendas junii, pontificatus sui anno secundo; revocatoria vero fuit data Constancie, nonis januarii, pontificatus sui anno primo.

Item pari modo significarunt eciam dicto domino duci cardinalis Ostiensis, sedis apostolice viceecancellarius et patriarcha Constantinopolitanus.

Tenor litere Romanorum et Hungarie regis, per quam mandat Johanni duci Brabancie, sibi inhibendo ne contrahat matrimonium cum domina Jacoba, etc., et, si contraxerit, nisi protinus desistat, habeatque pro non contracto, vult ipsum incidere in penas, etc. CAP. CLIII.

« Sigismundus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc., rex, illustri Johanni, filio quondam illustris Anthonii de Burgundia, graciam regiam. Postquam summe confederacionis disposicio ineffabilis, que provide statuit ab eterno, ut sui ducantur modo regiminis universa, nos ad suum et universalis ecclesie servicium evocavit, licet insufficientes nostre possibilitatis humeri ad tantam sarcinam subeundam, in ejus tamen, qui potens est imperfectum nostrum supplere, favore confisi, cura vigili et sollicitudine assidua radios totalis nostre intencionis extendimus ad cuncta que Redemptoris nostri gloriam et ecclesie ipsius respiciunt salutem, ut non jam occupati temporalibus omnino spiritualium obliviscamur virtutum, quin pocius vinee Domini quasi in ecclesia sancta fructuosus operarius, veprium pungitivarum scandala evellere et foras projicere studeamus, et noxios hominum iniquorum excessus pene inflictione procellamus, ut, qui virtutis amore peccare non audeant, saltem pene formidine arctarentur. Rem igitur perniciosam exemplo publice audivimus divulgatam, quod tu cum illustri Jacoba de Hollandia, quondam illustris Wilhelmi comitis palatini Reni, Bavarie ducis et comitis Hollandie filia, que tibi patruelis existit, matrimonium intendas contrahere per verba legitima de presenti, quandoquidem secundum jura canonica, que nos sequimur, eisdem deferimus in hac parte, incestuosum est et a Christi fidelibus detestandum. Idcirco auctoritate Romana regia tibi precipimus seriosius et mandamus, quatenus, sub penis per leges et constituciones principum in talia perpetrantes constitutis, hoc facinus non

audeas attemptare, et, in casu quo jam contraxeris, licet de facto, nisi protinus desistas et illud habeas pro non contracto, in easdem penas te incidere volumus, quas omnibus viribus procurabimus execucioni debite demandari. Datum Constancie, anno Domini M° CCCC° XVIII°, XXVIII^{a} die mensis marcii, regnorum nostrorum anno Hungarie, etc., XXXII°, Romanorum vero VIII°. Ad mandatum domini regis : Johannes Kirchen. »

Tenor litere revocatorie et confirmacionis prime dispensacionis per dominum papam, animo melius deliberato, concesse. Cap. CLIV.

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dignitatis apostolice celsa potestas, que Romanis pontificibus ad edificacionem corporis Ecclesie magno Dei munere concessa est, tunc salubriter administrare dignoscitur, cum ad exemplar pastoris eterni, qui nonnunquam speciali providencia et dispensacione clementi leges communes et solita nature jura transcendit, sanctorum decreta patrum et canonicas sanxiones, que sub mandatis universalibus pro caritate fuerunt institute, sic provide dispensacionis interpretacione, cum particularis casus exigit, moderatur, quod adversus caritatem non militent, sed propter que fuerunt condite, paci videlicet ac edificacioni fidelium, prodesse valeant et saluti. Talia paterne sollicitudinis vigilancia propensius attendentes, dudum ex certis arduis et legitimis nobis tunc expositis causis, cum dilecto filio, nobili viro Johanne Brabancie et Lucemburgis duce, ac dilecta in Christo filia, nobili muliere Jacoba in Babaria ducissa necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comitissa, ut ipsi, qui in secundo consanguinitatis et tercio affinitatis gradibus se attingunt, impedimentis, que ex consanguinitate et affinitate hujusmodi proveniunt, non obstantibus, matrimonium invicem libere contrahere, et in eo, postquam contractum foret, remanere licite valerent, per quasdam nostras literas dispensavimus, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam legitimam nunciando, primo; et deinde, quorumdam nobis asserencium relatu, quod ex hujusmodi dispensacione, si suum sortiretur effectum, magna forent scandala hominumque strages et excidia proventura : nos postmodum, animo melius in materia deliberandi, per alias posteriores nostras literas dispensacionem hujusmodi et contenta

in eisdem prioribus literis protinus revocavimus, irritavimus et annullavimus, ac nullius fuisse et esse decrevimus efficacie, roboris vel momenti, prout in ipsis literis plenius continetur.

» Cum autem, sicut accepimus, dux et ducissa prefati, vigore dispensacionis et priorum literarum hujusmodi, ad contractum matrimonii et ejusdem per carnalem copulam consummacionem, antequam hujusmodi nostre posteriores litere eisdem insinuarentur, processerunt, sacraque prohibeat veritas evangelica, illos ab homine separari quos Deus sacramento matrimonii conjunxerit; nec hujusmodi dispensacio et matrimonium in vim illius prestitum tales hominum strages horrendas et gravia scandala, prout nobis assertum fuerat, in illis induxerint, sed pocius induxerint dominiis ducis et ducisse predictorum, uberrimamque dederint parcium illarum incolis pro spe future quietis sue consolacionis materiam, et tandem secum attulerit pacis et prosperitatis incrementa, sicut ex ipsarum rerum experiencia et fide digna relacione comperimus : quale tamen benedicte pacis exoptatissimum bonum rursus forsan deperire, et majora denuo scandala periculosius excitari contingeret, si hujusmodi secundarum occasione literarum aliqua superioribus dicte dispensacionis ambiguitas remaneret : nos igitur, pastoralis cure providencia tantis discriminibus et scandalis obviare volentes, et instar illius, cujus vicem gerimus in terris, pacem apud omnes, presertim apud generis nobilitate preclaros et dominantes in populis, ex quorum prospera quiete multorum dependet salus et tranquillitas populorum, operari et firmare cupientes; ipsorum eciam ducis et ducisse in hac parte supplicacionibus inclinati, animo plene super hiis deliberato, eosdem ducem et ducissam vigore priorum literarum predictarum hujusmodi matrimonium libere contrahere potuisse, et eciam in eo licite remansisse et remanere posse, illudque a tempore contractus hujusmodi et prolis ejusdem suscepcione, si qua sit, et quecumque alia inde secuta valida et efficacia censeri debuisse atque debere perinde, in omnibus et per omnia, acsi posteriores litere, quas pro infectis habemus, necnon revocacio, irritacio, annullacio et constitucio sive decretum hujusmodi nullatenus emanassent; irritum quoque et inane totum id et quidquid pro ipsius impignoracione matrimonii a quoquam attemptari contigerit, auctoritate apostolica declaramus atque decernimus per presentes, non obstantibus premissis et aliis contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino homi-

num liceat hanc paginam nostre declaracionis et constitucionis infringere, vel ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florencie, VI° kalendas junii, pontificatus nostri anno secundo.

» Scriptum de registro certarum litterarum apostolicarum ad partem registratarum et ascultatarum per me Paulum episcopum Ebroicensem. »

De dispensacione per ducem Johannem in Bavaria a sede apostolica obtenta, et de collacione terrarum Hannonie, Hollandie et Zelandie per regem Romanorum sibi facta. Cap. CLV.

Notandum est, qualiter Johannes dux in Bavaria, electus Leodiensis, per suum procuratorem ad hoc legitime constitutum resignavit in concilio Constanciensi, in manibus sanctissimi nostri pape Martini prelibati, omne jus quod sibi in ecclesia Leodiensi, cui per XXVIII annos tamquam electus confirmatus prefuerat, competere dinoscebatur, in dyaconatus ordine constitutus : cum quo eciam idem dominus noster papa dispensavit, quod, non obstantibus hujusmodi impedimentis predictis et infrascriptis, matrimonium possit contrahere cum illustri domina Elyzabeth ducissa Brabancie et Lymburgis, relicta quondam domini Anthonii ducis Brabancie et Lymburgis, sua commatre, qui ejus filium nomine Wilhelmum de sacro fonte levavit.

Quibus peractis, dominus Romanorum et Hungarie rex eidem Johanni Bavarie duci comitatus Hannonie, Hollandie et Zelandie, per obitum quondam ducis Wilhelmi Bavarie ducis, sui germani ultimate defuncti, in defectum filii masculini sexus ad ipsum et Romanum imperium, ut asseruit, devolutos, contulit et concessit, ab ipso et suis successoribus, Romanorum imperatoribus sive regibus, jure feudali perpetuo habendos et possidendos. Quapropter idem Romanorum et Hungarie rex mandavit Johanni duci Brabancie, prout sequitur.

Tenor li'ere per quam supradictus Romanorum et Hungarie rex certificavit Johannem in Brabancia ducem, se terras Hannonie, Hollandie et Zelandie contulisse Johanni duci in Bavaria, mandans sibi quatenus ab occupacione terrarum predictarum desistat. CAP. CLVI.

« Sigismundus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, etc., rex, illustri Johanni, quondam filio Anthonii de Burgundia, graciam regiam. Perfecte sollicitudinis zelus, quo sicut pater imperii statum ejusdem et augmentum diligere cogimur et tueri, quotidianas exarit curas nostras, non solum manifesta pericula verum eciam suspecta vereri et eis vigilanter occurrere, exquirendo vias et remedia opportuna. Infestam igitur nobis et displicibilem audivimus novitatem, qualiter in terris Hannonie, Hollandie et Zelandie, etc., nobis et sacro imperio injuriose coneris abstrahere, ymmo eas jam de facto occupare et in prejudicium nostrum et imperii sacri tibi usurpare non vereris : ne igitur super tanto discrimine, quod in imperii sacri et nostrum vergit incommodum, videamur tibi excusacionis occasionem reliquisse, vel implicitum sub dissimulacione prebuisse consensum, certum te fieri volumus per presentes, terras predictas, veluti dominia sacri imperii per mortem quondam illustris Wilhelmi comitis palatini Reni, ducis Bavarie et comitis Hollandie ad nos tamquam ordinarium et supremum dominum rite et legitime devolutas, illustri Johanni comiti palatino Reni et duci Bavarie, fratri antedicti Wilhelmi, graciose nos contulisse, jure feudi a nobis et imperio possidendas et tenendas. Quapropter tibi, auctoritate Romana regia, tenore presencium seriose precipimus et mandamus, quatenus ab occupacione terrarum predictarum desistere et cessare debeas, nec tibi liceat, ad tenendum seu occupandum terras predictas contra jura Romani imperii aliquatenus aspirare; alioquin, preter penas tibi tam a jure canonico quam civili impositas, quas te inviolabiliter incurrere noveris, contra te ad tuendum jus nostrum, prout tenemur ex officii nostri debito, procedemus remediis et viis opportunis. Datum Constancie, anno Domini M° CCCC° XVIII°, XXVIII^a^ die marcii, regnorum nostrorum anno Hungarie, etc., XXXII°, Romanorum vero VIII°. Ad mandatum domini regis : PAULUS DE TOST. »

Qualiter dux Johannes in Bavaria scripsit, tamquam comes Hannonie, Hollandie et Zelandie, requirens nobiles et oppida trium terrarum predictarum, quatenus ipsum recipiant in eorum dominum et comitem. Cap. CLVII.

Memoratus dux Johannes in Bavaria, tamquam comes Hannonie, Hollandie et Zelandie, per suas patentes literas scripsit universis et singulis principibus et comitibus, baronibus, militibus, et signanter bonis oppidis terrarum Hannonie, Hollandie et Zelandie predictarum, conquerendo de magna injuria et violencia per Johannem ducem Brabancie et neptem suam Hollandie, etc., ducissam sibi illata, in eo quod suum patrimonium et jus paternum, scilicet Hannoniam, Hollandiam et Zelandiam, detinet occupatum et occupatas, per Romanorum regem sibi collatas, ab eodem rege et imperio jure feudali tenendas et possidendas, ipsos deprecando, quatenus sibi contra predictos ducem Brabancie et neptem suam assistenciam et auxilium velint impertiri. Requisivit insuper nobiles et oppida terrarum earumdem, quatenus ipsum in eorumdem dominum reciperent, sibique facerent et prestarent homagii et debite fidelitatis et obediencie juramenta, quemadmodum eorum vero et naturali domino facere tenentur : attento quod de homagiis et juramentis per ipsos antedictis duci Brabancie et nepti sue factis prefatus Romanorum rex ipsos quitavit et absolvit penitus et omnino per suas literas patentes, quarum copiam ipsis transmisit, de latino in theutonicum translatas. Super quibus petivit responsionem ipsarum in scriptis sibi transmitti indilate, juxta quam se disponere valeret, etc.

De responsione quam terre Hollandie et Zelandie dicto Bavarie duci super requisicione sua dederunt. Cap. CLVIII.

Super qua quidem requisicione supradicte terre Hollandie et Zelandie prelibato duci Johanni in Bavaria responderunt, quod dominam eorum, neptem suam, solempniter receperunt, cum fidelitatis et obediencie juramentis solitis et consuetis, tamquam eorum veram, naturalem et heredita-

riam dominam, unicam filiam et heredem quondam ducis Wilhelmi, ejus genitoris : ubi ipse aliquando fuit presens, qui ipsam pro domina terrarum predictarum et pro tali habuit, tenuit et reputavit, ac feudum suum ab ipsa recepit, homagii, fidelitatis et obediencie juramenta sibi faciendo, que ipsum eciam in suum consiliarium et domesticum commensalem retinuit, ipse eciam dux nullum jus ad dictas terras sibi competere recognovit; et insuper, quod propter collacionem per dictum Romanorum regem sibi factam ipsi non dimittent, quin dicte eorum naturali et hereditarie domine corporibus et rebus suis assisterent, sibique semper facerent quod boni et fideles subditi eorum domine facere tenentur, quia ipsi bene scirent quod terre predicte tribus vicibus per legitimam successionem venerunt ad filias, prout pateret per literas patentes imperiales, de quibus bene doceretur si esset opportunum. Quapropter deprecabantur ducem Johannem prelibatum, quatenus, Deum et nobilitatem pre oculis habens, se deportare vellet de talibus novitatibus, et neptem suam amplius in juribus suis vexare sive inquietare non presumeret.

De responsione quam terra Hannonie fecit predicto duci Johanni in Bavaria super requisicione sua antedicta. Cap. CLIX.

Terra vero Hannonie prelibato domino duci Johanni super sua requisicione respondit per modum sequentem in substancia. Se multum admirari quod Romanorum rex pretendebat aliquod jus habere ad terras Hannonie, Hollandie et Zelandie, attento quod ipsi viderunt antiquas literas, per quas Ludovicus quartus tunc Romanorum rex recognovit, quod in dictis terris Hollandie et Zelandie nullum jus sibi competiit quam solum homagium; viderunt eciam sub bulla aurea alias literas ejusdem Ludovici quarti tunc Romanorum imperatoris, per quas de suorum consensu principum supradictas literas confirmavit. Et quantum concernit terram Hannoniensem, responderunt quod Romanorum regi sive imperatori in dicta terra Hannoniensi nullum jus penitus competit nec unquam competiit : bene verum est quod sub Romanorum imperio est situata, quodque in eadem filie in defectum masculorum sepe successerunt : sicuti sancta Waldetrudis, que in Montibus quiescit, cujus vir fuit sanctus Vincencius, qui comitatum Hannonie

tamquam suus legitimus maritus et mamburnus gubernavit; simili modo domina Ribalda, et de post domina Aleydis; item domina imperatrix, que fuit dicti Johannis ducis Bavarie avia, post quam dominia terrarum venerunt ad ducem Albertum, ejusdem ducis Johannis genitorem. Est eciam consuetudo in Hannonia quod, filiis masculis non existentibus, filie succedunt in feudis baronum et nobilium aliorum terre Hannonie predicte. Quibus racionibus consideratis, videbatur ipsis quod Romanorum rex fuit sinistre informatus : quare eundem ducem Johannem deprecabantur, quatenus predictum regem velit de mera veritate informare, quodque se deportet de dono per ipsum regem sibi collato, et attendere qualiter ipsi homagium et fidelitatis juramentum hactenus fecerant nepti sue, eorum naturali et hereditarie domine, cui semper vellent facere quod boni et fideles subditi de jure tenentur facere; ipsi eciam bene scirent, quod ipsemet ab eadem nepte sua domina Jacoba terras et dominia sua, que habet in predictis terris, relevaverat in feudum, cum fidelitatis et obediencie juramento : cum nonnullis causis et racionibus in predictis responsionum literis comprehensis, que fuerunt ordinate per tres status Hannonie, atque date die XI^a^ mensis maii, anno Domini M° CCCC° XVIII°.

Johannes dux Brabancie habuit consilium cum duobus statibus Brabancie, Hollandie et Zelandie, qualiter Johanni duci in Bavaria resistere posset. Cap. CLX.

Quia responsiones trium terrarum Hannonie, Hollandie et Zelandie predictarum sepedicto Johanni duci in Bavaria non placuerunt, ipse incunctanter congregavit in oppidis de Dordrecht et de Briele omnes malefactores extra limites Hollandie et Zelandie exbannitos et proscriptos, et eciam plures aliarum nacionum gentes ad suum servicium invitavit, qui magna dampna incolis dictarum terrarum intulerunt homicidio, incendio et rapina, eundo et redeundo ex oppidis Dordrecht et Briele antedictis. Dux vero Brabancie ad resistendum insolenciis dicti Johannis ducis in Bavaria petivit auxilium et consilium a terris suis Brabancie, Hollandie et Zelandie prelibatis, super quo duo status temporales Brabancie, ad certam dietam in Antwerpia congregati, eidem domino duci responderunt, quod salvo

suo honore non posset dimittere de jure neque racione, quin teneretur et deberet terras et limites domine ducisse, uxoris sue, ab injuriis et violenciis illatis et inferendis defensare et tueri, sicut suas proprias, ad quod obtulerunt sibi assistenciam facere, cum potencia et cum eorum corporibus atque rebus vim vi repellendo. Et ad inveniendum modum desuper convenientem, deputati duorum statuum Brabancie, Hollandie et Zelandie predictorum, in factis armorum et guerrarum expertorum, pro meliori avisaverunt, quod, primitus et ante omnia, per mare atque terram obsidio poni deberet ante oppidum de Briele, ipsum incessanter machinis bellicis assultando, oppugnando et expugnando, et ad dedicionem deducendo. Quo facto, deberet oppidum de Dordrecht per terram et per mare obsidione circumcingi.

Quorum consilium et avisamentum majori parti illorum qui ibi ad dietam convenerant placuit, et pro meliori quod ita fieret consuluerunt; sed Wilhelmus Vanden Berghe, receptor sive thesaurarius generalis omnium terrarum domini ducis, qui sibi fuit ita secretus et penes ipsum tantum creditus, quod totum regimen ab ipso dependebat, quique fuit velox in recipiendo, et tardus, ymmo verius tenacissimus in exponendo, audiens quod pro navibus acquirendis ad classem et expedicionem navalem necessariam et opportunam magna pecuniarum summa necessario exponi oporteret, avisamentum et consilium omnium predictorum dissuasit. Quare fuit tandem ordinatum, quod dominus dux cum patria sua Brabancia ab ista parte fluminis versus Brabanciam obsidionem poneret ante Dordrecht, quodque Hollandrini ab alia parte fluminis ante Dordrecht vi armorum seu machinis bellicis eam expugnarent; sed quod quelibet earumdem patriarum Brabancie et Hollandie ante partem suam flumen postibus seu palis infixis precludere deberet, et super aggerem magnam et fortem municionem, teuthonice dictam *bolwerck*, facere, ad impediendum quod illis de Dordrecht nulla possent victualia adduci: quibus *bolwerck* ab utraque parte hominibus armorum, bombardis et arbalistis aliisque ingeniis bellicis atque victualibus et aliis necessariis bene communitis, quelibet patriarum earumdem versus lares proprios se retrahere posset, etc.

Qualiter patria Brabancie cum duce Johanne eorum domino profecta fuit versus Dordrecht. Cap. CLXI.

1418. Anno Domini M° CCCC° XVIII° supradicto, mense junio, Johannes dux et sua patria Brabancie, insequendo ordinacionem nuperrime cum duobus statibus secularibus Brabancie, Hollandie et Zelandie in dieta Antwerpiensi factam, cum exercitu validissimo et apparatu bellico versus Dordracum proficiscentes venerunt ad oppidum Montis Sancte Gertrudis, ubi et in locis circumvicinis congregati traxerunt moram per quinque dies vel circa, propter duas causas. Quarum una fuit propter dissencionem inibi exortam inter oppida Lovaniense et Antwerpiense, propter oppidum Lyrense cum suis appendenciis, utroque ipsorum pretendente quod Lyrenses in expedicionibus generalibus se sequi deberent : ad quod Lovanienses allegaverunt, quod ab antiquo taliter fuit observatum; Antwerpienses vero dixerunt, quod oppidum Lyrense fuit situatum in marchionatu cujus caput est Antwerpia, quodque propter hoc Lyrenses ipsos sequi deberent, cum pluribus aliis causis et racionibus ab utraque parte desuper allegatis. Tandem fuit per dominum ducem et ejus nobile consilium desuper ordinatum, quod pro ista vice Lyrenses cum suis permanere deberent in Breda, ad limites patrie, si opus esset, deffendendum, jure utriusque oppidorum predictorum in omnibus semper salvo. Alia vero causa fuit, quod patria Brabancia, antequam ulterius proficisceretur, voluit scire et cerciorari, utrum omnia necessaria in lignis et postibus, palis sive pilaribus, pro flumine transpilando ab utraque parte, et ipsum postibus sive pilaribus precludendo, necnon ad ipsum *bolwerck* ab utraque parte aggeris construendo, ibi deberent reperiri. Finaliter supervenit ibi dominus Hubertus dominus de Culenborch, pro tunc thesaurarius Hollandie, dicens publice coram domino duce et ejus patria Brabancia prelibatis, quod ibi omnia necessaria de lignis et postibus sive pilaribus reperiri deberent, quodque de hiis omnibus ipsis sufficienter provideret ad flumen cum postibus sive pilaribus claudendum et *bolwerck* perficiendum. Dux vero et barones, milites et nobiles patrie sue Brabancie, in dictis et verbis dicti domini de Culenborch confidentes, per eorum patentes literas, datas in oppido Montis Sancte Gertrudis, die XXIIII[a] mensis junii, anno Domini M° CCCC° XVIII°, propter

injurias et violencias ipsi domino duci atque domine ducisse ac suis patriis et subditis Hollandie et Zelandie per Johannem ducem in Bavaria et suos complices illatas, eundem Johannem in Bavaria ducem hostiliter diffidavit.

Die vero sequenti, videlicet XXV[a] dicti mensis junii, idem dux Johannes in Bavaria vice versa predictum ducem et suos nobiles et militares Brabancie diffidavit, per suas literas patentes datas in Dordrecht, die et mense immediate prescriptis. Item dominus Heinricus Nothast dominus de Wernberch, per suam literam patentem, et plures alii in eadem sua litera nominati, que fuit data mensis junii die XXVII[a], anno supradicto, necnon Johannes junior comes de Nassouw et Heinricus comes de Ortenberch, et plures alii in eorum literis nominati, que date fuerunt mensis julii die II[a], anno Domini M° CCCC° XVIII°, supradictum Brabancie ducem ac omnes subditos suos et coadjutores eciam diffidaverunt, prout in eorum literis diffidatoriis luculencius poterit apparere.

Qualiter dux Johannes cum patria sua Brabancia obsidionem posuit ante Dordrecht, et qualiter eciam abinde recessit. Cap. CLXII.

Dux autem Johannes antedictus, barones, milites et nobiles patrie Brabancie, literis suis diffidatoriis primitus transmissis, cum validissimo exercitu hominum armatorum ex oppidis et villis ejusdem patrie coadunato ex Monte Sancte Gertrudis recedentes, versus Dordrecht cum apparatu bellico suos gressus direxerunt, unde Johannes dominus de Wesemael, tamquam mariscallus Brabancie hereditarius, suo fungens officio guardiam tenuit anteriorem, quem sequebantur Bruxellenses cum suis; deinde dominus dux cum baronibus et aliis nobilibus et feudalibus; subsequenter Lovanienses cum suis, quos sequebantur Antwerpienses cum suis; deinde illi de Buscoducis cum suis; postremo Engelbertus comes de Nassouw et de Viana, dominus de Lecka et de Breda, qui, tamquam dominus Grimbergensis, ex officio sibi incumbenti tenuit guardiam posteriorem. Dum autem venerunt prope Dordrecht supra aggerem, ubi predictum *bolwerck* construere volebant, Bruxellenses per predictum mariscallum fuerunt propinquius versus Dordrecht collocati cum suis; deinde dominus dux cum suis nobilibus; deinde Lovanienses; deinde Antwerpienses, et postremo

illi de Buscoducis cum suis. Dum vero et quando tentoria et pavilliones erant fixa et erecta, ceperunt pariter loqui de *bolwerck* faciendo, ad quod aliqua ligna invenerunt; sed ad claudendum flumen cum postibus sive pilaribus non invenerunt ligna parata, sicut dominus de Culenborch ipsis in bona fide predixerat quod reperire deberent. Wilhelmus vero Vanden Berghe, thesaurarius generalis domini ducis, recusavit pecunias exponere pro emendis lignis, dicens quod dominus de Culenborch, thesaurarius Hollandie, hoc facere promisit; quapropter dominus Heinricus de Bergis, dominus Grimbergensis et de Melino, in conservacionem honoris domini ducis et sue patrie Brabancie, suis expensis fecit emi in Rotterdam et per aquam usque ad exercitum Brabancie ligna sufficiencia adduci, ad transpalandum et postibus infixis claudendum flumen sepedictum. Dum vero hoc factum fuit, et predictum *bolwerck* completum et omnibus necessariis bene communitum, quod erat tam altum et amplum quod pro deffensione requirebantur centum persone, sed dum querebantur, inveniri non potuerunt nisi XXX, qui onus in se acceptare recusabant; et, licet ipsis promittebatur quod, si ab inimicis obsiderentur, dominus dux ad statim obsidionem levare et ipsos liberare deberet, dixerunt tamen quod via ex Brabancia usque ad *bolwerck* erat multum stricta, et, si agger rumperetur, tunc nullum subsidium ex Brabancia ad ipsos posset venire. Item, dicta obsidione durante, exiverunt quotidie juvenes ex Dordrecht, cum Brabantinis dimicantes, inter quos nunc illi, nunc isti capti et lesi fuerunt, ut moris est guerrarum.

Tandem dominus dux Brabancie cum sua patria ante Dordrecht obsidionem tenuerat per sex septimanas vel circa, et nullos invenire poterat qui custodiam dicti *bolwerck* acceptare vellent, licet de victualibus et omnibus generibus deffensionum erat bene communitum; fuit conclusum quod ignem in ipso ponere et concremare deberent, et quod dux cum exercitu suo ab alio loco versus Montem Sancte Gertrudis remeare deberet: quod ad statim ita fuit factum. Dordracenses autem, videntes ignem et fumum, existimabant quod dux cum suo exercitu recessit; quare exeuntes tam per aquam quam per terram, exercitum a latere et a retro oppugnaverunt; contra quos Antwerpienses, qui tunc posteriorem guardiam tenuerunt, taliter illis resistebant, quod absque verecundia et dampno abinde recesserunt. Sed est verum quod aliqui ex familia ducis, qui erant

infirmi vel vulnerati, posuerunt se in navibus, et eciam aliqui nobiles sua arma et tunicas suorum armorum insigniis decoratas eciam in navibus posuerunt: quas quidem naves, et homines atque res in iisdem existentes, Dordracenses ceperunt. Inter quos fuerunt Johannes Vander Roest, domini ducis Brabancie eleemosynarius et capellanus, debilis et infirmus, quem dux Johannes in Bavaria libere abire permittens, cum eodem domino duci Brabancie suum sigillum remisit, quod repertum fuit penes unum familiarem domicelli de Gaesbeke, qui pro tunc fuit sigillifer Brabancie : in quo dux Johannes suam nobilitatem ostendit; reliquos vero in navibus repertos retinuit captivos. Est eciam verum quod illi de Dordrecht tunicas armorum, quas in navibus invenerunt, posuerunt in ecclesiis, acsi illas vi armorum in bello campestri vel navali cum honore cepissent : quod, ut multis videtur, indecens fuit, scandalosum et inhonestum.

Per modum autem suprascriptum memoratus dux Johannes, dissoluta obsidione predicta, cum suo exercitu Brabancie, in vigilia Sancti Laurencii anni suprascripti, de sero, applicuit apud Montem Sancte Gertrudis; abhinc exercitus suus Brabancie se transtulit versus Brabanciam, quilibet ad lares suos proprios. Dux vero Johannes, postquam cum familia et nonnullis nobilibus ibi perseveraverat per duos dies integros et tres noctes, se transtulit apud exercitum Hollandie ab altera parte oppidi Dordracensis trans flumen collocatum, ubi cum illis de Hollandia permansit, donec *bolwerck* ipsorum fuit plenarie constructum, et victualibus et omni genere machinarum bellicarum et aliis necessariis et opportunis sufficienter communitum : in quo Adrianus bastardus Hollandie fuit capitaneus institutus. Postquam vero memoratus dux Brabancie cum exercitu Hollandie abinde recesserat, homines armorum ducis Johannis in Bavaria unacum burgensibus Dordracensibus predictum *bolwerck* vi armorum et ingeniis bellicis taliter insultarunt et oppugnarunt, quod tandem expugnaverunt et ceperunt et igne supposito cremaverunt; dictum Adrianum bastardum et quoscumque inibi repererunt, sine misericordia trucidaverunt et occiderunt.

De Wilhelmo Vanden Berghe, thesaurario generali domini Johannis ducis Brabancie, et de Wilhelmo de Assche ammanno Bruxellensi. Cap. CLXIII.

Deinde vero, memorato duce Johanne Brabancie post solutam obsidionem ante Dordrecht in Hage existente, Wilhelmus Vanden Berghe, dominus de Orbays, borchgravius de Geldonia, consiliarius, primus cambellanus atque thesaurarius generalis omnium terrarum et dominiorum ducis predicti, animum ejusdem domini ducis contra spectabilem Engelbertum comitem de Nassouw et de Viana, dominum de Lecka et de Breda, et nobiles dominos Heinricum de Bergis dominum Grymbergensem et de Melino, ac Heinricum de Lecka, dominum de Hezewyck et de Dynter, ipsis occulte detrahendo, in ipsorum fame et honoris lesionem et diminucionem taliter informavit, quod una dierum ipse dominus dux, in presencia domine ducisse uxoris sue constitutus et domine Hannonie ejus genitricis, asseruit animo irato, quod ob certas causas et raciones animum suum ad hoc moventes predictos dominos amplius videre noluit nec audire.

Accidit quod circa idem tempus tres status Brabancie ad predictum dominum ducem transmiserunt suos ambaxiatores, scilicet reverendum patrem dominum Johannem abbatem Tongerlensem, dominum Heinricum de Bergis prelibatum ac dominum Arnoldum de Crayenhem dominum de Grobbendonck, et Edmundum de Dynter, ejusdem domini ducis secretarium, pro certis arduis negociis predictum ducem et ipsius patriam Brabancie quamplurimum concernentibus. Quibus quidem ambaxiatoribus apud Gorinchem applicantibus supervenerunt certa nova de detractione predicta, et verbis domini ducis inde subsecutis, contenta in quadam litera predictis tribus dominis, et cuilibet eorum, ex parte prelibate domine genitricis transmissa. Qua siquidem litera per prefatum dominum Heinricum de Bergis reverenter recepta, aperta et perlecta, ipse illico misit ad alios duos dominos, ipsos affectuose deprecando, quatenus, omni excusacione semota, ad statim penes ipsum et alios ambaxiatores venire dignarentur. Qui inibi venientes, unacum prefatis ambaxiatoribus, prehabito consilio, concluserunt, quod dominus Heinricus de Bergis non deberet ulterius progredi. sed alii dictum dominum ducem adire deberent, et onus

ipsis injunctum sibi referre, prout fecerunt. Quibus ad patriam Brabancie reversis, de hiis que audierunt et viderunt, ac de responsione per dictum dominum ducem ipsis facta, supradictis tribus statibus plenariam fecerunt relacionem.

Deinde vero post paucos dies, videlicet die XIIII^a mensis septembris, anno Domini M^o CCCC^o XVIII° supradicto, fuit antedictus Wilhelmus Vanden Berghe, suis exigentibus demeritis, per bona oppida Brabancie Lovanii publice correctus: et, dum eadem correctio in oppido Bruxellensi juxta consuetudinem ejusdem eciam publicari debebat, Wilhelmus de Assche, ammannus Bruxellensis, ibidem ad hujusmodi correctionem fiendam sive publicandam cum scabinis astare recusavit, licet ad hoc per eosdem scabinos sufficienter admonitus fuisset et requisitus. Quapropter ipsi scabini noluerunt ipsum amplius pro ammanno suo recognoscere, neque ad monicionem ejus sentencias proferre; sed fecerunt eum de facto capi, et captivum in *Vroenta* [1] detineri, ubi per plures dies sedit: unde fuit demum, per certum tractatum inter dominum ducem et oppidum suum Bruxellense concordatum, liberatus.

De pace facta inter dominos ducem et ducissam Brabancie et comitem Hollandie et Zelandie, ex una parte, et ducem Johannem in Bavaria, ex altera. Cap. CLXIV.

Supradicta guerra inter partes predictas, sicut premittitur, durante et de die in diem magis invalescente, et postquam oppidum Rotterdam per gentes ducis Johannis in Bavaria, traditorie tamen, fuerat captum, illustris dominus Philippus de Burgundia, tunc comes de Charolois, dominus de Castenbelin, nunc vero Burgundie et Brabancie dux, ex parte et de mandato illustrissimi principis domini Johannis Burgundie ducis, etc., sui genitoris, certas treugas fieri procuravit inter partes antedictas et eorum patrias et coadjutores, sub spe pacis, ipsis treugis durantibus, pertractande; procuravit eciam tantum, quod certa die ad hoc concepta dominus dux et domina ducissa Brabancie personaliter unacum eorum consiliariis vene-

[1] *Vroente* vel *Vruente*, carcer publicus apud Bruxellenses, quem postea Hispani *Amigo* dixerunt.

runt apud Wondrichem [1]. Ubi Johannes dux Bavarie misit pro tempore suo dominum Heinricum Noothast, vicedominum Bavarie, dominum Gerardum de Heemeskerke, dominum Heinricum de Naeldwyck, milites, et alios; ex parte dominorum ducis Burgundie et comitis de Charolois predictorum fuerunt ibi missi: primo, dominus Ywanus de Cortenberch, commendator baillivie de Junctinis ordinis Beate Marie Theutonicorum, Johannes de Schoenvorst borchgravius de Monyouw, et Egidius de Aremude dominus de Ensis; et deinde fuerunt ibi missi, ex parte eorumdem dominorum ducis et comitis, reverendus in Christo pater, dominus Ludovicus episcopus Morinensis, et dominus Petrus de Lucemburgis, ejus frater, comes de Conversant et de Brienna, dominus de Engia, ac magister Symon de Fourmellis, consiliarii: in quo loco manserunt continuo tractando per tres septimanas vel circa. Et postquam ipsi commissarii de omnibus et singulis erant concordes, mandaverunt pro dicto duce Johanne in Bavaria, qui venit ibi navigio propria in persona; in cujus ac predictorum ducis et ducisse presenciis prelibati domini commissarii eandem pacem integram, in scriptis penitus redactam, publicaverunt, et per organum Emundi de Dynter, dicti domini ducis Brabancie secretarii, legi fecerunt in predicto oppido de Wondrichem, die XIII^a^ mensis februarii, anno Domini M° CCCC° XIX° secundum stilum curie Hollandie, prout patet in literis patentibus desuper confectis, et predictorum dominorum ducis et ducisse Brabancie ac ducis Johannis in Bavaria atque commissariorum antedictorum sigillorum appensionibus munitis et per suprascriptum Emundum secretarium scriptis et signatis. Que quidem litere fuerunt postea, scilicet die XXIIII^a^ supradicti mensis februarii, in oppido Brugensi, per memoratum dominum comitem de Charolois confirmate per suas literas patentes ipsius appensione sigilli sigillatas et signatas P.-G. de Gand.

In qua siquidem pace inter alia continetur, quod Johannes dux in Bavaria, filius Hannonie, Hollandie et Zelandie, pro se tenebit hereditarie oppidum Dordrecht cum suis pertinenciis; item, oppidum de Gorinchem cum dominiis de Arckel, de Lederdam, Vander Lede et de Schoeneworde, et oppidum de Rotterdam cum eorum attinenciis, quodque omnes captivi erunt liberi et quiti, et omnis pecunia non soluta a prima die januarii

[1] Seu potius *Worichem*.

proxime preteriti, citra quando dicta tractatus pacis fuit, teneri deberet conclusa; item, quod dux Johannes de Bavaria omnia supradicta oppida et terras, quas antea habuit, tenebit in feudum a domino duce et ducissa et eorum successoribus, Hannonie, Hollandie et Zelandie comitibus. Item, ipse dux Johannes renunciabit omni juri per sedem apostolicam vel Romanorum regem ad dictas patrias sibi collato, et nominabit se ammodo filium Hannonie, Hollandie et Zelandie. Item, quod dicti dux et ducissa Brabancie persolvent eidem duci Johanni in Bavaria centum millia nobilium Anglie infra terminos certos, pro quibus fidejusserunt nobiles et oppida trium terrarum Hannonie, Hollandie et Zelandie.

De capcione domini Heinrici de Bergis supra Zomam, et de ejus morte.
Cap. CLXV.

Postquam predicta pax apud Wondrichem fuit facta atque publicata, domini dux et ducissa Brabancie et Hollandie recedentes gressus suos versus Hannoniam direxerunt. Eodem tempore prelibatus dominus dux adhuc erat commotus contra bona oppida sua Brabancie propter correctionem factam in Wilhelmum Vanden Berghe, et precipue contra oppidum suum Bruxellense, ex eo quod Wilhelmum de Assche ammodo pro eorum ammanno recognoscere noluerunt, sed ipsum in *Vroenta* posuerunt captivum, quia cum scabinis stare recusavit in correctione de ipso Wilhelmo Vanden Berghe facta; et sic dominus dux et domina ducissa, qui ad Mechliniam venerunt, ibi per aliquot dies permanserunt. Dominus autem dux transmisit memoratos dominos episcopum Morinensem et ejus fratrem, comitem de Conversant et de Brienna, dominum de Engia, versus Bruxellam, ad scabinos, consules et juratos ibidem informandum et inducendum, quatenus predictum Wilhelmum de Assche pro eorum ammanno recognoscere, et Wilhelmum Vanden Berghe de predicta correctione immunem et quitum tenere curarent; quod si facerent, domini dux et ducissa venirent Bruxellam, statum ipsorum ibi tenendo, et alias non.

Interim domina de Aggere Sancti Martini, soror domini Heinrici de Bergis, mandavit sibi secrete quod sine mora veniret Mechliniam; ipsa sperabat quod domina ducissa, cum qua fuit locuta, faceret suam pacem

cum duce: ob quam causam dominus Heinricus de Bergis illico de Bruxella equitavit ad Mechliniam, et quia, ut sibi videbatur, apud dominam ducissam tutus accessus sibi non patebat, rogavit nepotem suum, dominum Wilhelmum de Montforde, quatenus loqueretur cum Wilhelmo Vanden Berghe, ut pacem suam cum domina ducissa et duce facere vellet. Quare dominus Wilhelmus de Montforde de ista materia fuit locutus cum Wilhelmo Vanden Berghe predicto, qui sibi respondit verba sequencia in effectu : quod idem dominus Heinricus de Bergis, cujus familiaris domesticus commensalis fuit, ipsius vestes gerens, ipsum primitus ad curiam domini ducis promovit; quodque post dominum ducem nullum tantum diligeret sicut ipsum, quem juxta posse suum libenter juvare deberet. Quibus verbis auditis, dominus Heinricus de Bergis bene consolatus a Mechlinia recedens, intendebat redire in Bruxellam, ad loquendum cum duobus fratribus episcopo Morinensi et comite de Conversant, ut pro ipso apud dictum dominum ducem pro ipsius gracia consequenda intercedere dignarentur. Dum vero ipse dominus Heinricus venit in pratis Vilvordiensibus, inter Vilvordiam et domunculam dictam *ten huysken,* advenit dominus Johannes Vanden Vliet, miles, associatus multis viris armatis, inter quos erant duo dicti Wilhelmi Vanden Berghe servitores, cum arbalistis tensis et sagittis suprapositis, qui ipsum ceperunt et coarctarunt taliter, quod fide media ipsis promisit, quod die sequenti, sole lucente, veniret in oppido de Halle, et abinde non recederet absque consensu et licencia domini ducis predicti. Qua promissione sic facta, dictus dominus Johannes Vanden Vliet cum suis ab ipso recessit, iter suum capiens per Haren et deinde inter Bruxellam et monasterium de Camera versus Hal. Dominus vero Heinricus intravit Bruxellam, ubi propter ipsius capcionem insurrexit magnus tumultus sive rumor in populo, quia ipsorum comburgensis et in ipsorum districtu captus fuit, et eciam quia extra limites patrie Brabancie fuit cruentatus, quod, ut dixerunt, notorie fuit contra legem sive jus patrie, id est *lantrecht.* In quo tumultu sive commocione populi episcopus et comes supradicti, pro tunc in domo consulum existentes, non erant sine parvo periculo; sed, quia fuit repertum quod ipsi de hujusmodi capcione nichil sciverunt, ideo ipsis nullum malum fuit illatum. Et factum propter quod ibi venerant non habuit progressum, et sic vacui a Bruxella recesserunt.

Oppidum vero Bruxellense super novitate et cruentacione predictis diversa consilia tenuit; aliqui consuluerunt, quod dictus dominus Heinricus cum tanta hominum armatorum potencia ad Halle duci deberet, quod portarum custodes ipsum introire non permitterent, et sic salvo suo honore abinde recedere posset; alii consuluerunt, quod ipse ex parte oppidi Bruxellensis capi deberet et captivus observari; et sic ex parte oppidi fuit captus et in *Vroenta* positus, ubi dum per certum terminum fuisset, fuit ex *Vroenta* relaxatus et ad hospicium suum ductus, in quo permanere et ex eodem non exire per fidem suam promisit. Ob quam quidem capcionem ipse dominus Heinricus tantam displicenciam et melancoliam habuit in corde, quod ex magnis tristicia et merore gravem incurrebat infirmitatem. Qua infirmitate durante, obiit dominus de Bergis supra Zomam, suus genitor, per cujus obitum dominium et terra de Bergis ex successione hereditaria ad ipsum fuit devolutum. Tandem domina ducissa Brabancie et domina Hannonie, ejus mater, fecerunt pacem inter dominum ducem et dominum Heinricum supradictum; unde natura ipsius fuit in tantum refocillata et recreata, quod in paucis diebus a dicta sua infirmitate convaluit. Tunc enim proposuit se transferre versus oppidum de Bergis, causa inibi et in aliis locis consuetis in dominum recipiendi; sed, proch dolor! dum se ad hoc preparasset, recidit in majorem infirmitatem, a qua non convaluit, et mortuus est et sepultus. Cui in dicto dominio de Bergis successit unica filia sua, nomine Johanna, que patre suo adhuc vivente, licet abque ipsius consensu, duxerat in maritum Johannem de Glimis.

Item est sciendum, quod, licet Wilhelmus Vanden Berghe dixerat per fidem suam domino Wilhelmo de Montfort, quod predictum dominum Heinricum de Bergis juvare deberet, prout supra scriptum est, nichilominus tamen predictus dominus Johannes Vanden Vliet publice confessus fuit et recognovit, quod ipse Wilhelmus Vanden Berghe solus erat penes dominum ducem, quando dedit sibi mandatum eundem dominum Heinricum captivandi, quodque idem Wilhelmus Vanden Berghe tunc eciam dixit ad eundem dominum ducem : « Domine, si non permiseritis quod antedictus » dominus Heinricus et duo vel tres ex majoribus tollantur de medio, id est » de communi aspectu hominum auferantur, nunquam eritis dux potens in » Brabancia; quod si feceritis, omnes ante conspectum tuum tremebunt. » Tale consilium detractorium scivit dare Wilhelmus Vanden Berghe.

De morte ejusdem Wilhelmi Vanden Berghe. CAP. CLXVI.

Subsequenter vero, memoratis domino duce et domina ducissa cum statu eorum in Montibus in Hannonia residentibus, accidit una dierum in mense marcio, quod ipse dominus dux post prandium causa recreacionis equitavit venatum, et pari modo domina ducissa cum domina genitrice sua equitavit volatum, Wilhelmus autem Vanden Berghe, qui bastardis Hollandie substraxerat certos redditus, et proventus annales, quos quondam pater ipsorum, dux Wilhelmus in Bavaria ac Hannonie, Hollandie et Zelandie comes, genitor domine ducisse predicte, et ipsa domina ducissa eisdem bastardis contulerant, eisdem bastardis persolvi inhibuerat, se causa dormicionis ad cameram suam in curia existentem retrahens, se posuit supra lectum : qui quidem bastardi cum suis complicibus eundem Wilhelmum dormientem interfecerunt. Cujus necem dominus dux, dum ad ipsius devenit noticiam, plus quam dici potest plorabat, lugebat et lamentabatur per triduum sine intermissione. Tandem ipse dux Johannes aliqualiter confortatus, videlicet die XXIX^{a} mensis marcii predicti, peti fecit a vidua predicti Wilhelmi interfecti, de suorum officiorum expositis et receptis in camera sua computorum in Bruxella sibi fieri computum et racionem. Et tunc ab illo die in antea idem dux Johannes suum dolorem temperando mitigavit.

Circa idem tempus dicta domina ducissa cum domino de Rotselaer, tunc senescallo Brabancie, fecerunt pacem domicelli de Nassouw cum domino duce predicto, die XII^{a} mensis aprilis anni M^{i} CCCC^{i} XIX^{i}. Et ex tunc, die XV^{a} ejusdem mensis, in vigilia Pasche, dominus Cornelius de Liedekerke fuit factus senescallus Brabancie, et dominus de Rotselaer in locum Wilhelmi Vanden Berghe fuit factus thesaurarius Brabancie.

De mutacione status in curia domini ducis Brabancie, de quo domina ducissa fuit male contenta. CAP. CLXVII.

1419 Anno Domini M^{o} CCCC^{o} XIX°, in mense maio, dominus dux et domina ducissa, cum eorum statu recedentes ex Hannonia, venerunt ad Braban-

ciam, ubi residenciam suam primo fecerunt in Vilvordia. Dominus autem dux aliquando processit venatum in nemore Zonie, aliquando ultra Sennam, aliquando se tenuit apud Furam, aliquando in Antwerpia, et sepius in Vilvordia : quia adhuc erat commotus contra oppidum suum Bruxellense, ex eo quod Wilhelmum de Assche pro eorum ammanno adhuc nolebant recognoscere, sed ipsum continue tenuerunt captivatum. Deinde scabini de Buscoducis ad ipsum dominum ducem venientes, ipsum humiliter deprecabantur, quatenus propria in persona accedere dignaretur ad oppidum suum de Buscoducis, ad consolandum fideles subditos ibidem de intolerabili dampno quod incendio et aquarum inundacione, cui similis raro fuit visa, sustinuerunt. Quare idem dominus dux Johannes, ipsorum supplicacionibus favorabiliter inclinatus, versus Buscumducis duxit se transferendum, ubi scabinis, consulibus et juratis assignavit certos diem et horam in quibus ipsos vellet audire. Qua die adveniente, valde mane ante auroram idem dominus dux una cum domicello de Wesemale secrete de Buscoducis recedens, domino de Rotselaer, tunc thesaurario suo, et aliis officiariis curie justiciis quamplurimum perplexis atque stupefactis, se transtulit ad castrum de Grobbendonck, spectans ad dominum Arnoldum de Crayenhem, ubi tunc repperit dominum Jacobum de Gaesbeke, Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, et dominum Arnoldum predictum, qui inter se quatuor, dicto domino duce ad opportunam ipsorum instanciam hoc consenciente, fecerent super ipsius statu hospicii novam ordinacionem : per quam dominus de Rotselaer de thesaurarie officio fuit destitutus, et magister Ludovicus Boet ad officium recepte generalis Brabancie clericus constitutus. Et in curia ducis, demptis duabus, fuerunt omnes domine et domicelle licenciate, loco quarum fuerunt ordinate, ad essendum penes dominam ducissam, comitissa de Marre, tunc domina de Duffel et de Ghele, domina de Wesemale, genitrix domicelli de Wesemale antedicti, et uxor ejus domicella Johanna Bouchout; item domina de Assche ac ejus filia, quam ex ea genuit domicellus Gerhardus de Bergen, et domicella Laurencia, filia domini Everhardi Tserclaes militis.

Qua quidem ordinacione, sicut premittitur, facta, sepefatus dominus dux, unacum prefatis domicellis de Gaesbeke, Wesemale, de Monyouw et domino Arnoldo de Crayenhem, profectus fuit ad Vilvordiam, ubi prelibata ducissa cum statu suo tunc residebat, ubi predicta nova ordinacione prius lecta et

publicata, dominus dux se transtulit versus Furam; quem eadem domina ducissa absque mora fuit secuta cum quinque equis dumtaxat, una domicella et tribus famulis. Que veniens in castro ibidem, ab equo descendens, mox intravit cameram ducis, qui tunc cum supradictis tribus domicellis ac domino Arnoldo et nonnullis aliis fuit in consilio; a quibus, oculis lacrimantibus, petivit indilate ob quam causam dominas et domicellas suas licenciaverant, existentes de nobili sanguine procreatas, bonarum vite et fame, probe et honeste, et pro majori parte secum a juventute educate et nutrite. Dixit eciam alta voce, quod dominus dux causa sui tot terras et dominia possidebat, quod ipsam merito tenere poterat et deberet, cum suis dominabus et domicellabus, cum tali statu sicut ipsam invenit. Ad quod fuit dicte domine ducisse ex parte ipsius domini ducis responsum, quod ob certam causam animum suum ad hoc moventem statum suum mutavit, in quo erant penes ipsam deputate ex nobilioribus et honestioribus dominabus et domicellabus Brabancie. Ad quod domina ducissa animo iracundo replicavit, quod, licet essent ex nobilioribus, tamen ob hoc sue domicelle a juventute secum nutrite et educate non erant deteriores. Sed, quidquid allegavit, novus status permansit sicut fuerat ordinatus, salvo quod ipsa ducissa aliquas de suis prioribus dominabus secum retinuit.

Preterea est sciendum, quod usque ad tempus hujus nove ordinacionis dominus dux et domina ducissa fuerint utique bene unanimes et concordes, sicut vir et uxor in mundo esse potuerunt; sed ab hoc tempore in antea ardens amor conjugalis et pristina cordialis dilectio inter ipsos, proch dolor! tepescebat, et de die in diem adeo frigescebat, quod demum totaliter fuit extincta et neglecta, prout inferius luculencius patebit.

De domino Johanne de Wallenrode et domino Johanne de Heynsberch, episcopis Leodiensibus. Cap. CLXVIII.

Quia dux Johannes in Bavaria resignaverat in manibus domini Martini pape quinti ecclesiam Leodiensem, cui per XXVIII annos tamquam electus prefuerat, idem dominus noster papa providit de eadem domino Johanni de Wallenrode, tunc archiepiscopo Rigensi, qui ad eandem ecclesiam fuit honorifice, ut decuit, more solito admissus et intronizatus, anno Domini

M° CCCC° XVIII°, mensis augusti die octava. Quam postquam laudabiliter rexerat paulo plus quam per unum annum, ab hoc seculo migravit ad Dominum.

Deinde vero, anno Domini M° CCCC° XIX°, die vero XVIII° mensis maii, fuit dominus Johannes de Heynsberch, pro tunc canonicus Leodiensis et archidiaconus Hasbanie, in eadem, etatis XXIII annorum, per capitulum Leodiense in eorum episcopum concorditer electus. et postea per dictum dominum nostrum papam confirmatus.

De privilegio locumtenentis sive subammanni Bruxellensis, et de scabinis ibi instituendis in vigilia Nativitatis beati Johannis Baptiste. Cap. CLXIX.

Sub anno Domini M° CCCC° XIX° supradicto, in vigilia Nativitatis beati 1419
Johannis Baptiste, non erat adhuc inibi loco Wilhelmi de Assche, de officio ammannie per oppidum Bruxellense destituti, alius ammannus ordinatus. Quare dux Johannes ex XXI personis, sibi per scabinos Bruxellenses. ut moris est, transmissis, septem novos scabinos ordinare recusavit, et sic remansit oppidum Bruxellense ab illo die in antea absque scabinis per tres septimanas vel circa. Unde eidem oppido intolerabilia dampna advenisse potuissent, ad que impedienda fuit per medium nonnullorum amicorum taliter tractatum inter dictum dominum ducem et oppidum suum Bruxellense, quod aliqui de ejusdem domini ducis consilio et deputati trium bonorum oppidorum, Lovaniensis, Antwerpiensis et Buscoducensis, cum plena potestate in oppido Vilvordiensi congregati, taliter tractaverunt, quod per dominum ducem antedictum, XVI° mensis julii anni predicti, Johannes Taye de Elwyt in loco Wilhelmi de Assche fuit factus ammannus Bruxellensis, et dominus Johannes de Coudenberghe, Wilhelmus de Mors, Philippus van Kesterbeke, Reynerus de Linckenbeke. Symon Vanden Couderborch, Heinricus Veele et Johannes Taye de Gaesbeke fuerunt ordinati scabini Bruxellenses. Et ut futuris temporibus simile contingere non deberet, oppidum Bruxellense obtinuit ab eodem duce Johanne certum privilegium, cujus virtute dux Brabancie pro tempore existens, cunctis futuris temporibus in antea. tenebitur ordinare unum

notabilem virum in locumtenentem ammanni Bruxellensis, in omnibus causis eandem potestatem habentem, ex parte ducis, quam habet ammannus, quando ipsum extra Bruxellam abesse contigerit, vel quando ammannus, per duos scabinos requisitus aliquid facere quod ex incombenti officio facere tenetur, recusaverit, vel se ad hoc publice invitum vel desidem redderet. Et si in ammanno et ejus locumtenente defectus fuerit repertus, tunc statim scabini Bruxellenses, vel duo ex ipsis, unum clientem juratum ammanni predicti, quemcumque voluerint, ad hoc capere, et per juramentum suum ad hoc poterunt astringere. Et si in antea contigerit, quod dominus dux in defectu repertus fuerit, ex electione XXI personarum, quam scabini sibi destinaverint, non ordinare septem scabinos in vigilia Beati Johannis Baptiste ante nonam, quod tunc scabini antiqui discedentes septem scabinos novos indilate facere possunt et eligere tenebuntur: prout hec cum nonnullis aliis punctis et articulis in literis desuper confectis clarius continentur.

De traditorio interitu Johannis ducis Burgundie; necnon de matrimonio inter Heinricum regem Anglie et Katherinam filiam Karoli regis Francie postea contracto. Cap. CLXX.

1419. Anno Domini M° CCCC° XIX° suprascripto, mense septembri, facta per prius inter illustres dominos Karolum Francorum regis filium, delphinum Viennensem, ex una parte, et Johannem ducem Burgundie, etc., patrem Philippi Burgundie, Brabancie, etc., ducis moderni, ex altera, specialis unionis et amicicie liga et confederacione, utriusque eorundem juramenti, tactis sacrosanctis scripturis ad sancta Dei evangelia vicibus iteratis corporaliter prestiti, sacrosancti eucharistie sacramenti receptione confirmata, prout in literis patentibus ipsorum appensione sigillorum communitis dicitur latius contineri, idem Johannes dux Burgundie, per predictum delphinum mandatus ad tractandum secum, qualiter antedicto regi Anglie, qui ducatum Normannie pro majori parte vi armorum acquisiverat, et Rothomagum obsidione circumvallaverat, resistere et ipsum extra limites regni Francorum expellere possent, in prelibato, quod tam solempniter pepigerant, federe confisus, cum modica nobilium comitiva sine armis bel-

licis eundem delphinum adivit, in castro de Monstreul existentem : post cujus introitum, pontibus castri mox levatis et portis clausis, idem dux, in presencia dicti delphini flexis poplitibus sibi reverenciam exhibendo, fuit traditorie interemptus. Unde multa mala et guerrarum discrimina in vindictam sunt, proch dolor! subsecuta, quarum vestigia adhuc patent in Francia, que nimis longum esset enarrare.

Deinde vero memoratus Philippus dux, dicti ducis Johannis Burgundie filius, qui ante ejusdem patris sui necem comes de Charolois vocabatur, tantum tractavit inter supradictos Karolum Francie et Heinricum Anglorum regem, quod idem Heinricus rex predicti Karoli regis filiam, nomine Katherinam, legitimam duxit in uxorem, cum qua, in subsidium dicti matrimonii sacri, idem Karolus rex dedit predicto Heinrico regi ducatum Normannie, quem ab eodem Karolo rege in feudum relevavit, faciens sibi proinde debite fidei et fidelitatis juramentum; fuitque inter ipsos conventum et ordinatum quod, si Heinricus rex ab eadem Katherina generaret filium masculum, quod ille predicto Karolo regi in regnum Francorum succedere deberet, abjecto inde et privato delphino predicto. propter interfectionem ducis Johannis Burgundie, quam, in presencia sua, contra fedus salvumque suum conductum, tam traditorie fieri permisit. Et mediantibus predictis et aliis convencionibus, comprehensis in literis patentibus desuper confectis, predicti reges facti sunt amici et pacificati, per medium Philippi Burgundie ducis supradicti. Qui confederatus cum rege Anglorum, post predicti regis Karoli decessum contra predictum delphinum et sibi adherentes, qui utriusque partis pacem turbabant, animose vindicabat, unde magnum malum processit et quasi quoddam contagium, terras utriusque et pocius ipsius delphini invasit. Agricole enim bonis suis spoliati, miseri et exules de finibus suis egressi, terra deserta habitatoribus inculta remansit. Erat cernere miserum incendia, homicidia, rerum omnium depredaciones violenter fieri, fere per XVI annos, donec, anno Domini M° CCCC° XXXV°, inter predictos delphinum, tunc regem Francorum, et Philippum ducem Burgundie pax fuit facta in civitate Attrebatensi per legatos et oratores domini Eugenii pape quarti et concilii generalis Basiliensis ad hoc specialiter deputatos.

Qualiter Johannes dux Brabancie commisit regimen terrarum suarum Hollandie, Zelandie et Frisie Johanni de Bavaria, filio Hannonie, Hollandie et Zelandie. CAP. CLXXI.

1420 Subsequenter vero, anno Domini M° CCCC° XX°, die XXVII^a mensis aprilis, Johannes dux Brabancie sepefatus in oppido suo Antwerpiensi constitutus, mutato regimine priore, constituit et ordinavit in suos consiliarios personas subsequentes : scilicet dominum Johannem de Grymbergis, dominum de Assche, Johannem filium ejus seniorem, magistrum Johannem Bont, in utroque jure licenciatum, Nycholaum Vanden Werve, Bernardum Vuyten Engen, Reynerum Mours, Johannem Vanden Huffle, Nycholaum Colensone, et magistrum Wilhelmum Bont in secretarium, pro regimine tam persone sue quam terrarum suarum. Deinde, ejusdem mensis aprilis die ultima, idem dominus Johannes fecit suum sigilliferum Nycholaum Colensone antedictum, qui fuerat clericus juratus oppidi Antwerpiensis antedicti; fecit eciam eodem tempore Rutgerum de Teeselen, alias dictum Boene, qui fuit clericus juratus Bruxellensis, suum secretarium ac clericum libri feudorum Brabancie. Post hoc dux Johannes ex Antwerpia recedens se transtulit cum nonnullis personis suprascriptis versus Zelandiam ad castrum Aggeris Sancti Martini, quod spectabat ad dominum Florencium de Borseele, ubi repperit ducem Johannem in Bavaria prelibatum, cui, de consilio et assensu personarum prescriptarum, commisit regimen et administracionem terrarum suarum Hollandie, Zelandie et Frisie prenominatarum, juxta continenciam et tenorem literarum desuper confectarum.

Qualiter domina ducissa Brabancie cum domina sua matre recessit ex curia et hospicio ducis Brabancie predicti. CAP. CLXXII.

1420. Postquam memoratus Brabancie dux ducem Johannem in Bavaria gubernatorem et regentem instituerat terrarum antedictarum, reversus fuit ad oppidum suum Bruxellense, ubi continue permansit cum statu suo et familia fere per quatuor menses. Infra quos accidit, quod dominus Ever-

hardus Tserclaes miles, pro tunc magister hospicii, ordinacionem super dominorum ducis et ducisse statu hospicii per supranominatos consiliarios factam valde rigorose tenens, recusavit tam large ministrare de mane pro jentaculo offam et vinum cum pertinenciis, ac de vespere pro vino et aliis necessariis, prout fieri solebat pro domina ducissa prelibata et ipsius dominabus et domicellabus, et signanter contradixit servire in prandio et in cena aliis personis sexus utriusque quam illis que per predictam ordinacionem fuerunt retente; nam omnes domicelle penes dictam dominam ducissam existentes fuerunt licenciate preter in dicta ordinacione conscriptas, scilicet dominam comitissam de Marre, dominam de Duffle, etc., dominam de Wesemale et domicellam de Wesemale, dominam de Assche et ejus filiam, et aliquas alias in alio loco nominatas. Deinde contigit quod domina vidua Hannonie, etc., genitrix domine ducisse prefate, venit in Bruxellam, que de ista nova ordinacione informata, fuit irata valde, et consimiliter domina ducissa ejus filia; quare eadem domina vidua et mater, veniens ad hospicium ducis in Frigido Monte, ipsum hortabatur quatenus predictam ordinacionem contra domicellas per modum predictum factam revocaret. Et quia dux hoc facere renuit, domina vidua et mater, multum turbata et pessime contenta, abinde recedens ad hospicium suum in Speculo equitavit, quam domina ducissa ejus filia pedes, et Johannes Rasoir secum, mox usque ad dictum hospicium in Speculo lacrimando fuit secuta. Die vero sequenti ambe domine, scilicet mater et filia, cum notabili comitiva ex Bruxella recedentes versus Quercinum, id est *Quesnoit*, perrexerunt.

De declaracione ducis super pace inter illos Vanden Heetvelde, ab una parte, et illos de Lombeke et de Platea, ex altera, alias facta. Cap. CLXXIII.

Orta quondam dira inimiciciarum commocione inter dominos Johannem Walterum et Wilhelmum Vanden Heetvelde milites, fratres, et ipsis adherentes, ex una parte, ac Johannem de Lombeke et fratres de Platea cum ipsorum complicibus, ex altera, de qua quidem commocione Anthonius quondam Brabancie dux inter partes predictas pacem fecit, demptis nonnullis excessibus, incendiis et membrorum mutilacionibus, predictis 1420.

tribus fratribus in eorum corporibus atque bonis per predictam partem ipsis adversam inflictis et irrogatis, de quibus postea, scilicet anno M° CCCC° XVII°, die vero lune altera post *Quasimodo geniti,* scilicet octava Pasche, in Johannem ducem Brabancie, predicti ducis Anthonii filium, et ejus ordinacionem, ad ipsius instanciam, predicte due partes se submiserant: qui tandem inter easdem partes, die XX[a] mensis junii predicti, integram et plenariam pacem pronunciavit, salva sibi declaracione desuper facienda infra eandem XX[am] diem et festum Pasche ex tunc proxime venturum.

Tandem, anno Domini M° CCCC° XX°, antedictus Johannes dux, ex supradicti Rutgeri persuasione, ut dicebatur, supradictos tres fratres Vanden Heetvelde fecit coram se vocari in curia sua apud Coudenberghe, quibus coram se constitutis fecit dici, quod declaracionem suam proferre vellet super pace per illum alias pronunciata. Qui quidem fratres ad hoc responderunt, dicentes quod pro parte ipsorum predicta pax esset inviolabiliter observata, sperantes quod pars dudum ipsis adversa de ipsis non esset conquesta de contrariis, adjicientes quod tempus declaracionis fiende jam expiravit, quapropter fieri non desiderabant. Quibus dictis, iidem tres fratres illico ex Bruxella recedentes, se transtulerunt versus Lovanium, ubi facti fuerunt burgenses, ut dicebatur : erant eciam per antea homines Sancti Petri, sperantes quod libertate hominum Sancti Petri ibi potiri deberent et gaudere. In quorum absenciam sive contumaciam dominus dux suam declaracionem de supradicta pace proferri et legi fecit, per organum Rutgeri Boene prescripti, ex quadam litera desuper confecta, quam eisdem tribus fatribus in Lovanio duxit transmittendam, in qua ipsis precepit quod certas magnas peregrinaciones facerent extra limites patrie sue Brabancie, sine dilacione, et extra eandem per spacium certorum annorum manere deberent. Quam quidem literam iidem tres fratres Vanden Heetvelde nobilibus et deputatis bonorum oppidorum Brabancie, pro tunc ad dietam in Lovanio congregatis, ostenderunt, conquerentes quod extra metas juris et justicie deducerentur, attento quod ipsi simili modo submiserunt super incendiis et vulneribus ac mutilacionibus in eorum corporibus atque bonis ipsis illatis, de quibus pocius sperabant emendam reportasse quam penam. Dixerunt eciam quod tempus diu expiravit, infra quod dux Johannes suam declaracionem fecisse potuisset, quare

eandem invalidam tenuerunt: et sic eidem non obtemperantes neque peregrinaciones proficiscentes, in Lovanio permanserunt.

De duabus dietis Bruxelle et Lovanii eodem tempore divisim tentis, ac de Millen, Ganghelt et Vucht. Cap. CLXXIV.

Anno Domini M° CCCC° XX°, in mense maio, Johannes dux Brabancie 1420
sepefatus literatorie mandavit tribus statibus patrie sue Brabancie, quatenus ad certam diem mensis maii penes ipsum venirent in oppido suo Bruxellensi, propter certam precariam sibi consenciendam. Eodem tempore oppidum Lovaniense eciam scripsit predictis tribus statibus, deprecantes quatenus die supradicta venirent ad dietam in Lovanio, propter nonnullas causas jura ipsorum quamplurimum concernentes. Quapropter aliqui nobiles et nonnulli oppidorum applicuerunt Bruxelle penes eorum dominum Johannem predictum; reliqui vero nobiles et deputati convenerunt in Lovanio. Nobiles vero tunc in Lovanio congregati scripserunt, per eorum literas sub sigillo oppidi Lovaniensis scriptas die XIX^a^ mensis maii, duci Johanni eorum domino significantes quod, prout ipsis et eciam nonnullis deputatis bonorum oppidorum videbatur, regimen suum non erat in tali statu conservatum, sicut gracie et nobilitati sue merito appertinere deberet, et quemadmodum ipsius antecessores preclare memorie duces Brabancie statum suum hactenus observaverunt, viso quod magnam partem terrarum suarum, hominum et reddituum in manus transtulit alienas: et si modo sibi in tali quali regimine existenti precariam consentirent, verebantur quod illa non converteretur ad suum honorem neque sui et communis patrie sue majorem utilitatem et profectum. Quare peticioni sue satisfacere et ad eam intendere non valerent; nam sui regiminis qualitate pensata, non bene facerent quod sibi jurejurando promiserant, quia nec facerent suum honorem neque profectum, quos et quidquid sibi facere tenentur, semper sibi facere obtulerunt, ad suum honorem et dicte sue patrie majorem utilitatem et profectum: prout in dictis eorum literis lacius dicitur contineri.

Eodem tempore supradicti nobiles in Lovanio congregati scripserunt aliis nobilibus Bruxelle existentibus, ipsos deprecantes, et in virtute con-

federacionis inter ipsos existentis requirentes attente, quatenus ipsis et predicte eorum responsioni et opinioni adhererent, quia jam opus esset et necesse, prout ipsimet secundum exigenciam facti bene perpendere possent. Nomina vero nobilium qui in Lovanio erant sunt hec : Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, Thomas dominus de Diest, Johannes dominus de Wesemale, etc., Johannes de Schoenvorst borchgravius de Monyouw, etc., Johannes dominus de Rotselaer, dominus Heinricus de Lecka, dominus de Heeswyck et Emundus de Dynter, Johannes de Witham dominus de Bouwtershem, dominus Johannes dominus de Witham, dominus Heinricus de Diest dominus de Riparia, Heinricus de Rotselaer dominus de Roest, dominus Heinricus dominus de Heverle, dominus Robertus de Spontyn dominus de Wavera, dominus Waltherus de Winghe, Johannes dominus de Schoenhoven, Johannes dominus de Goetsenhoven, dominus de Veele et alii quamplures.

Subsequenter vero, die XXI^{a} ejusdem mensis maii, memoratus dominus dux Johannes exoneravit et deposuit dominum Arnoldum de Crayenhem dominum de Grobbendonck, militem, a custodia et regimine castrorum, terrarum et oppidorum de Millen, Gangelt atque Vucht, que commisit domino Johanni de Loen domino de Heynsberch et Johanni ejus seniori filio, eorum vita durante. Super quo dicti dominus de Heynsberch et Johannes ejus senior filius, nec non Johannes de Heynsberch, pro tunc episcopus Leodiensis, et Wilhelmus comes de Blankenhem, ejusdem domini de Heynsberch filii, se per eorum patentes literas obligarunt atque certos fidejussores posuerunt, quod, immediate post ipsorum domini de Heynsberch et senioris ejus filii atque ultimate superstitis decessum, eorumdem castra, terre et oppida de Millen, Gangelt atque Vucht antedicta sine aliqua renitencia et impedimento restituerentur ad manus ipsius Brabancie ducis sive heredum et successorum ejusdem : prout in literis desuper confectis plenius asseritur contineri.

De secreta unione atque liga facta inter aliquos de consilio domini ducis et nonnullos burgenses oppidi Bruxellensis. Cap. CLXXV.

Stante autem divisione inter barones et nobiles patrie Brabancie, per- 1420.
sone subsequentes: videlicet dominus Johannes de Grimbergen dominus de Assche, dominus Johannes de Coudenberghe, dominus Everhardus Tserclaes, milites; Johannes de Aa dominus de Hogensteyn, Cornelius de Aa, frater ejus, Reynerus Mours, Johannes et Robertus de Assche fratres, Johannes Taye de Eelwyk, Waltherus, Wilhelmus et Johannes Taye de Gaesbeeck, Geldolphus de Coudenberghe, Johannes Tseraerts, Theodericus de Lose, Gaspar et Melchior de Arcken fratres, Johannes de Yedegem et Johannes de Weirt, de mandato, consensu, scitu et voluntate Johannis ducis Brabancie, eorum domini, se mutuo colligaverant, vitis eorum durantibus, contra omnem hominem venientem, qui se verbis et factis dicto domino duci opponere aut contraire auderet, quodque eidem domino duci corporibus atque bonis fideliter assisterent in conservacione juris et jurisdictionis sue, et in omnibus locis suum honorem atque profectum promoverent, cum multis aliis punctis et articulis in literis patentibus desuper confectis, ipsorum appendentibus sigillorum communitis, datis mensis maii die XXIIII^a anno Domini M° CCCC° XX° suprascripto. Cui siquidem colligacioni postea, per eorum sigillatas literas predictis aliis literis transfixas, adheserant Costinius de Aa, Johannes, Heinricus et Wilhelmus Cluetinck fratres, et Heinricus de Hertoge. Ad quorum quidem viginti et quatuor supranominatorum postulacionem instantem prelibatus dux Johannes literas suprascriptas colligacionis per suas sigillatas literas illis transfixas, datas die XXI^a mensis junii anni predicti, laudavit, approbavit et ratificavit: prout in eisdem literis desuper confectis lacius dicitur contineri.

De correctione nonnullorum de consilio domini ducis Johannis in Lovanio facta. Cap. CLXXVI.

Supradicto anno M° CCCC° XX°, mense junio, in vigilia Nativitatis beati 1420
Johannis Baptiste, Johanne Taye de Eelwyt adhuc ammanno Bruxellensi

existente, sepefatus dux Johannes ordinavit in scabinos Bruxellenses Johannem Metten Schachte, Johannem Mennen, Johannem de Froyen, Heinricum Cluetinck, Egidium de Kegel, Johannem de Leuw et Bartholomeum Tseraerts. Et quia suprascripti barones et nobiles Brabancie, et cum ipsis oppidum Lovaniense, se ab ipsius Johannis ducis obediencia distraxerant, et discesserant ab eodem, bona oppida Bruxellense, Antwerpiense et de Buscoducis per eorum deputatos vicibus iteratis suas interposuerunt partes ad concordandum barones, nobiles et oppidum Lovaniense cum duce Johanne et aliis nobilibus partem suam foventibus. Et quia in hoc suo frustrabantur desiderio, prelibata tria oppida suos destinarunt deputatos in abbaciam de Cortenberghe, ipsis injungentes quod abinde non recederent donec inter partes predictas bonam concordiam tractassent ad honorem et profectum majorem domini ducis et communis patrie sue Brabancie. Que omnia antedicti trium oppidorum deputati baronibus, nobilibus et oppido Lovaniensi antedictis literatorie significarunt, ipsos requirentes quatenus causam hujusmodi in bono statu tenere et a rigore cessare vellent. Ad quod predicti barones et nobiles supradictis oppidorum deputatis in Cortenberghe existentibus responderi fecerunt, quod nichil aliud desiderarent quam dicti domini ducis honorem et profectum procurandum; et ut hoc consensu unanimi fieri posset, requisiverunt ipsos in vim confederacionis inter ipsos existentis, quatenus indilate ad ipsos in Lovanium properarent, ad concordandum ipsos et excogitandum vias et media quibus hoc conveniencius fieri posset.

Quod predicti deputati refutantes, manserunt apud Cortenberghe, labores magnos et expensas in vanum facientes. Barones autem et nobiles cum oppido Lovaniensi conabantur ad se attrahere alia oppida contra aliquos de consilio domini ducis, quos irrevocabiliter corrigere intendebant, ex eo quod consilium et consensum adhibuerunt in alienacione terrarum et dominiorum Hollandie, Zelandie et Frisie, absque scitu et voluntate domine ducisse; quodque eandem dominam ducissam permiserunt ex curia domini ducis recedere, conantes ipsam a consorcio dicti domini alienare, denegantes eciam sibi victualia necessaria ministrare, et specialiter in die Pasche proxime preterita, ne sibi ex officiis serviretur, inhibendo; prestantes insuper consilium et consensum in alienacione castrorum et oppidorum de Millen, Gangelt et Vucht; consuluerunt eciam quod dictus domi-

nus dux, contra Deum et justiciam, certam suam declaracionem protulit contra tres fratres Vanden Heetvelde antedictos. Ob quos quidem et multos graves excessus suprascripti barones et nobiles et oppidum Lovaniense, pro seipsis et aliis sibi in hiis adherere volentibus, multas graves correctiones et exiliaciones ordinaverunt contra consiliarios ac sigilliferum et secretarium et clericum libri feudorum antedictos, scilicet contra dominum Johannem de Assche, Johannem ejus filium seniorem, Reynerum Mours, Bernardum Vuyten Enge, qui ad omnia premissa consuluit, dixit eciam publice quod domini dux et ducissa melius manerent separati quam conjuncti, attento quod dominus dux tenebat partem dictam *Cabbelyauw,* et domina ducissa partem dictam *Hoeck;* item Nycholaum Colensone et Rutgerum Boene, proscribentes eosdem extra limites patrie Brabancie, donec predicte terre Hollandie, Zelandie et Frisie ad manum ducis Johannis Brabancie et domine ducisse essent reducte.

Que quidem correctio fuit publicata Lovanii, in die Assumptionis beate Marie, anno Domini M° CCCC° XX° suprascripto.

Cujus correctionis publicacioni interfuerunt : Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, Wilhelmus comes de Seyne, dominus de Rode Sancte Agathe, dominus Thomas dominus de Diest, Johannes dominus de Wesemale, Johannes de Schoenvorst, burchgravius de Monyouw, dominus de Cayendonck et Diepenbeke, dominus Johannes dominus de Rotselaer, Johannes de Glimes, dominus de Bergis supra Zomam, dominus Heinricus de Lecka, dominus de Heeswyck et de Dynter, Johannes de Hoinre dominus de Parweys, Johannes de Wittham dominus de Bouwtershem, dominus Arnoldus de Crayenhem dominus de Grobbendonck, dominus Johannes de Berlaer dominus de Helmont, dominus Johannes dominus de Wittham, dominus Raso Vander Rivieren dominus de Nederlintere, dominus Heinricus de Diest dominus de Riparia, dominus Heinricus dominus de Heverle, dominus Walterus de Winghe, dominus Libertus de Meldert, dominus Heinricus de Wittham, dominus de Bersele, dominus Johannes de Dongelberghe, dominus Heinricus de Wailham, dominus Robertus de Spontyn dominus de Wavera, dominus Waltherus de Kersbeke dominus de Stalle et de Gootshoven, dominus Johannes de Huldenberghe, dominus Rolandus de Bourgevail, Heinricus de Rotselaer dominus de Roest, dominus Johannes de Kersbeke, dominus Ywanus

de Houthem, dominus Nycholaus de Sancto Gaugerico, dominus Everhardus Bote, dominus Ludovicus Pynock, domini Johannes, Waltherus et Wilhelmus Van den Heetvelde fratres, Wilhelmus de Montenaken dominus de Graesen et de Wilre, Johannes de Ranst dominus de Caucuckrode, Balduinus de Glimes, Johannes dominus de Schoenhoven, Johannes dominus de Voelne, Wilhelmus dominus de Bigarden et Johannes Dickbier. Sequuntur nomina oppidorum que penes oppidum Lovaniense manserunt ac predicte correctioni adheserunt : Trajectum, Tenense, Leuwense, Nyvellense, Herentallense, Lyrense, Vilvordiense, Landense, Geldonia, Halen; et postea se adjunxerunt Bruxellenses et Antwerpienses.

Qualiter dominus Petrus de Steyne et dominus Florencius Vanden Abeele fuerunt capti in Brabancia. Cap. CLXXVII.

Circa idem tempus et infra mensem augusti dux Johannes in Bavaria misit ad Johannem ducem in Brabancia, tunc Bruxelle existentem, dominum Petrum de Steyne, prepositum ecclesie sancti Salvatoris Trajectensis, et dominum Florencium Vanden Abeele, militem, pro certis negociis secum pertractandis. Qui, habita responsione a duce Johanne, et licencia obtenta, in reditu inter Eppegem et Sempse venientes, fuerunt apprehensi et capti per nonnullos servitores domicellorum de Wesemale et Monyouw, et captivitati ducti ad castrum de Follays, ad domicellum de Wesemale pertinens, qui tandem se posuerunt ad financiam et fuerunt rancionati : de quo ambo duces predicti fuerunt pessime contenti de domicellis antedictis. Et ex tunc, propter capcionem hujusmodi et correctionem domini de Assche et suorum, dux Johannes multo majori quam antea movebatur iracundia contra barones et nobiles et oppidum suum Lovaniense antedictum.

Qualiter Johannes Cluetinck, filius Everhardi, fuit factus ammannus Bruxellensis, et ad que se obligavit. Cap. CLXXVIII.

1420. Die vero II^a^ mensis septembris, anno domini M° CCCC° XX° predicto, Johannes dux Brabancie deposuit Johannem Taye de Eelwyt de officio

ammannie Bruxellensis, quod commisit Johanni Cluetinck, filio Everhardi, qui die sequenti dedit eidem domino duci suas literas patentes continentes in effectu : « Quia graciosus dominus meus dominus dux, qui ex informacione quorumdam emulorum meorum super me fuit commotus, me nunc ad graciam suam et favorem recepit, in ammannum suum Bruxellensem instituendo, hinc est quod ego Johannes Cluetinck prefatus notum facio universis, quod ultra juramentum quod dicto duci de racione predicti officii prestiti, promisi eidem et promitto per presentes, per fidem meam christianam et honorem meum, digitis erectis, corporaliter ad sancta Dei evangelia jurando, quod sibi et adherentibus suis dominis consanguineis et amicis meis predilectis, per quorum promocionem graciam et favorem ejusdem domini ducis sum assecutus, scilicet domino Johanni domino de Assche, Johanni de Assche filio suo, Bernhardo Vuyten Enge, Reynero Mours, suis consiliariis, Rutgero Boene dicto Teeffelen, ipsius secretario, et aliis servitoribus et amicis suis, pro quibus ipse vult respondere, et signanter quos velit habere promotos, cunctis diebus vite mee ero et manebo bonus et fidelis, et predicto gracioso domino meo obediens et paratus in omnibus causis, et, ubi sciam, jus ipsius et jurisdictionem servare juvabo corpore et bonis meis, contra unumquemque dum opus fuerit, quodque sibi et dominis consanguineis meis et amicis meis predictis, et omnibus aliis de quibus predictus dominus meus me duxerit requirendum, mala sive adversa imminencia, dum scivero, ipsis intimabo, et eorum meliora et prospera promovebo, juxta posse meum, necnon corpus et bona mea et totam virtutem atque substanciam meam in omnibus factis fideliter absque mora penes ipsos ponam, sine fictione et dissimulacione quacumque, ipsisque omnia et singula faciam que bonus et fidelis subditus et servitor ac consanguineus et amicus suo vero domino ac consanguineis et amicis, de jure et vigore juramenti prestiti, facere tenetur verbis atque factis. Et insuper, quod ab hac die in antea me non intromittam de domino Johanne de Hertoge milite et Gyselberto Pipenpoy, neque de tribus fratribus Vanden Heetvelde, nec ipsis nec alicui ipsorum aliquod servicium, amiciciam, favorem et amorem impendam, nisi dominus meus dux et alii amici suprascripti mihi aliud injunxerint faciendum : » prout in predictis desuper confectis literis, cum multis aliis punctis et articulis, lacius declaratur.

De aliis consiliariis quos dux Johannes instituit et retinuit.
CAP. CLXXIX.

1420. Postquam dominus de Assche et alii suprascripti, cum quibus dominus dux se gubernaverat, fuerunt correcti et proscripti, idem dominus dux constituit et ordinavit in suos consiliarios reverendum patrem dominum Johannem abbatem Afflighemensem, dominum Johannem de Kuyck dominum de Hoechstraten, dominum Cornelium de Liedekerke dominum de Leus, Theodericum de Meerhem dominum de Boexstel, dominum Reynerum de Berghe dominum de Goele et Mortsena, magistrum Amandum de Brevimonte, doctorem in theologia, decanum Sancti Donaciani Brugensis, dominum Wilhelmum de Gent dominum de Marwyck, dominum Everhardum Tserclaes, Nycholaum Vanden Werve et Gerlacum de Ghemert : dans et concedens ipsis decem conjunctim, aut sex eorundem, omnimodam potestatem, atque talem vel consimilem quam dederat predicto domino de Assche et suis collegis, et signanter mandatum speciale ad tenendum in sua curia, ubi ipsum residere contigerit, cameram consilii ad partibus ibi affluentibus justiciam ministrandum, necnon ad intendendum ad omnes causas suas tam suam personam quam statum sui hospicii ac totam patriam Brabancie concernentes, cum pluribus aliis punctis et articulis plenius declaratis in literis commissionum desuper confectis, que date fuerunt Bruxelle, anno predicto M° CCCC° XX°, mensis septembris die XI^a^.

Qualiter barones et nobiles Brabancie et oppidum Lovaniense miserunt pro comite Sancti Pauli in Francia existente. CAP. CLXXX.

Infra idem tempus quo deputati trium oppidorum, scilicet Bruxellensis, Antwerpiensis et Buscoducensis, in Cortenberghe, et barones et nobiles Brabancie in Lovanio se tenuerunt, qui ad se alia oppida attrahere conabantur, prout supra scriptum est, iidem barones et nobiles diversis vicibus suas literas missivas scripserunt domine ducisse Brabancie et domine vidue matri sue, apud Quercum, id est *Quesnoy,* pro tunc residentibus. Que predictis baronibus et nobilibus super intencione sua rescripserunt, prout

patet per literas hincinde transmissas, quarum vigore barones et nobiles antedicti consolati et confortati, firmam spem et confidenciam plenariam habuerunt in assistencia et adhesione dominarum ducisse et matris ejus suprascriptarum.

Preterea est sciendum, quod, dum Johannes quondam dux Burgundie fuit in Brabancia, tutelam Johannis ducis Brabancie, nepotis sui, sibi concedi postulando, in suo recessu duxit secum Philippum de Brabancia comitem Sancti Pauli, nepotem suum, predicti Johannis ducis Brabancie germanum, qui secum mansit in Francia usque ad ejusdem interitum, et ex post penes dominum Philippum ducem Burgundie, ejusdem patrui sui filium. Cujus tempore idem Philippus comes Sancti Pauli fuit per Karolum regem factus capitaneus generalis civitatis Parisiensis.

Circa idem tempus barones et nobiles adhuc in Lovanio se tenentes miserunt in Franciam fratrem Emondum de Emmechoven, magistrum de Chantrain, ordinis hospitalis Sancti Johannis Hierosolimitani, ad comitem Sancti Pauli supradictum, ad finem quod ipsum secum in Brabanciam ducere posset. Dux vero Johannes hoc percipiens, ad ejusdem comitis fratris sui adventum impediendum misit ad eundem fratrem suum et dominum Philippum ducem Burgundie prelibatum Johannem de Grimbergen dominum de Aa et de Hogensteyn cum literis credencialibus, quarum vigore ipsi exponere haberet, qualiter nobiles et aliqua oppida Brabancie eundem ducem Johannem in sua alta jurisdictione multum ledere nitebantur. Quapropter ipsos deprecari fecit, quatenus eisdem nobilibus et oppidis scribere vellent, attente requirendo quod ab inceptis desisterent, faciendo duci Johanni suo domino id quod fideles subditi vero domino suo facere tenentur, sperans idem dux Johannes quod per istum modum non esset opus quod dictus frater suus in Brabanciam veniret. Quod magister de Chantrain percipiens, tantum procuravit quod predictus comes Sancti Pauli ex Francia secum venit in Brabanciam, in mense septembri antedicto. Venerunt eciam paulo post, infra eundem mensem, in Brabanciam ambaxiatores regis Francie et ducis Burgundie prelibatorum, ad sedandam et pacificandam dissensionem inter predictum ducem Brabancie, ex una, et dominam ducissam ejusque dominam genitricem ac nobiles et oppida Brabancie exortam, partibus ex altera.

Qualiter dux Johannes secrete Bruxella recessit, et quo ivit donec venit ad oppidum suum Trajectense. Cap. CLXXXI.

Postquam comes Sancti Pauli et ambaxiatores regis Francie et Burgundie venerant ex Francia in Brabanciam, visitaverunt Johannem ducem Brabancie in Bruxella existentem, causam eorum adventus sibi significantes, deinde transtulerunt se ad Lovanium ad loquendum cum nobilibus inibi constitutis: fecerunt eciam tantum quod domina Jacobi ducissa cum domina Hannonie sua genitrice venerunt ad Lovanium. Dominus autem comes et ambaxiatores predicti, habitis diversis colloquiis et tractatibus inter predictum ducem Johannem, ex una parte, et dominas Jacobam ducissam et ejus matrem atque nobiles, ex altera, tandem ordinaverunt certam dietam teneri debere apud Vilvordiam, die dominica penultima mensis septembris predicti, per et inter dominum ducem et dominas ducissam et ejus genitricem ac barones et nobiles antedictos atque bona oppida Brabancie : ad quam diem dicta ducissa et ejus mater, dominus Sancti Pauli et barones et nobiles et deputati bonorum oppidorum venerunt; sed dux Johannes non venit.

Die vero lune ultima mensis septembris, circa sextam horam de vespere, dux Johannes secrete recessit de Bruxella : magister autem curie, dominus Everhardus Tserclaes, fingendo dixit predictum ducem fore aliquantulum male dispositum; quare noluit quod aliquis ipsum accederet quam duo vel tres famuli camere sue, qui aperte portaverunt cibaria pro cena ad cameram suam, recte acsi fuisset ibidem. Et recesserunt secum Johannes de Aa, Costinius filius suus, Gerlacus de Ghemert, Robertus de Assche et Theodericus de Lose, qui duxerunt eum de nocte per pontem de Musenen prope Mechliniam. Die martis prima octobris venit in castrum de Ghermel prope Hoechstraten, ad dominum Johannem de Kuyck dominum de Hoechstraten spectans; die mercurii II[a] octobris venit apud Herlaer prope Buscumducis: deinde se transtulit apud Nuwelant in domo Gerlaci de Ghemert: abhinc venit in Buscumducis, ubi mansit usque ad octavam diem mensis octobris : infra quos dies fuit semel in Buchoven, ubi fuerunt penes ipsum domicellus Gherardus, frater ducis Clevensis, et domicellus de Gaesbecke. Et est sciendum, quod dominus de Assche et filius suus Johannes, Beerardus Vuyten Enge et Rutgerus Boene fuerunt penes dictum domi-

num ducem apud Herlaer, in Nuwelant et in Buchoven. Item, de Buchoven fuit dux reversus in Buscumducis, deinde se transtulit in Nuwelant; abhinc ivit extra villam de Hese versus Ravensteyn, ubi ad ipsum domicellus Gerardus de Cleve dominus de Heynsberghe, prepositus Aquensis, et dominus de Assche cum suis inter se secreta tenuerunt consilia. Deinde profectus fuit dominus dux in Buscumducis; abhinc iterum ivit ad Nuwelant: ubi venerunt ad ipsum domicellus de Gaesbeke et dominus de Assche cum suis de Nuwelant ad villam dictam Duere prope Os, ubi venerunt ad ipsum in campis dominus de Heynsberghe et dominus de Assche cum suis, consilia secreta tenentes. De Duere dominus dux ivit ad Buscumducis. Post hec dominus dux, die veneris octava mensis novembris, de Buscoducis recedens ivit apud Helmont; dehinc profectus est ad oppidum Trajectense, ubi per aliquot dies permansit.

Qualiter comes Sancti Pauli fuit factus gubernator Brabancie, et de expedicione facta usque ad Montem Sancte Gertrudis et Hoesden. Cap. CLXXXII.

In capitulo precedenti habetur, qualiter ambe domine, scilicet domina 1420
ducissa Jacoba et mater sua, dominus comes Sancti Pauli ac nobiles et deputati bonorum oppidorum Brabancie erant in dieta ordinata in Vilvordia die penultima mensis septembris predicti, ubi dux Johannes non comparuit. Et quoniam fuit pro vero compertum, quod dux Johannes secrete de Bruxella recesserat, supradicti barones, nobiles et deputati bonorum oppidorum, de supradictorum regis Francie et ducis Burgundie ambaxiatorum consilio pariter et assensu, prelibatum dominum comitem Sancti Pauli, die martis prima octobris preteriti, elegerunt in eorum et patrie Brabancie gubernatorem.

Die vero mercurii II^a^ mensis octobris domina ducissa Jacoba Brabancie cum domina Hannonie sua genitrice, ac dominus Sancti Pauli cum baronibus, nobilibus et deputatis bonorum oppidorum de Vilvordia recedentes, venerunt in Bruxellam, ubi in crastinum, videlicet die jovis III^a^ octobris, fuit conclusum quod, quia predictus Johannes dux Brabancie, inconsulta domina Jacoba ejus consorte et sine ejus scitu et voluntate, regimen patri-

arum Hollandie, Zelandie et Frisie cesserat et donaverat, cum omnibus suis pertinenciis, fructibus et redditibus, duci Johanni Bavarie, etc., quodque ipsa ducissa Jacoba, necnon Philippus comes Sancti Pauli gubernator, totaque patria Brabancie, tam barones quam nobiles et bona oppida, egre ferentes, dicto duci Johanni Bavarie guerram moverunt, animo terras hujusmodi vi armorum ab ipso recuperandi. Ordinaverunt itaque primo, quod dominus comes Sancti Pauli cum exercitu valido hominum armatorum ex patria Brabancie proficisci deberet ad expugnandum primo oppidum Montis Sancte Gertrudis et Hoesden: quare domina ducissa et dominus comes Sancti Pauli, gubernator Brabancie, mandaverunt literatorie baronibus, nobilibus, hominibus feudalibus, vasallis, bonis oppidis et franciseis patrie Brabancie, ut armati cum apparatu bellico venirent et essent apud Bredam, ad diem XV^{am} predicti mensis octobris vel circa, causa ulterius progrediendi et obsidionem ponendi ante oppidum Montis Sancte Gertrudis et Hoesden. Qua die omnes nobiles et oppida patrie Brabancie applicuerunt apud Bredam, excepto oppido de Buscoducis et villicacione.

Et est verum, quod die XVI^{a} ejusdem mensis domina Jocoba ducissa et domina vidua, genitrix ejus, et dominus comes Sancti Pauli gubernator Brabancie, cum aliquibus nobilibus, cum domino de Rotselaer, Johanne de Schoenvorst, burchgravio de Monyouw, Johanne domicello de Diest, Johanne de Glimes domino de Bergis supra Zomam, Heinrico de Rotselaer, Johanne de Shoenhoven in Breda dimissis, profecti fuerunt ad oppidum de Hoesden: in quo, post aliqualem monicionem et requisicionem prehabitam, domina Jacoba ducissa antedicta cum domino comite, baronibus et nobilibus antedictis intravit, fuitque ibidem eadem domina Jacoba tamquam ducissa Brabancie per burgenses et incolas ejusdem oppidi recepta, admissa et de novo more solito intronizata. Quo facto, ipsa domina ducissa precepit et mandavit Arnoldo de Sevenberghe, castellano et senescallo de Hoesden, in virtute sibi prestiti juramenti fideique et fidelitatis, quibus sibi astringebatur, quatenus castrum et oppidum cum tota terra de Hoesden teneret et custodiret ad opus patrie Brabancie, aut illa traderet et deliberaret requisitus in manibus comitis Sancti Pauli predicti gubernatoris, ad opus ejusdem patrie Brabancie, ad permanendum realiter et de facto ad eandem, via pignoris, pro universis et singulis sumptibus et expensis, quos comes, barones, nobiles et patria Brabancie ad antedicta castrum et oppidum de

Hoesden in manus suas recipiendum, et cum gentibus suis nomine et ad opus patrie Brabancie prefate muniendum ac servari et custodiri faciendum, necnon pro obsidione ante oppidum Montis Sancte Gertrudis ponenda, castroque ibidem cum victualibus et aliis necessariis providendo et custodiendo, exposuerunt et exponere deberent, unacum dampnis inde habitis et habendis. Et fuerunt tunc dicto Arnoldo de Sevenberghen ex parte dicte patrie Brabancie in auxilium, et specialiter ad custodiam oppidi, adjuncti tamquam capitanei Johannes Vander Dussen et Heinricus de Uden, monoculus, cum certo magno numero armatorum.

Quibus sic peractis, domina Jacoba ducissa, comes Sancti Pauli, barones et nobiles Brabancie sepefati recesserunt de Hoesden, dimissis inibi custodibus, ut premittitur, die XIX[a] prefati mensis octobris, qua die fuerunt reversi in Breda. Die vero sequenti, que fuit XX[a] predicti mensis, domina ducissa, comes Sancti Pauli gubernator, barones et nobiles cum predicta patria Brabancie castra sua metantes, oppidum Montis Sancte Gertrudis obsidione cinxerunt et multimode oppugnarunt, et deinde castrum ibidem hominibus armorum stipendariis ac victualibus et aliis necessariis munierunt : in qua dominum Theodericum Vander Marweyden, mititem strenuum et bellicosum, in castellanum et capitaneum dimittentes, die XXIX[a] dicti mensis ad lares proprios remearunt. Qui quidem dominus Theodericus ex dicto castro ipsum oppidum tandem, in die Sancti Martini XI[a] novembris, per sagittas ignitas ipsum oppidum concremando, ad dedicionem coegit. Et est sciendum, quod in dicta expedicione fuerunt omnia oppida Brabancie cum eorum villicacionibus, excepto oppido et villicacione de Buscoducis, ut premissum est.

De tractatibus inter ducem Johannem, ex una parte, et comitem Sancti Pauli germanum suum, ex altera, locis et diebus diversis observatis. Cap. CLXXXIII.

Anno M° CCCC° XX° supradicto, die vero dominica XXII[a] novembris, 1420 eodem duce Johanne in oppido suo Trajectensi existente, domina Jacoba ducissa et domina mater sua cum comite Sancti Pauli gubernatore venerunt in Bruxellam, ubi tres status Brabancie de ipsorum mandato fuerunt

pro tunc congregati; die vero sequenti XXV^a ejusdem mensis, que fuit dies Sancte Katharine virginis, tenuerunt dietam suam in curia ducis apud Frigidum Montem, et die martis XXVI^a in domo consulum, ubi predictus comes per supradictos tres status fuit in gubernatorem Brabancie confirmatus. Qui ad statim, domino Reynero de Bergen milite ab officio senescallatus deposito, instituit loco sui in senescallum Brabancie Wilhelmum de Montenaken dominum de Grasen et de Wylre, deposuit eciam Johannem Cleutinck, filium Everhardi, ab officio ammannie, instituens loco sui Johannem de Diedeghem in ammannum Bruxellensem. Die vero mercurii XXVII^a ejusdem mensis novembris domina ducissa, dominus comes gubernator et tres status Brabancie, et quilibet eorum in solidum, miserunt abbates Sancti Mychaelis de Parca et de Helleshem et Tongerlo et prepositum Sancte Gertrudis Lovaniensis cum suis literis credencialibus ad dominum ducem Johannem, pro tunc in oppido suo Trajectensi existentem. ad inducendum ipsum et rogandum, quatenus ad patriam suam Brabanciam vellet redire. Quos benigne recepit et audivit, quibus pro responsione dedit, quod certa die venire deberet in oppido Diestensi, ubi plenius audire et cum ipsis tractare vellet, quos predicti status ad ipsum destinari curarent.

Die vero mercurii quarta mensis decembris anni predicti dux Johannes memoratus dedit per suas patentes literas salvum et securum conductum deputatis trium statuum predictorum, usque ad numerum sexaginta personarum totidemque equorum, veniendo ad ipsum ad dictam dietam Diestensem, ibi morando et ad lares proprios redeundo : ubi, ex parte domini comitis fratris sui et trium statuum predictorum, predicti abbates et deputati oppidorum Bruxellensis et Antwerpiensis, humilius quo potuerunt, sibi supplicando quatenus dignaretur in patriam suam Brabanciam redire in altero [1] oppidorum Bruxellensi vel Antwerpiensi; ad quod deputati Antwerpienses adjecerunt, quod, si placeret in Antwerpiam venire, si porte non essent satis ample, quod murum oppidi frangerent, ut commodius intrare posset. Quibus humilibus supplicacionibus non obstantibus, dux Johannes abinde recedens se divertit versus Buscumducis; sed antequam dux ab oppido Diestensi recederet, deputati oppidorum predictorum pro-

[1] Seu *alterutro.*

curaverunt aliam dietam in eodem oppido Diestensi teneri debere die XVI^a mensis decembris antedicti. Ad quam ex parte dicti ducis venerunt comes de Moerse, Johannes de Bueren prepositus Aquensis, tunc thesaurarius Brabancie, et dominus Wilhelmus de Ghent, miles, dominus de Mairwyck, et, ex parte comitis Sancti Pauli gubernatoris, dominus de Wesemale et de Monyouw cum nonnullis aliis; sed ibi nichil fuit conclusum.

Deinde prelati Brabancie eorum precibus et laboribus aliam dietam servandam obtinuerunt in Eyndoven, die XVI[a] mensis januarii: ad quam ex parte ducis Johannis fuerunt missi dominus de Assche, dominus Wilhelmus de Ghent, dominus Everhardus Tserclaes et Johannes de Aa; ex parte predicti comitis gubernatoris fuerunt missi ad eandem dietam domicelli de Wesemale et de Monyouw prelibati: in qua eciam nichil fuit concordatum. Deinde idem dominus dux Johannes a Buscoducis recedens applicuit in oppido Diestensi, mensis januarii die XX[a], ubi non diu moratus fuit, ut infra patebit.

Qualiter et quando dux Johannes cum amicis suis intravit Bruxellam.
CAP. CLXXXIV.

Cum dux Johannes ex dieta Diestensi, in qua nichil fuit conclusum, 1421.
venerat in oppidum suum Buscumducis, prehabito consilio, scripsit quatuor scabinis oppidi Bruxellensis, scilicet Johanni Metten Schachte, Heinrico Cluetinck, Egidio de Keghel et Johanni de Leuw, ad sciendum clare, si contingeret quod cum amicis suis Bruxellam venire vellet, an sibi et suis inibi tutus pateret introitus. Qui, super hoc inter se cum eorum amicis in domo *Vroente* consilio prehabito, concluserunt quod eorum vero domino et amicis suis nollent portas precludere; sed, si aliquo tempore Bruxellam vellet venire, predictus Johannes Cluetinck et tres scabini ex quatuor predictis deberent sibi obviam equitare, quartus vero scabinus, scilicet Egidius de Keghel, custodiret portam. Et cum dux Bruxellam appropinquaret, tunc Johannes Cluetinck deberet erigere virgam suam et ante ducem deferre, quem pro ammanno recognoscerent, non obstante quod ab officio ammannie fuerat per predictum comitem gubernatorem destitutus, et Johannes de Diedeghem in loco suo institutus. Quam quidem ordi-

nacionem predicti quatuor scabini dicto duci Johanni intimari fecerunt per Walterum de Pipenpoy et Everhardum de Hertoghe, quos propterea ad eundem ducem Johannem in Buscoducis transmiserant. Qua habita responsione, dux Johannes conclusit quod Bruxellam cum suis amicis accedere deberet. Quare recedens a Buscoducis applicuit apud Diest, mensis januarii die XX^a^ supradicta, ubi non diu moratus fuit, sed circa secundam horam post mediam noctem ab oppido Diestensi recedens, profectus fuit versus Bruxellam cum domino de Heynsberge et domicello de Heynsberghe, seniori filio suo, Johanne de Bueren, preposito Aquensi, cum pluribus amicis suis ad hoc specialiter rogatis. Comes de Moerse promiserat dicto Johanni duci, quod predicta XX^a^ die veniret in Diest: quod facere non potuit propter impedimentum sibi prestitum per oppidum Trajectense, quod ipsum transire non permisit, quare aliunde oportuit ipsum vadum querere ad Mosam transeundum, et sic in Diest non venit tempestive, sed ipsum ducem postea secutus est ad Bruxellam.

Dum vero dux Johannes applicuit inter Furam et Bruxellam, venerunt sibi obviam cum eorum amicis tres scabini predicti et Johannes Cluetinck, gerens virgam suam in manu: et facta reverencia, tres scabini antedicti, obtenta licencia, equitaverunt Bruxellam penes eorum consocios in domo consulum existentes. Dum vero dux Johannes cum suis venit ante portam, per quam itur versus Lovanium, reperit ipsam portam clausam, que sic clausa permansit per spacium duarum horarum antequam intrare potuit: in quo dominus dux ac dominus de Heynsberch et alii magnam displicenciam acceperunt. Dominus vero de Heynsberch specialiter conquerebatur quod non poterat intrare: quod audiens quedam paupercula femina, petens eleëmosinam sibi dari, dixit ad dominum de Heynsberch: « Domine, non » sit vobis cura quod non potestis ad libitum vestrum intrare, sed dum » intraveritis, sit vobis cura qualiter exire poteritis. » Quo quidem spacio duarum horarum pendente, scabini, congregato magno consilio ville, deliberaverunt quod dictum dominum ducem deberent intromittere cum tota familia sua domestica, et ad hoc ad numerum centum et viginti personarum et totidem equorum, salvo quod secum non deberent intrare exbanniti sive proscripti, nec publici hostes patrie Brabancie. Qua conclusione sic facta, predicti septem scabini iverunt versus predictam portam: qua aperta, dux fecit suos primitus introire, et ipse mansit cum ultimis. Quod pluribus non

bene placuit, sed Heinricus Cluetinck dixit : « Permittatis omnes intrare. » Modo premisso dominus dux intravit oppidum suum Bruxellense, anno Domini Mº CCCCº XXº predicto[1], mense januarii die XXIª, equitavitque in curiam suam ad Frigidum Montem, ubi frater suus, comes Sancti Pauli, venit ad ipsum, et, postquam pariter modicum locuti fuissent, comes versus hospicium suum se retraxit.

Qualiter comes Sancti Pauli se transtulit versus Lovanium, et quid dominus dux tunc fecit, et qualiter consolabatur. Cap. CLXXXV.

Die mercurii XXIIª mensis januarii predicti dux Johannes, accedens ad 1421
domum consulum Bruxellensem, ubi scabini, consules et jurati erant congregati, fecit nomine suo coram ipsis proponi, per organum magistri Heinrici Schatter, quod ea de causa venit ibidem, quia libenter haberet pacem et concordiam cum comite Sancti Pauli, germano suo, ac cum baronibus, nobilibus et communi patria sua Brabancia : quapropter ipsos requiri fecit, quatenus, ut hoc fieret, operam dare vellent efficacem. Est verum, quod dominus de Heynsberch eciam scripsit consanguineis suis, domicellis de Wesemale et de Monyouw, quos in Lovanio esse credebat, ipsos deprecando quatenus venire vellent prope Bruxellam, ubi ad ipsos veniret, ad finem quod inter se modum et viam racionabiles et opportunas repperire possent, ad concordiam et unionem inter predictum ducem Johannem et subditos patrie sue Brabancie tendentes. Sed Wesemale et Monyouw non fuerunt per nuncium domini de Heynsberch reperti, quia adhuc non erant ex dieta de Eyndoven ad Lovanium reversi.

Die vero jovis XXIIIª mensis januarii antedicti dominus comes Sancti Pauli se transtulit de Bruxella versus barones et nobiles in Lovanio existentes. Post cujus recessum dux Johannes fecit septem scabinis Bruxellensibus, qui ad mandatum suum coram ipso in curia sua apud Frigidum Montem venerant, proponi atque dici, qualiter comes Sancti Pauli frater suus de Bruxella recesserat, sed ad quem finem ignorabat : quare scire desiderabat, si idem frater suus cum potencia hominum armatorum veniret

[1] Stylo novo 1421.

ante Bruxellam, an ipsum intromittere deberent, an ne? Ad quod predicti scabini illico responderunt, quod libenter in manibus suis apportarent claves omnium portarum, et sic posset per gentes suas dictas facere custodiri, et intromittere quoscumque sibi complacentes. Ad quod ipse dux mox ore proprio respondit, quod firmiter confidebat in ipsis quod predictas portas bene custodire deberent, sibique semper facere quod fideles et boni subditi eorum vero et naturali domino facere tenentur; ipse eciam vellet vice versa semper facere quod bonus dominus suis fidelibus subditis facere deberet. Et sic dicti scabini ab ipso recesserunt. Sed communis populus fuit male contentus de extraneis, qui quotidie eundo et equitando per oppidum gladios suos in manibus suis gerebant, dicentes eciam publice in tabernis quod omnes ditarentur, antequam Brabanciam exirent. Dixerunt eciam, quod multi ex Brabancia breviter deberent hincinde de medio tolli et a conspectu hominum auferri, quorum viduas, filias atque bona tunc habere sperabant : super quo communis populus multum incepit murmurare.

Die vero veneris XXIIII[a] mensis predicti, post prandium, dux Johannes aliquos ex amicis suis penes se vocari fecit, petens ab ipsis, si frater suus cum potencia veniret ante oppidum, quam spem et confidenciam in ipsis deberet invenire? Ad quod responderunt quod, si comes cum baronibus et nobilibus ante oppidum Bruxellense veniret, ipsi unanimiter venirent ad ipsum ducem, et, si aliqui eundem ducem impugnare vellent, hoc ipsi impedire et totis viribus resistere deberent. Aliqui ex ipsis ipsum ducem consolabantur, dicentes quod essent certi quod magna pars ex officiis mechanicis dicto duci adherere deberent : unde dux fuit confortatus atque consolatus; sed communis populus propter hospites extraneos fuit pessime contentus. Eciam est verum, quod aliqui secrete ex Bruxella recedentes se tenuerunt in medio itinere inter Lovanium et Bruxellam, qui nunciis ad ipsos ex parte comitis et nobilium missis retulerunt totum statum ducis et communitatis : qui ex parte eorumdem comitis et nobilium reportarunt informacionem, per quam communitatem contra dominum de Heynsberch et aliquos extraneos ad iracundiam et commocionem provocare possent et deberent.

Deinde vero, die lune XXVII[a] mensis januarii predicti, de nocte, communitas insurrexit, ut infra patebit.

Qualiter communitas insurrexit in Bruxella, et quam ob causam.
Cap. CLXXXVI.

Die lune XXVII[a] mensis januarii sepedicti multi notabiles viri in Bruxella informabantur, quod dominus de Heynsberch et alii hospites extranei certum conceptum inter se fecerunt, scilicet quod, ad signum sive sonum cujusdam nole sive parve campane in ecclesia regularium de Frigido Monte pendentis, de nocte ad forum vellent convenire, ad finem quod domum consulum et perinde totum oppidum in eorum potestate acquirere possent. Iste conceptus inter vulgares taliter fuit divulgatus, quod ipsa communitas quamplurimum commota, de nocte insurgens, manu armata ad forum predictum convenerunt. Dux hoc percipiens descendit ad forum propria in persona, et ad pacificandum populum equitavit, de officio ad officium ipsos benigne deprecando et exhortando, quatenus se quiete tenere et ad lares suos redire vellent. Ad quod fuit duci responsum, quod ad suam curiam se retrahere deberet in sua pace et quiete, ipsique nullum incommodum attemptarent. De qua responsione dux contentus, sperans quod quilibet ad domum suam propriam se retrahere deberet, ad curiam suam se divertit. Sed, dum sibi innotuit quod erant segregati, descendit iterum ad forum, ipsos cum toto cordis affectu vicibus iteratis deprecando, et nichilominus sub obtentu gracie sue requirendo, quatenus quilibet ad domum suam rediret pacifice et quiete; communitas vero, prime informacioni firmiter inherens, monicionem et requestam ducis exaudire recusavit, et sic dux ad curiam suam est reversus. De conceptu predicto, prehabita informacione, fuit compertum, quod eadem nocte hospites extranei, ut dicebatur, in hospiciis suis super lectos eorum jacebant armati, per quod intersignum communitas tenuit quod conceptus predictus fuit sufficienter probatus. E contra predicti extranei dixerunt, quod nullum conceptum inter se fecerunt, nec de aliquo conceptu scirent loqui, sed, dum tumultum populi perceperunt, induerunt arma sua, quia ignoraverunt quid ipsis accidere sive evenire posset. Et, quia non scio veraciter an dictus conceptus per modum suprascriptum factus fuerit an ne, ideo non possum desuper recte declarare : scribo igitur quod ab una et altera parte audivi referri.

Qualiter dominus de Heynsberch et alii extranei fuerunt in Bruxella capti, et comes de Moerse promisit non exire hospicium suum. Cap. CLXXXVII.

Die mercurii XXIX[a] januarii communitas Bruxellensis venit animo iracundo et manu armata prope curiam ducis in Frigido Monte; sed licias sive barrerias non intraverunt. Quod Johannes dux sentiens, petivit ab eis ob quam causam in tali apparatu ibi venerunt. Ad quod ipsi responderunt quod dominum de Heynsberch peterent, quem habere volebant; alioquin tantum facerent, quod vi et violenta ipsorum potestate ipsum habere deberent. Tandem, in conservacionem jurisdictionis et juris ducis et oppidi Bruxellensis, fuit taliter conductum [1] ad majora inconveniencia effusionis sanguinis vitanda, quod dominus de Heynsberch se reddidit captivum in manibus Johannis Cluetinck et scabinorum : quem ipse Cluetinck manu apprehendens, sequentibus scabinis et communitate, duxit in domum consulum, ubi diu permansit vinculis carceralibus mancipatus. Similiter eciam fuerunt capti, et captivi firma custodia detenti, omnes extranei qui secum venerant in Bruxellam; comes autem de Moerse, quia cum duce Bruxellam non intraverat, sed postea venerat, non fuit captus, sed, instante communitate, promisit medio suo juramento, quod in hospicio suo maneret, et illud non exiret.

Qualiter comes Sancti Pauli, gubernator Brabancie, venit in Bruxellam et residenciam suam tenuit in curia ducis. Cap. CLXXXVIII.

Eadem die mercurii XXIX[a] januarii, post prandium, venit dominus comes cum baronibus et nobilibus Brabancie, et cum ipsis deputati oppidorum Lovaniensis et Antwerpiensis, in Bruxellam, commendantes et laudantes communitatem, quod se tam strenue et vigorose gessisset pro republica tocius patrie Brabancie. Die vero sequenti, scilicet jovis penultima dicti mensis januarii predicti, dominus comes et gubernator et barones sepefatia pud Frigidum Montem ad curiam ducis accedentes, in aula ibidem [2],

[1] Forte legendum : *condictum.*

[2] Desideratur *congregati sunt,* vel aliquid simile.

ubi pro majori parte familiares et servitores ducis fuerunt capti et aliqui licenciati; fuerunt eciam aliqui nobiles ex Hannonia inibi reperti arrestati, scilicet dominus Engelbertus de Engia, dominus de Rameru et de Tubeka et de Lafolien, dominus de Senzelles, dominus Cornelius de Liedekerke, dominus de Lens, et dominus Guilhelmus et dominus Jacobus de Sars fratres, milites, et aliqui alii. Et ex tunc idem gubernator in dicta curia fratris sui residenciam suam tenuit personalem. Eadem eciam die jovis penultima januarii Johannes de Diedeghen fuit per dictum dominum gubernatorem de novo institutus in ammannum Bruxellensem, et Johannes Cluetinck, qui ammannus fuerat ex parte ducis, fuit captus. Eadem eciam die fuit orta certa pugna inter domicellum de Monyouw et Rasonem de Lintris, taliter quod Raso fuit in brachio vulneratus, viriliterque sese deffendit; dominus autem gubernator fecit illico eundem Rasonem capi, et captivum ad portam Lapidis duci, et inibi in camera dicta *Schemmelpenninck* vinculis carceralibus mancipari. Ob quam causam venit rumor in populo, quod domicelli de Nassouw et Wesemale in curia ducis fuerunt interfecti, et licet ipsis qui tunc armati circa forum fuerunt contrarium dicebatur, credere noluerunt, donec predictus dominus gubernator venit supra forum, secum ducens domicellos antedictos et alios barones consimiliter: quibus visis, communitas fuit sedata et pacificata.

Qualiter dux Johannes se transtulit versus Lovanium, et qualiter Johannes Cluetinck fuit decollatus, et quatuor scabini depositi, et plures notabiles burgenses fuerunt capti et ad diversa loca ducti. Cap. CLXXXIX.

Die veneris ultima mensis januarii predicti fuerunt multi notabiles burgenses Bruxellenses, qui predicti ducis Johannis amici dicebantur, capti, et inter alios duo scabini, scilicet Heinricus Cluetinck et Johannes de Leuw, et duo alii, scilicet Egidius de Keghel et Johannes Metten Schachte, fugientes extra oppidum se salvaverunt. Communitas autem se divisit in plures partes, querentes dominum predictum de Assche infra totum oppidum, et alios secum in Lovanio correctos et proscriptos, ad captivandum eosdem.

Die sabbati prima februarii predicta, communitate in armis circa forum

existente, Gerardus Vander Zype, qui magnum penes dictum gubernatorem habuit regimen, veniens de domo consulum supra forum, dixit hec verba vel consimilia : « Sic debet incipi, sic erit incipiendum. » Ad statim et sine intervallo aliquo Johannes de Diedeghen, ammannus ex parte gubernatoris, fecit Johannem Cluetinck, ammannum ex parte ducis, et unum famulum suum, qui captivos custodire solebat, dictum Arnoldum Vanden Hove, decollari. Dicta vero die sabbati fuit magna inquisicio per totum oppidum facta ad inveniendum et capiendum dominum de Assche et alios, qui secum dudum fuerant in Lovanio exbanniti, et dum inveniri non poterant, fuerunt eadem die sabbati prima februarii viginti et unus notabiles burgenses Bruxellenses citati ad certam diem coram judicio comparendi et se de certis criminibus ipsis impositis purgandi; alioquin rei et culpabiles tenerentur de dictis criminibus et de malo conceptu de quo supra fit mencio.

Die vero II[a] predicti mensis februarii, que fuit dies festivitatis Purificationis beate Marie Virginis, fuerunt adhuc plures notabiles burgenses Bruxellenses capti et ad torturam positi, et cum ipsis illi duo scabini, qui die veneris immediate precedenti fuerunt capti.

Die lune III[a] mensis februarii fuerunt supradicti quatuor scabini ab eorum scabinatu per commune consilium oppidi et per eorum consocios depositi, et alii quatuor instituti, videlicet loco Johannis Metten Schachte Ywanus de Mol, loco Heinrici Cluetinck Walterus Vander Noot, pro Egidio de Keghel Wilhelmus de Kesterbeke, pro Johanne de Leuw Johannes Taye de Eelwyt.

Die jovis sexta februarii famulos extraneorum, numero ducentorum et L vel circiter, dominus gubernator nudos absque equis et armis abire permisit; sed dominum de Heynsberch, Johannem filium suum, prepositum Aquensem, et alios nobiles et scutiferos detinuit captivatos. Eadem die jovis fecit gubernator capi omnes equos et arma captivorum extraneorum predictorum, quos et que distribuit atque dedit hincinde amicis suis ad placitum suum. Dicta die jovis memoratus dominus dux de Bruxella recedens equitavit versus Lovanium, et iverunt secum domini de Diest et de Rotselaer; reliqui barones manserunt in Bruxella, ubi ipsi cum deputatis oppidorum Lovaniensis, Bruxellensis et Antwerpiensis ordinaverunt et concluserunt, quod burgenses Bruxellenses, qui ibidem detinebantur captivi, extra Bruxellam duci deberent, scilicet aliqui ipsorum in Lovanio,

aliqui in Antwerpia et alii in castris baronum, ad manendum ibidem in vinculis carceralibus, quamdiu vitam ducerent in humanis.

Hoc factum fuit ad nutriendam pacem et concordiam in oppido Bruxellensi, salvis juribus et privilegiis ejusdem, juxta que nulli captivi possunt duci extra eandem. Fuit tunc eciam ordinatum quod Johannes Metten Schachte et Egidius de Keghel, qui profugi fuerunt, essent et manerent proscripti extra limites terre Brabancie, sub pena corporis, per terminum quinquaginta annorum. Et quia Johannes Taye de Gaesbeke et Johannes de Yedegem erant citati ad se purgandum de criminibus ipsis impositis, et non comparuerunt et per hoc se reos et culpabiles cognoverunt, fuit ordinatum quod ipsi, sub pena corporis, extra patriam Brabanciam perpetuo manerent relegati. Et insuper fuit ibidem eciam ordinatum et conclusum, quod quicumque dominum de Assche et quemcumque aliorum secum in Lovanio proscriptorum occideret, aut captivum deliberaret, esset liber et immunis contra dominum et proximos, quodque pro labore suo semel haberet quingentas coronas.

Que quidem ordinacio fuit Bruxelle more solito publicata die dominica IX^a mensis februarii predicti. Eadem vero die, de nocte, fuerunt tredecim burgenses Bruxellenses, qui in *Vroenta* detinebantur captivi, dire ligati super bigas, et extra Bruxellam ducti ad loca ipsis deputata, videlicet dominus Johannes de Coudenberghe miles, Heinricus Cluetinck, Eduwardus de Hertoghe et Schockart in Lovanio, Johannes et Wilhelmus Cluetinck fratres in Antwerpia, Theodericus de Lose et Johannes Weert in Vilvordia. Johannes de Leuw in Breda, Wilhelmus de Assche in Sichem, Wilhelmus Van Mons in Westerle, Heinricus de Hertoghe in Rotselaer, Walterus de Pipenpoy in Craendonck, Johannes Tseraerts in Bergis supra Zomam.

Qualiter oppidum Bruxellense deinceps regi et gubernari debeat per septem scabinos et IX naciones. Cap. CXC.

Item est sciendum, quod in consilio habito per et inter barones et deputatos trium oppidorum, scilicet Lovaniensis, Bruxellensis et Antwerpensis predictorum, de quo in precedenti capitulo fit mencio, fuit eciam conclusum et ordinatum, quod ex tunc in antea cunctis futuris temporibus omnia

officia mechanica Bruxellensia restringi deberent in novem nationes, quodque deinceps ipsum oppidum Bruxellense regi et gubernari deberet per septem genealogias sive prosapias et novem naciones predictas, per modum qui sequitur infrascriptum : videlicet quod quolibet anno circa festum beati Johannis Baptiste ex prosapiis poni deberent septem scabini et duo receptores, et non plures, sicut hactenus ab antiquo extitit observatum; debet eciam unus burgimagister ex iisdem prosapiis poni, necnon unus burgimagister, duo receptores et sex consiliarii ex novem nacionibus predictis poni deberent, quodque per hujusmodi XIX personas oppidum predictum ammodo deberet gubernari. Fuerunt eciam nonnulla alia puncta eodem tempore ordinata, que omnia dominus comes Sancti Pauli, gubernator antedictus, confirmavit per suas literas patentes ipsius impendente sigillo sigillatas, que date fuerunt die XI^a^ mensis februarii, anno Domini M^o^ CCCC^o^ XX° secundum stylum curie Cameracensis. Quarum vigore literarum confirmatoriarum fuerunt facti burgimagistri, scilicet ex prosapiis Gerardus de Pipenpoy, et ex nacionibus Jacobus Stevart, et ex dictis novem nacionibus duo receptores et sex consiliarii.

Qualiter Johannes Brabancie dux de Lovanio venit Bruxellam, et abinde in Antwerpiam, et postea profectus in Hannoniam, et deinde reversus est in Bruxellam; et qualiter domina Jacoba ducissa Brabancie transfretavit in Angliam, et se cum duce Glocestre copulavit. CAP. CXCI.

Die dominica XVI^a^ mensis februarii dominus comes Sancti Pauli, gubernator Brabancie, se transtulit de Bruxella versus Lovanium ad dominum ducem fratrem suum. Die vero sequenti, scilicet lune XVII^a^ ejusdem mensis, domini dux et comes antedicti venerunt in Bruxellam, ubi dominus dux continue permansit utque ad primam diem mensis marcii immediate sequentis : qua die dux se transtulit versus Antwerpiam ad dietam ibidem tentam cum deputatis suarum terrarum Hollandie, Zelandie et Frisie. Die V^e^ mensis marcii predicti dominus dux iterum reversus fuit ad Bruxellam, ubi permansit circa decem dies. Et est sciendum, quod die veneris VII^a^ predicti mensis domina Jacoba ducissa Brabancie, per pacis emulos ad hoc seducta, propria temeritate, sine scitu, consensu et voluntate domini ducis

prelibati, se ab ejus consorcio segregando, secrete ex Hannonia recedens transfretavit in Angliam, et ibi existens causam super nullitate matrimonii predicti in curia Romana contra prefatum ducem Johannem committi obtinuit, ipsumque ducem ad se deffendendum in eadem citari procuravit, qui sic citatus in dicta curia Romana suos constituit procuratores ad procedendum. Quod ipsa ducissa Jacoba percipiens, cum illustri principe domino Hunfrido duce Glocestre, fratre regis Anglie, judicio ecclesie non expectato, se de facto matrimonialiter copulavit : unde multa inconveniencia guerrarum discrimina fuerunt subsecuta, ut infra patebit. Deinde vero, die dominica IX^a predicti mensis marcii dominus dux Burgundie venit in Bruxella, ubi permansit usque ad diem jovis ex tunc immediate sequentem. Interim fuerunt ibi magna hastiludia, more magnatum et nobilium exercitata, que duraverunt per tres dies continuos. Die autem sabbati XV^a predicti mensis marcii dux Johannes de Bruxella recedens profectus fuit in patriam suam Hannonie, ubi permansit usque ad XXVI^am diem ejusdem mensis, qua die reversus est in Bruxellam, ubi continue permansit usque ad diem mercurii in festis paschalibus; et hic mutatur annus de XX° in XXI^um.

Qualiter dominus Gerardus de Platea, prepositus ecclesie Beati Jacobi de Frigido Monte Bruxellensi, fuit captus, et dominus Everhardus Tserclaes miles, Geldolphus de Coudenberghe et Wilhelmus de Pipenpoy fuerunt in Bruxella decollati. Cap. CXCII.

Item est sciendum, quod circa tempus suprascriptum fuit captus dominus Gerardus de Platea, prepositus ecclesie Beati Jacobi Frigidi Montis in Bruxella, per cujus captivitatem venerunt primitus in lucem secrete confederaciones, uniones atque lige facte per et inter dominum de Assche et alios supra nominatos, per eorum patentes literas sigillis ipsorum sigillatas, que fuerunt reperte penes dominum prepositum supradictum et in camera ipsius. Quibus sic repertis literis, ac tenore et continencia earumdem intellectis, fuerunt burgenses Bruxellenses, qui extra Bruxellam ducti fuerunt hincinde in oppidis et in castris, vinculis carceralibus, vita ipsorum durante, ad perpetuam penitenciam peragendam duraturi, prout per barones et deputatos bonorum oppidorum fuerat judicatum et ordinatum.

in septimana Passionis ante festum Palmarum, et post in septimana sancta ante festum Pasche, graviter per diversa tormentorum genera inquisiti et examinati super continencia literarum predictarum. Et quidquid per confessiones et deposiciones ipsorum fuit repertum, deputati oppidi Bruxellensis ad hoc commissionem habentes specialem reportarunt et relacionem fecerunt plenariam coram scabinis et consiliariis oppidi Bruxellensis prelibati.

1421. Ob quam causam communitas Bruxellensis irata et commota, iterum de novo in die dominica octava Pasche, que fuit dies XXX[a] supradicti mensis marcii, anno Domini M° CCCC° XXI°, se congregans supra forum, ubi circumcirca sic permansit manu armata usque ad diem jovis III[am] mensis aprilis immediate sequentis. Qua die Gerardus Vander Zype, supremus consiliarius domini comitis gubernatoris, et qui majorem vocem habuit penes ipsum, veniens supra forum, dixit ad communitatem hec verba vel similia : « Filii, estote boni animi, ad statim judicabitur sive fiet judi- » cium. » Paulo post adducebantur ibidem dominus Everhardus Tserclaes miles, Geldolphus de Coudenberghe et Wilhelmus de Pipenpoy, qui fuerunt ante domum consulum decollati. Die vero sequenti dominus dux et dominus comes, frater suus, de Bruxella recedentes profecti fuerunt versus oppidum Brugense ad ducem Burgundie causa secum hastiludendi. Die vero dominica XIII[a] aprilis dominus dux et comes in Brabanciam reversi sunt: dux ivit versus Lovanium et comes versus Bruxellam, ubi mansit usque ad diem martis. qua die ivit versus fratrem suum ad Lovanium; die jovis reversus fuit in Bruxella, die autem veneris XVIII[a] aprilis, anno M° CCCC° XXI° supradicto, versus Insulas, ad festum *Spinette,* penes dominum ducem Burgundie sepefatum.

Qualiter dux Johannes recognovit quod frater suus justa de causa fuit factus gubernator Brabancie, confirmans et approbans omnia et singula per ipsum in sua gubernacione facta. Cap. CXCII[1].

1421. Johannes, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, sacrique imperii marchio, necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comes ac

[1] In cod. Corsendonkano et aliis bis notatur caput CXCII.

dominus Frisie, per suas patentes literas datas in oppido suo Lovaniensi, mensis maii die IIII^a. anno Domini M° CCCC° XXI°. notum fecit universis, quod tempore preterito commiserat regimen sui ipsius suique status et patrie sue Brabancie aliquibus, qui, ut ipse sperabat, intendissent sive inspexissent circa suum et tocius patrie sue predicte honorem, commodum et profectum, sicuti ad hoc, medio eorum juramento, erant astricti : quod non fecerunt, sese in eorum juramentis et officiis tenuerunt et gesserunt in contrarium et magnum prejudicium et diminucionem jurium, cartarum et privilegiorum patrie sue antedicte. In quibus ipsi per duos status temporales ejusdem patrie sue reperti sunt tam rebelles et culpabiles, quod, eorum exigentibus demeritis, ad ordinacionem nobilium et bonorum oppidorum suorum in oppido suo Lovaniensi publice fuerunt correcti, prout ipsa correctio clare hoc continet. Qui eciam per eorum sinistram informacionem conati sunt ipsum alienare a precarissima consorte sua domina ducissa, a predilecto fratre suo et aliis suis proximis et amicis et patria sua Brabancia antedicta : propter quod tres status ejusdem patrie sue, verentes quod graves et majores novitates et inconveniencia ipsis et predicte patrie inde advenire potuissent, ad quas per remedia opportuna vitandas et precavendas, ad ipsum dominum ducem ad suum statum ducalem reducendum, prout ipsi juxta eorum jura et observancias bene potuerunt facere, ordinaverunt, statuerunt et fecerunt ad gubernatorem patrie sue Brabancie supradicte suum fratrem dilectum Philippum de Brabancia, sub omnibus modo, condicione atque forma quemadmodum litere desuper confecte, quas sibi desuper tradiderunt et ipse vice versa exhibuit, plenarie continent et comprehendunt.

In qua quidem gubernacione et administracione predictus frater suus se tam fraternaliter, amicabiliter et fideliter habuit atque gessit, quod desuper de dicto fratre suo et sua patria Brabancie est bene contentus. Quapropter confirmavit, ratificavit et approbavit gubernacionem predictam, et quidquid ipse frater suus in ipsa pertractavit, deduxit et modo quocumque fecit sive gessit, de consilio, scitu et consensu nobilium et oppidorum Brabancie predictorum, sive sit in facto judicii, in corporibus et membris, et in justiciariis, scabinis, officiariis, legislatoribus et aliis servitoribus destituendis, instituendis ac reficiendis; et ad hec omnes correctiones, congregaciones sive convocaciones et deductiones, que in dicta

gubernacione et ante eandem per majorem partem nobilium et oppidorum predictorum facte sunt, quas ex tunc tenet et perpetuo tenebit in tali vigore, robore et firmitate, acsi illas personaliter fecisset, et suo scitu et consensu facte fuissent : promittendo, per fidem suam et honorem ducalem, pro se et successoribus suis, quod ipse nec aliquis sui ex parte contra nobiles et bona oppida patrie sue Brabancie, conjunctim aut divisim, nec in aliquam singularem personam ex ipsis, occasione premissorum, nullum malum favorem nullamque ingratitudinem geret neque ostendet, nec aliquam calumpniam neque impeticionem faciet neque fieri permittet quoquo modo. Casu vero quo ipse aut sui successores, duces vel ducisse Brabancie, in aliquo tempore futuro tribus statibus predicte terre sue, aut alicui ex ipsis, eorum jura, cartas, privilegia, consuetudines, usus et observancias voluntarie cum potestate et violencia infringeret aut abbreviaret sive diminueret, et se per istum vel consimilem modum alienaret ab eisdem (quod Deus avertat), tunc voluit et consenciit, pro se et suis successoribus antedictis, quod ex tunc sibi nullum servicium facere nec sibi parere aut obedire debeant, sed juramentis suis, que sibi prestare potuissent, sive racione consilii vel homagii aut alias, non erunt astricti: quodque status predicte patrie sue cum majori sequela ex ipsis poterunt eligere unum gubernatorem, quem voluerint, ad eorum beneplacitum, ad majorem utilitatem et profectum communis sue patrie Brabancie predicte. Qui quidem gubernator habebit plenariam auctoritatem sive potestatem omnia facere tamquam princeps et dominus patrie, volentes et precipientes omnibus subditis sue patrie Brabancie, altis et bassis et cuilibet ipsorum, quod gubernatori predicto tunc obediant et pareant in omnibus causis juxta ordinacionem et beneplacitum trium statuum predicte patrie sue Brabancie, donec et quousque ipse et successores sui, in quibus predictus foret defectus tribus statibus predictis, aut illis quibus injuria fuit illata, plenarie et in toto fuerit satisfactum : ut in predictis literis plenius continetur.

De locumtenente ammanni Bruxellensis, et de septem scabinis in vigilia Sancti Johannis Baptiste ponendis. Cap. CXCIII.

Die sabbati XVI[a] mensis maii anni predicti dux Johannes ivit versus Mechliniam, ubi die sequenti venerunt dominus dux Burgundie, comes Sancti Pauli et dominus episcopus Leodiensis, ubi tractabant de domino de Heynsberch et aliis in Bruxella captivatis; sed niehil fuit conclusum, et sic abinde recesserunt die XXIIII[a] mensis maii predicti. Die vero ultima ejusdem mensis dominus comes Sancti Pauli, gubernator Brabancie, concessit oppido Bruxellensi, quod ammodo poneretur unus notabilis homo in locumtenentem ammanni Bruxellensis, et, si contigerit quod pro tempore dux Brabancie non transmiserit septem scabinos in vigilia Sancti Johannis Baptiste ante meridiem, quod tunc antiqui scabini ex electione eidem duci transmissa eligere deberent sine mora septem novos scabinos : cum nonnullis aliis punctis in literis desuper confectis declaratis, quas quidem literas dictus Johannes dux confirmavit.

Qualiter quatuordecim nobiles persone, que ad diversa loca ducte fuerant, iterum reducebantur in Bruxellam, et decollabantur. Cap. CXCIV.

Postquam oppido Bruxellensi erant concessa privilegia suprascripta, de quibus communis populus valde contentabatur, quare majorem habuerunt compassionem cum illis captivis, qui per duos status temporales Brabancie judicati fuerunt ad perpetuos carceres, et sic graciosius tractabantur quam antea fieri solebat : et specialiter permisit oppidum Lovaniense, quod captivi ibi visitabantur per proprios et amicos suos, edendo, bibendo et loquendo, quorum aliqui ad Bruxellam reversi id retulerunt, et seminaverunt zizania in populo, dicentes quod predicti captivi sperabant in brevi tempore de carceribus liberari, quodque Eduwardus de Hertoghe et Johannes Schockaert publice jactabant se illis suo tempore regraciari, qui de captivitate ipsorum fuerunt in causa. Que novitates de die in diem inter populum divulgabantur : quare communitas iterum de novo insurrexit, petentes et requirentes quod predicti captivi ad Bruxellam reducerentur.

de vita ad mortem plectendi. Quod barones et oppida, quibus predicti captivi fuerunt commissi et traditi, facere recusabant, dicentes quod hoc non ita pertineret, attento quod semel erant ad perpetuos carceres judicati. Ad quod communitas populorum replicuerunt, quod non erant judicati ultra quam propter eorum demerita, que tunc temporis erant detecta, et quia per inquisicionem desuper factam fuit clare compertum de liga et confederacione per dominum de Assche et ipsos mutuo inita et facta, et plura alia de quibus antea non constabat, quapropter in corporibus eorum castigari deberent.

Et quia per hujusmodi raciones barones et oppida inducere et flectere non poterant, ut predictos captivos remitterent, communitates ob hoc magis irritate proposuerunt dominum de Heynsberch et alios captivos publice de foro perducere, de vita ad mortem prosternendos : unde maxime inconveniencie communi patrie Brabancie advenisse potuissent, ad quas precavendas fuit ordinatum quod supradicti captivi ad Bruxellam reduci deberent : quod sic fuit factum in una die sabbati VII[a] mensis junii. Qui numero XIIII fuerunt, quorum decem, in presencia communitatum in armis supra forum existencium, ante meridiem fuerunt decapitati : scilicet dominus Johannes de Coudenberghe, miles, Heinricus Cluetinck, Wilhelmus de Assche, Heinricus de Hertoghe, Eduwardus de Hertoghe, Walterus Pipenpoy, Theodericus de Lose, Wilhelmus Van Mons et Johannes Schockaert. Post prandium vero fuerunt alii quatuor decollati : scilicet Johannes et Wilhelmus Cluetinck fratres, Johannes de Leuw et Johannes Tseraerts. Ubi ante et post meridiem fuerunt eciam presentes cum communitatibus predictis Johannes de Dieghen, ammannus, et septem scabini Bruxellenses.

Die vero dominica VIII[a] mensis maii [1] predicti Gerardus Vanden Zype, qui de toto in totum dominum comitem Sancti Pauli gubernabat, solempnizavit matrimonium in facie ecclesie cum domicella Johanna Vanden Bisdomme, quam die eadem duxit per forum, ubi sanguis eorum consanguineorum adhuc jacuit super arenam perspersus, usque ad curiam ducis, ubi festum nupciarum fuit celebratum. Deinde autem dux Johannes confirmavit oppido Bruxellensi privilegia eidem per dictum fratrem suum,

[1] Legendum : *junii.*

gubernatorem Brabancie, concessa, scilicet de burgimagistris, de locumtenente ammanni, et que per eundem fratrem suum in sua gubernacione gesta, facta et concessa fuerunt, cum pluribus aliis punctis in ipsis ducis Johannis literis confirmatoriis desuper confectis lacius declaratis, que date fuerunt Bruxelle, mensis julii die XV^{a}, anno Domini M^{o} CCCC^{o} XXI° supradicto [1].

Qualiter comes de Moerse de sua captivitate fuit liberatus, et dominus de Heynsberch et alii fuerunt relaxati, sub condicione ad certam diem redeundi, in qua omnes reintrarunt, excepto domino de Heynsberch. Cap. CXCV.

Subsequenter vero, postquam plures diete fuerunt tente propter captivitatem comitis de Moerse, domini de Heynsberch, Johannis domicelli de Heynsberch, Johannis de Bueren, prepositi Aquensis, et aliorum captivorum supradictorum, in quibus parum fuit concordatum, serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum et Hungarie, etc., rex per suas literas patentes mandavit et districte precepit tribus statibus Brabancie, quatenus captivos de eorum captivitatibus quitos et liberos dimitterent, vel quod ipsos relaxarent, ipsis dando diem per dimidium annum duraturum, sub pena banni imperialis. Pari modo principes electores imperii, spirituales et temporales, per eorum literas et ambaxiatores vicibus diversis requisiverunt dominum comitem Sancti Pauli et tres status Brabancie prelibatos pro redempcione captivorum sepedictorum. Ad quod prosequendum quadam vice miserunt dominum Theodericum Van Nyesteyne militem, et aliquos secum, deinde alia vice miserunt dominum Conradum Boyer, militem de Lotharingia, et nonnullos secum, quibus dictus comes Sancti Pauli ante et post dedit pro responso, quod eisdem captivis semper obtulit et offerri fecit, et adhuc offert, quod ipsis de captivitatibus ipsorum faciet consequi justicie complementum juxta legem patrie Brabancie, si peterent, et, si non vellent stare juri secundum legem patrie antedictam, tunc merito non haberent justam causam se de ipso conquerendi.

[1] Vide *Luyster van Brabant*, p. 37.

Captivi vero, sencientes quod nec mandato Romanorum regis, nec contemplacione principum electorum, neque aliorum amicorum suorum interventu liberari poterant, inierunt consilium, quod Gerardum Vanden Zype, qui solus predictum comitem gubernaret, subornare vellent, mittentes ipsi et uxori sue ad nupcias suas predictas preciosa jocalia auro et gemmis decorata : quibus habitis et gratanter perceptis, per medium ejusdem Gerardi, qui pro ipsis ad dominum comitem et status Brabancie intercessit, consecuti sunt relaxacionem de captivitatibus ipsorum, duraturam usque ad festum Omnium Sanctorum tunc proxime futurum, sub caucione juratoria, quod eadem die reintrare deberent in oppido Bruxellensi predicto, in omni modo sicuti ibi fuerunt ante relaxacionem predictam. Et sic a Bruxella recesserunt, exceptis preposito Aquensi, Johanne de Appelteren et nonnullis aliis, qui premissam caucionem juratoriam prestare noluerunt, quare manserunt captivati. Et quia dominus Fredericus comes de Moerse et de Sarwerden non intravit Bruxellam cum duce Johanne, Gerardus Vanden Zype tantum procuravit, quod ipse comes cum suis fuit totaliter libere et quite a sua captivitate abire demissus, salvo antiquo *oervrede* per ipsum facto ad opus ducis Johannis, comitis Sancti Pauli et patrie Brabancie et adherencium ipsorum : prout patet per literas desuper confectas, que fuerunt date Bruxelle, die XXVIII[a] julii predicti. Et est sciendum, quod captivi, qui per caucionem juratoriam fuerunt relaxati, reintrarunt Bruxellam ipso die Omnium Sanctorum, ut promiserant, domino de Heynsberch dumtaxat excepto.

Qualiter comes Sancti Pauli gubernacioni sue renunciavit, et dux Johannes regimen patrie sue Brabancie acceptavit. CAP. CXCVI.

(12) Renunciacione gubernacionis patrie Brabancie per dominum comitem Sancti Pauli, ut premittitur, facta, memoratus Johannes dux Brabancie fuit per tres status Brabancie ad regimen et administracionem ejusdem cum plenaria obediencia restitutus et admissus : qui sibi tunc consencierunt unam precariam centum et septuaginta millium coronarum Francie. Estque sciendum, quod Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, dominus Johannes dominus de Rotselaer et de Rethy, Johannes de

Schoenvorst, burchgravius de Monyouw, dominus de Craendonck et Diepenbeke, Johannes de Glimes dominus de Bergis supra Zomam, de Grimbergis et de Melino, ac oppida Lovaniense, Bruxellense, Antwerpiense et de Buscoducis promiserunt dicto comiti Sancti Pauli, ex parte trium statuum Brabancie predictorum, quod ipsum tenerent et relevarent indempnem de omnibus expensis per ipsum tempore sue gubernacionis usque ad diem XIIII^{am} mensis maii proxime preteriti factis, prout clare patet per literas eorum patentes desuper confectas, datas Lovanii, die XXVIIIª mensis octobris, anno Domini Mº CCCCº XXIº prelibato. Quibus sic peractis, prefatus dux Johannes consenciit quod expense hujusmodi persolvi deberent de precaria per tres status antedictos sibi concessa. Quapropter idem dux precepit Hermanno Vanden Assche, campsori oppidi Bruxellensis, quod dicto comiti, fratri suo, in deductionem expensarum predictarum solveret de pecunia ex precaria veniente summam viginti unius millium coronarum Francie. Pari modo precepit Johanni Egidii, campsori Lovaniensi, et campsori Antwerpiensi, quod dicto fratri suo in defalcacionem expensarum persolverent certas magnas summas declaratas in literis desuper confectis, que date fuerunt Lovanii, die XXIXª octobris, anno Domini Mº CCCCº XXIº suprascripto.

Qualiter dux Johannes profectus fuit ad Buscumducis, et quid ibi fuit factum, et quo adhuc se duxit transferendum. Cap. CXCVII.

Anno Domini Mº CCCCº XXIº predicto, die vero veneris XXIª mensis novembris, Johannes dux se transtulit de Lovanio ad Herentals, ubi fuit cum solempnitate, more solito, in dominum et ducem intronizatus. Die vero sequenti ivit ad Turnhout, ubi per spacium unius mensis continue permansit. Deinde vero, convocatis prelatis, baronibus, nobilibus ac deputatis bonorum oppidorum, tres status Brabancie representatibus, profectus est cum illis ad Buscumducis, ubi applicuit die martis mensis decembris XXIIIª, ubi per decem dies permansit, tenens ibidem festum Nativitatis et Circumcisionis Christi, infra quos decem dies tractabatur ibidem de causis diversis, et, inter ceteras, certo tractatu previo, domicellus Theodoricus de Merhem dominus de Boxtel et dominus Wilhelmus de Ghent, miles, 1421

dominus de Marwyck et de Empel exhibuerunt in manibus trium statuum predictorum certas literas patentes, per ipsos super regimen oppidi Buscoducensis alias a dicto duce Johanne impetratas : que quidem litere fuerunt ab iisdem tribus statibus cancellate. Deinde fuit eciam ordinatum, quod pro custodia castri et oppidi de Hoesden Arnoldo de Sevenberghen, et similiter domino Theoderico Vander Marweiden pro custodia castri de Monte Sancte Ghertrudis, certe magne pecuniarum summe, ex predicta precaria dicto duci alias concesse, persolvi deberent per oppida Lovaniense, Bruxellense, Antwerpiense et de Buscoducis, que ipsis deberent defalcari ex taxa cuilibet eorum oppidorum racione predicte precarie contingente.

1422. Quibus in Buscoducis sic pertractatis, dux Johannes abinde recedens, die veneris II^{a} mensis januarii reversus fuit in Turnhout, ubi mansit usque ad diem XVI^{am} mensis ejusdem, qua die ivit versus Antwerpiam ad dietam trium statuum, ad concludendum in causis in oppido de Buscoducis conceptis. Die vero Conversionis Sancti Pauli idem dux de Antwerpia fuit reversus in Turnhout, ubi permansit usque ad terciam diem mensis februarii: qua die abinde recedens venit in Herentals, et dehinc ad Lovanium, ubi permansit usque ad undecimam diem mensis februarii predicti; et de Lovanio se transtulit ad Halle, ubi permansit per septem septimanas cum statu suo residendo.

Qualiter dominus de Heynsberch et alii captivi fuerunt de eorum captivitatibus liberati, et quales promissiones fecerunt. Cap. CXCVIII.

1422 Anno Domini M^{o} CCCC^{o} XXI° suprascripto, secundum stilum curie Cameracensis, die vero IX^{a} mensis aprilis, dominus comes Sancti Pauli et duo status temporales patrie Brabancie, ab una parte, et dominus Johannes de Heynsberch, episcopus Leodiensis, dominusque de Heynsberch, pater suus, domicellus Johannes de Heynsberch et Wilhelmus de Heynsberch, comes de Blanckenheim, pro ipsis et omnibus aliis in Bruxella captivatis, se submiserunt in ordinacionem domini Ruperti comitis de Virnenborch, Engelberti comitis de Nassouw, domini de Lecka et de Breda, Wilhelmi comitis de Seyne, domini de Rode Sancte Agathe, Johannis de Schoenvorst, borchgravii de Monyouw, domini de Craen-

donck et de Diepenbeke, et Gerardi Vanden Zype, domini de Denterghem, promittentes per eorum fidem et honorem, pro se, heredibus et successoribus, perpetuo observare, quidquid per dictos quinque conjunctim, aut quatuor eorumdem, cum sex notabilibus personis ex tribus oppidis Lovaniensi, Bruxellensi et Antwerpiensi ad hoc eligendis et assumendis, ordinare et pronunciare deberent: qui tandem, dempto Gerardo Vanden Zype, pronunciarunt ipsos quitos et liberos a prisoniis et captivitatibus eorum predictis, sub certis modis et condicionibus declaratis in eorum literis patentibus, continentibus in effectu ea que sequuntur:

Et primo episcopus Leodiensis et comes de Blanckenheim prescripti promiserunt per eorum fidem et honorem, quod predicto Johanni duci Brabancie et Lymburgis, comiti Hannonie, Hollandie et Zelandie, et tribus statibus Brabancie nunquam se peticionem sive demandam facerent, neque guerras movebunt propter dampna, expensas, dedecus et perdicionem sive amissionem bonorum suorum, que dominus de Heynsberch, pater, et Johannes senior ejus filius, frater ipsorum, et alii quicumque ex captivis in Bruxella, aut alibi in patria Brabancie, usque ad diem presentem habuerunt et sustinuerunt, super quibus pro se ipsis, heredibus et successoribus suis renunciarunt: prout in eorum literis plenius continetur, que fuerunt date die IX^a^ aprilis, anno Domini M° CCCC° XXII° secundum stilum curie Leodiensis.

Ceterum dominus de Heynsberch et Wilhelmus de Heynsberch, comes de Blanckenheim, pro se ipsis, heredibus, successoribus, terris, hominibus et subditis suis, et specialiter pro omnibus illis qui amore ipsorum trium statuum Brabancie hostes et inimici facti fuerunt, eisdem tribus statibus integram, firmam et stabilem pacem tradiderunt, taliter quod ipsi neque heredes, homines, terre et subditi ipsorum, et signanter omnes illi qui amore ipsorum inimici facti extiterunt, illustribus principibus dominis ducibus Brabancie propter dampna, expensas et amissionem bonorum suorum et captivitates ipsorum, que ipsis et amicis suis in Bruxella captivatis illata fuerunt, nullam impeticionem facient, neque inimiciciam sive guerram movebunt: prout clarius patet in eorum literis desuper confectis, datis anno Domini M° CCCC° XXII°, die lune in festis paschalibus.

Item Johannes senior filius de Heynsberch, Scheifardus de Merode dominus de Heymerbach, Theodericus de Wyckrode, Symon et Balduinus

de Birgel, fratres, Wilhelmus de Broeckhuysen et Carselius de Palant recognoverunt, pro se, heredibus et successoribus suis, se libera eorum voluntate renunciasse super omnibus amissionibus, perdicionibus, dampnis, vituperiis, scandalis et sumptibus, ipsis et cuilibet ipsorum, Bruxelle et alibi in patria Brabancie, usque ad presentem diem illatis vel inflictis, quodque, occasione ipsorum, eorum graciosis dominis duci Brabancie, comiti Sancti Pauli, hominibus, terris et subditis ipsorum, tam presentibus quam futuris, et omnibus aliis quos presens negocium tangit seu tangere poterit, quomodolibet in futurum nullam questionem seu impeticionem facient. Et insuper, quod ipsi neque aliquis ipsorum contra predictos dominos ducem Brabancie et comitem Sancti Pauli, eorumque terras et homines, quos nunc habent et postmodum habere poterunt, neque cuicumque alteri qui se de hujusmodi causis intromiserunt, cum domino Sancti Pauli aut patria Brabancie nunquam facient vindictam, neque verbis neque factis, occulte vel manifeste, per ipsos aut aliquem ex ipsis, seu quemcumque alium ex ipsorum parte, quoquomodo.

Casu vero, quod Deus avertat, quod contra premissa aliqua guerra seu impeticio prelibatis principibus, ceteris hominibus et subditis ipsorum predictis, aut aliis qui se de hujusmodi causa intromiserunt, a domino de Heynsberch vel ab ipsis, ab ejus et ipsorum parte, moveretur, et dampna inferrentur, et ipsi vel aliquis ipsorum ob hoc a comite Sancti Pauli solo seu a tribus oppidis, scilicet Lovaniensi, Bruxellensi et Antwerpiensi, conjunctim, aut aliquo ipsorum, moniti seu requisiti fuerint, predictam motam guerram sive impeticionem deponendi, et dampna resarciendi sive restituendi, et ipsi hoc non facerent infra primum mensem post monicionem predictam, tunc ipsi et quilibet ipsorum, infra quatuordecim dies predictum mensem immediate sequentes, in corporibus suis propriis Bruxellam intrabunt, et abinde non recedent, donec ipsi et quilibet ipsorum supradictam guerram deposuerint et dampna restituerint, quas et que domini de Heynsberch ipsi vel alicui ipsorum moverint vel irrogaverint, vel ex parte ipsorum facta fuerint modo quocumque, vel talem probacionem desuper facere, quod talis inimicicia neque tale dampnum a predicto domino de Heynsberch, neque ab ipsis aut aliquo ipsorum, neque ex parte ipsorum, non advenit.

Que omnia et singula per eorum fidem et honorem promiserunt, et ad

sancta juraverunt inviolabiliter observare : prout in eorum desuper confectis literis lacius continetur, que fuerunt date anno Domini M° CCCC° XXII°, die jovis in feriis paschalibus, que fuit XVI^a^ aprilis.

Preterea est sciendum, quod supradicti arbitri sive commissarii in eorum pronunciacione declaraverunt, quod omnes et singule litere, quas dominus de Heynsberch a predicto duce Johanne impetraverat durante gubernacione domini comitis Sancti Pauli antedicti, nullius essent roboris vel momenti, quodque illas eidem duci transmittere deberet, cancellandas infra certi tunc expressati temporis spacium. Et quia prepositus Aquensis et nonnulli alii noluerant diem capere et caucionem juramentoriam prestare, quod eadem die Bruxellam reintrare deberent, idcirco non fuerant tunc cum aliis ab eorum captivitate liberati, qui tandem, scilicet de nocte festivitatis Sacrosancti Sacramenti, fractis carceribus, per negligenciam custodum evaserunt.

De novo regimine quod oppida Bruxellense et Buscoducense sigillare noluerunt. Cap. CXCIX.

Anno Domini M° CCCC° XXII° prescripto fuerunt in Lovanio per tres status Brabancie multa puncta multique articuli concordati et in litera patente redacti, quam literam novi regiminis appellaverunt : que data fuit et concordata per ducem Johannem et tres status Brabancie predictos, consensu unanimi, die XII^a^ mensis maii anno predicto, dempto oppido Bruxellensi. Quare dux Johannes destinavit dominum Heinricum Vanden Leck, magistrum hospicii, Ywanum de Mol, magistrum coquine, et Emondum de Dynter, secretarium suos, ad inducendum rectores dicti oppidi Bruxellensis, ut suum consensum cum aliis de tribus statibus vellent prestare in dicto novo regimine, et literas illius sigillare, quas multi prelati et nobiles oppidumque Lovaniense jam sigillaverant : quod Bruxellenses facere recusaverunt.

Deinde prelibatus dominus dux transmisit prefatum Emondum, secretarium suum, ad prelatos, nobiles et alia oppida et franciseas terre Brabancie, ad faciendum sigillari literas novi regiminis prescripti : quod omnes liberaliter fecerunt, excepto oppido Buscoducis, licet deputati ipsorum

cum aliis de tribus statibus ad hoc suum adhibuerint consensum. Quare communis populus contra predictos eorum deputatos murmurare cepit, et contra ipsum Emondum vociferari, clamantes : « Projiciatur cum carta » sua, » in rivo ibidem currente, qui Diesa vocatur; nonnulli imposuerunt deputatis et Emondo predictis, quod eandem cartam sigillo dicti oppidi secreto sigillaverant : quare in periculo mortis constituti fuissent, si ipse Emondus dictam cartam ad visitandum non exhibuisset, quam diligenter inspiciebant, et dum sigillum oppidi non invenerunt, fuerunt aliquantulum pacificati. Nichilominus Emondus, timens quod ipsum cum carta male pertractasse potuissent, cicius quo potuit inde recessit : in cujus recessu fabri, sartores et sabbaterii aliique officiarii mechanici cum instrumentis pulsantes clamaverunt : « Iste est, iste est homo cum carta. » Quare litera novi regiminis predicti die hodierna *carta Emondi* vocatur [1].

De dissencione orta inter Bruxellenses et Mechlinienses, et qualiter dux Johannes profectus fuit in Insulis et in Tornaco, et quid ibidem fecit. Cap. CC.

Notum est, qualiter Johannes de Groelst, alias de Meyere, propter suos excessus per majorem partem oppidorum exbannitus extitit extra limites patrie Brabancie, qui ea de causa se traxit ad morandum in oppido Mechliniensi, ubi libertatem acquirens burgensis est effectus. Et quia ipse post hoc ex Mechlinia veniens infra ammanniam Bruxellensem, ubi quemdam burgensem Bruxellensem, nomine David de Rademakere, letaliter vulneravit, et facto perpetrato Mechliniam iterum intravit : quod Bruxellenses percipientes, miserunt locumtenentem ammanni Bruxellensis ex parte principis, et secum magnam hominum armatorum copiam cum apparatu bellico, qui quandam fortem mansionem, sitam in Brabancia apud villam dictam Ter Cappellen opten Bossche, cum omne suppellectili in eadem existente destruxerunt. Quapropter Mechlinienses multos burgenses Bruxellenses ad forum Antwerpiense ibi advenientes arrestaverunt, et bona Bruxellensium capientes Mechliniam introduxerunt; Bruxellenses vero, e

[1] Exstat diploma illud in *Placcaerten van Brabant*, t. IV, p. 579.

converso contra Mechlinienses in arrestum procedentes, inhibuerunt ne aliqua bona ex ammannia Bruxellensi ipsis adduci deberent.

Tandem, ad dissensionem sedandam hujusmodi et pacificandam, post multas dietas desuper observatas inter ducem Burgundie et patriam suam Flandrie, ex una, et ducem Brabancie et patriam suam Brabancie, parte ex altera, ambo oppida Bruxellense et Antwerpiense se submiserunt in ordinacionem dominorum ducum predictorum et quatuor membrorum Flandrie quatuorque oppidorum Brabancie, scilicet Lovaniensis, Antwerpiensis, de Buscoducis et Thenensis. Que quidem partes, post multos et longos processus desuper habitos, demum inter se amicabiliter convenerunt et concordaverunt.

Et inter ceteras dietas fuit una tenta in Insulis, ubi dux Johannes ex Lovanio die XIX^a^ novembris accessit cum multis baronibus, militibus et nobilibus, ubi de supradicta dissencione tractavit cum domino duce Burgundie, nepote suo, ubi causa hujusmodi fuit ordinata in statu per certum tempus manere, et alia dieta servari debere in oppido Antwerpiensi. Et multis dietis desuper observatis, ut prescriptum est, ambe partes amicabiliter inter se sunt concordate. Item est sciendum, quod ipse dux Johannes habuit ibi eciam colloquium cum dicto duce Burgundie super causa matrimoniali inter ipsum et dominam Jocobam suam consortem in curia Romana pendente.

Subsequenter, die sabbati XXVIII^a^ mensis novembris predicti, dux Johannes cum suis ab Insulis recedens, profectus est in Tornacum, ubi cives magnum honorem sibi impenderunt : multi enim ex ipsis per duas leucas sibi obviam exiverunt, et dum civitati appropinquavit, venerunt collegia et clerus et totus populus promiscui sexus, cum crucibus et vexillis, sibi obviam, ipsum honorifice introducentes in civitatem, ubi fecit graciam et remissionem captivis tam in prisoniis regis quam episcopi et civitatis constitutis. Civitas eciam sibi largiflue propinavit vinum, vasa argentea deaurata et preciosos pannos obtulit. Deinde dux ex Tornaco recedens se transtulit ad Montes in Hannonia, dehinc in Halle et abhinc in Lovanio. De Lovanio vero iterum ivit ad Montes in Hannonia, et in vigilia Nativitatis Christi applicuit in Lovanium, ubi festivitatem Nativitatis Christi celebravit : ubi cum statu suo permansit usque ad festum Pasche.

De domino Laurencio de Bouchout, decano ecclesie sancte Gudule Bruxellensis. Cap. CCI.

Pendente discordia inter oppida Bruxellense et Mechliniense prescripta. dominus Laurencius de Bouchout, decanus ecclesie sancte Gudule Bruxellensis, reportavit nonnullis ex communi populo sive communitate Bruxellensi, quod aliqui burgenses essent in oppido Bruxellensi constituti, qui certa consilia tenuerunt cum aliquibus de Mechlinia, qui inter se convenerant et concordaverant de pluribus causis ad destructionem oppidi Bruxellensis tendentibus; et quia ipse fidelitatem dicto oppido semper servare tenetur, nolens hujusmodi factum occultare, in lucem deducere curavit. Cujus colloquium ad totum communem populum velociter cucurrit, qui ea de causa iterum quamplurimum fuit commotus. Legislatores hoc percipientes, ad statim pro dicto decano mittentes, ipsum interrogaverunt, qui essent qui cum Mechliniensibus consilium et tractatum habuerunt et fecerunt? Ad quod ipse, in presencia scabinorum et juratorum omnium officiorum, publice respondit, dicens quod ipse esset vir ecclesiasticus, quare sibi non esset licitum aliquem de tali causa accusare, unde effusio sanguinis possit evenire; sed, si ipsis placeret nomina omnium ad septem prosapias et ad consilium oppidi spectancium sibi tradere in una cedula conscripta, ipse libenter signaret eorum nomina qui hujusmodi facti innoxii forent. Quorum omnia nomina fuerunt sibi in scriptis exhibita, que omnia ipse signavit, septem exceptis viris, quos tamquam culpabiles non signavit: quorum duo erant scabini, scilicet Johannes de Sancto Gaugerico et Wilhelmus de Hersele; tercius fuit receptor oppidi, Anthonius de Brabant nuncupatus: alii quatuor fuerunt de consilio oppidi. Qui septem fuerunt capti et ad *Vroentam* ducti. Et quia ipse Laurencius non docuit neque docere potuit circumstanciam cause, quam Bruxellenses et Mechlinienses inter se tractaverant, in perniciem oppidi Bruxellensis redundantis, nec de loco et tempore ubi tractatus fuit habitus, idcirco fuerunt predicti septem viri ex captivitate liberati, et ipse decanus extra limites patrie Brabancie perpetuo relegatus et proscriptus.

Qualiter Johannes dux Brabancie misit de consilio suo ad dietam Brugensem, per ducem Burgundie contra Anglicos ordinatam. Cap. CCII.

Anno Domini M° CCCC° XXIII°, die vero XX^a^ mensis aprilis, Johannes 1423
dux Brabancie a Lovanio recedens se transtulit ad oppidum de Halle, ubi ordinavit solempnem ambaxiatam transmittendam ad dietam Brugensem, per dominum ducem Burgundie ordinatam, inibi contra Anglicos tenendam die XXV^a^ ejusdem mensis aprilis. Ad quam dietam ipse dux sui ex parte destinavit reverendum patrem dominum Olandum [1] abbatem Sancti Michaelis Antwerpiensis, Wilhelmum comitem de Seyne et Rode Sancte Agathe, Johannem dominum de Wesemale et de Falleys, Johannem de Schoenvorst, burchgravium de Monyouw, dominum de Craendonck et de Diepenbeke, dominum Wilhelmum de Sars, militem, magistrum Cornelium Proper, prepositum Cameracensem, magistrum Anselmum Fabri, decretorum doctorem, decanum ecclesie Beate Marie Antwerpiensis, consiliarios, et magistros Johannem Mercatoris ac Emondum de Dynter, secretarios suos, propter questionis materiam exortam inter eundem ducem Brabancie, ex una parte, ac suprascriptam dominam Jacobam ac ducem Glocestre, ex altera, adhuc in curia Romana inter easdem partes indecise pendentem, sine prejudicio processus desuper in eadem curia ventilantis, sed in sui roboris firmitate permanentis. In qua quidem dieta dictus dominus dux nichil potuit proficere ad concordiam inter partes predictas consequendam : quare idem dux Johannes, ad se maturius cum domino duce Burgundie supra dicta causa consulendum, profectus fuit postea ad eundem ducem Burgundie ad dietam in Gerardi Monte, dicto Geroutsberghe, conceptam fore tenendam die XV^a^ mensis junii anni prescripti, ubi multa colloquia et consilia de ista materia habuerunt. Qua dieta finita ibidem, dux Brabancie versus Lovanium se retraxit.

[1] Lege *Olardum.* Olardus seu Alardus Ferlinck, qui abbatiae per annos 38 et menses decem praefuit, ac anno 1452 obiit.

Qualiter Johannes dux Brabancie oppidum suum Bruxellense, a quo se diu absentaverat, in graciam recipiens, ibidem residenciam suam tenere decrevit, et qualiter capitaneus Bruxellensis fuit depositus, et tredecim de principalibus commotoribus correcti. Cap. CCIII.

Quia memoratus dux Johannes per certum tempus cum suis nobilibus, consiliariis et familia atque toto suo statu ab oppido Bruxellensi se absentaverat, et residenciam suam in eadem, sicuti antecessores sui hactenus consueverant, non tenuerat, propter certas causas animum suum ad hoc moventes, per Bruxellenses in lesionem et prejudicium alte sue jurisdictionis, ut pretendebat, perpetratas, tandem idem dux Johannes, certo tractatu desuper prius prehabito, ad humilem oppidi sui supplicacionem, cum nobilibus ac consiliariis et familia suis predictum suum oppidum in die festivitatis Beate Katherine virginis et martyris intravit, ipsum oppidum et omnes burgenses et incolas ipsius et quemlibet eorumdem in suam graciam recipiendo, omnemque noxam, indignacionem, calumpniam, impeticionem et actionem, per quas tempore preterito contra ipsum et jurisidictionem suam forefecerunt, misericorditer indulgendo et remittendo.

Deinde vero dominus Wilhelmus Rongman dominus de Bigardis, capitaneus Bruxellensis appellatus, fecit dicto duci Johanni per aliquas interpositas personas magnam pecuniarum summam offerri, si sibi officium capitaneatus Bruxellensis cum stipendiis ad hoc ordinatis vita durante confirmasse voluisset: quod ipse dominus dux facere recusavit. Et quia ipse capitaneus, videns quod suo frustrabatur desiderio, ad suam supplicacionem, in die Beati Thome apostoli, per dictum ducem Johannem ab officio capitaneatus predicto et a juramento coram scabinis Bruxellensibus ad opus domini ducis desuper prestito depositus et absolutus est, supplicavit insuper idem dominus Wilhelmus dicto duci Johanni, quatenus eisdem scabinis Bruxellensibus modum et formam sue deposicionis et absolucionis indicare dignaretur, quia ipse eciam eisdem scabinis de predicto capitaneatu prestiterat juramentum, quatenus ipsi sibi eciam hujusmodi juramentum remittere vellent. Ob quam causam ipse dux Johannes die sequenti, scilicet mercurii XXII^a^ decembris, mandavit predicto oppido Bruxellensi, quatenus deputatos suos ad ipsum in curia sua apud Coudenberghe de-

stinarent. Quibus ad se applicantibus fecit referri ea que prescripta sunt, adjiciens ad ea quod ipsis non esset opus ammodo aliquem capitaneum habere, attento quod ipse ibidem venerat ad pacem, unionem et concordiam in eodem suo Bruxellensi oppido nutriendam, agendam et observandam. Quam quidem peticionem predicti deputati ad se receperunt penes eorum consocios et alios ad quos spectaret reportandi.

Dum premissa venerunt ad noticiam communis populi, insurrexit, post prandium ejusdem diei, in domo consulum et signanter supra forum, magna commocio et divisio in populo : nam aliqui voluerunt dictum capitaneum tenere, aliqui non; tandem hujusmodi contencio fuit ad diem crastinam prorogata. Qua die, videlicet jovis XXII[a] decembris, comes Sancti Pauli, et secum comes de Conversant et de Brienna, dominus de Engia, venerunt ad domum consulum penes burgimagistros, scabinos, juratos et centuriones et plures alios in magno numero ibidem congregatos, ad ipsos informandum et inducendum, quatenus ducem Johannem pro eorum principe et domino recognoscerent et observarent, et nullum contra voluntatem ipsius capitaneum manutenerent. Ad quod ipsi magnam adhesionem et assistenciam invenerunt in legislatoribus, consiliariis et pocioribus sive notabilioribus burgensibus; sed aliqui parvi status ex communi populo se fortiter opposuerunt verbis irracionabilibus. Comes autem Sancti Pauli, videns commocionem populi magis ac magis invalescere, ivit ad fenestram versus forum, dicens alta et intelligibili voce, requirens quod omnes, qui domini ducis, eorum veri domini, fratris sui atque sui amici essent, ad statim induerent arma sua, et penes ipsum ibidem venirent : quod omnes fideles domino duci et benevoli incunctanter fecerunt animo lubenti. Dominus autem comes de Conversant, dominus de Engia, id est de Edingen, equitavit versus curiam domini ducis, quem secum adduxit ad domum consulum, unacum Engelberto comite de Nassouw, domino de Lecka et de Breda, et domino de Rotselaer, cum ipsorum familia. Ipso, inquam, domino duce penes comitem Sancti Pauli in domo consulum existente, multi fuerunt confusi : unum ibi fuit concordatum et conclusum per legislatores et naciones, quod omnes illi, qui tumultum hujusmodi moverunt et fecerunt, absque mora apprehendi atque captivari, et sine dissimulacione juxta eorum demerita corrigi deberent, predicti oppidi Bruxellensis juribus et privilegiis semper salvis. Et fuerunt

eidem domino duci ad statim presentate et producte tredecim persone. que in commocione hujusmodi principaliores exclamatores reperte fuerunt. ad faciendum corrigi easdem ad sue libitum voluntatis. Nichilominus tota universitas septem prosapiarum et aliarum hujusmodi nacionum eundem ducem Johannem flexis genibus humiliter deprecabantur, quatenus. absque sanguinis effusione in corporibus vel membris, predictas tredecim personas alias corrigi faceret juxta eorum demerita : quod ipse dux Johannes ex innata sibi clemencia ipsis duxit generose concedendum. Die autem veneris, que fuit vigilia Nativitatis Christi, supradicte tredecim persone. in presencia ducis Johannis et fratris sui comitis Sancti Pauli et dominorum de eorum consilio, per ammannum, burgimagistros, scabinos et consiliarios oppidi Bruxellensis predicti fuerunt publice graviter correcte. Quarum nomina sequuntur et sunt hec : Johannes dictus *Voet*, antiquior. qui fuit merserius, Guido de Ryswyck, cultellifex, Andreas de Voerhout. vaginifex, Johannes dictus *Vander Schueren*, Walterus Oberti dictus *in den Wintmolen*, Johannes Stichelman, piscator, Jacobus dictus *de Monick*, alias *in't Zwaentken*, Johannes dictus *de Moldere*, latonius. Heinricus Snack, pistor, Godefridus dictus *van den Lichten Watere*, Egidius de Groet. braxator, dictus *in den Hantschoen*, Johannes dictus *in't Schildeken*, alias *de Duvel*, et Egidius Quaetsaet.

Deinde. die dominica, que fuit dies Sancti Stephani protomartyris, venerunt burgimagistri, scabini et consiliarii predicti oppidi Bruxellensis penes prelibatum ducem Johannem in sua curia apud Coudenberghe. dicentes quod predictum dominum Wilhelmum dominum de Bigardis amplius non tenerent pro capitaneo. neque sibi ammodo darent stipendia, quodque ipsum de capitaneatu deposuerunt : de quo ipse dux Johannes fuit bene contentus. Die vero lune, que fuit dies Sancti Johannis evangeliste, idem dominus Wilhelmus de Bigardis veniens ad domum consulum exhibuit atque tradidit burgimagistris, scabinis et consulibus claves oppidi et literas sue commissionis, et omnes alias literas quas ad se habuit ex parte oppidi predicti. Quo facto, fuit ibi dimissus et absolutus a predicto capitaneatu et juramento per ipsum dicto oppido desuper prestito.

1424 Post hec, die XX^a mensis januarii, juratis, centurionibus atque nacionibus in domo consulum convocatis. fuerunt de omnium ipsorum consensu per burgimagistros. scabinos et juratos litere commissionis de capitaneatu

domini Wilhelmi domini de Bigardis sepedicti publice cancellate et cassate.

Qualiter Gerardus Vanden Zype fuit interfectus. Cap. CCIV.

Anno Domini M° CCCC° XXIIII° Gerardus Vanden Zype, quem dux 1424 Johannes antea instituerat suum receptorem generalem Brabancie, qui occasione sui officii tenebatur hospicium ducis de victualibus et omnibus necessariis honorifice regere et manutenere, sicuti sui antecessores in dicto officio hactenus facere consueverunt, quod ipse per certum tempus laudabiliter fecit. sed demum, in ministrandis victualibus et specialiter pro aula ducis deficiens, vix pro ipso domino duce et ejus camera providere curavit. tamen omnes redditus et proventus recepit et levavit : de quo ipse dominus dux fuit de ipso pessime contentus. Tandem accidit, quod ipse Gerardus equitavit de Bruxella versus dictum dominum ducem in castro suo Furensi existentem, qui recepta licencia intendens Bruxellam reverti, dum venit prope Stockele, obviavit sibi dominus Johannes Blondelli. miles, qui ipsum odio odivit capitali, de quo ipsum sufficienter, ut dicitur, premunivit [1] : qui ipsum hostiliter invasit et interfecit, suis famulis ab illo fugientibus, et mansit ibidem mortuus in campis. Cujus corpus fuit ad Bruxellam transportatum. et in ecclesia Sancti Jacobi in Frigido Monte honorifice sepultum [2].

[1] Forte legendum *premonuit*.

[2] Ad calcem hujus cap. CCIV in quibusdam MSS. recentioribus sequitur diploma datum Budae die 2 januarii 1424, quo Sigismundus confirmat literas imperatoris Caroli et privilegia per ipsum incolis ducatuum Lotharingiae et Brabantiae ac marchionatus sacri imperii quondam concessa. Sequitur etiam executoria illius privilegii regis Sigismundi, de die 7 januarii ejusdem anni. Illa autem documenta, quae in cod. MS. Corsendoncano non leguntur, et nos hoc loco praetermittimus, ne tota capitulorum turbetur series.

Sequitur, per modum recapitulacionis, sub brevibus tractatus matrimonii inter predictos Johannem ducem et dominam Jacobam ducissam consummati; et qualiter ea transfretavit ad Angliam, et ducem super nullitate matrimonii citari fecit, duci Glocestrie se copulando. Cap. CCV.

Postquam dux Johannes et ducissa Jacoba, apostolice dispensacionis vigore, ut in premissis lacius continetur, per spacium duorum annorum et ultra in sacro matrimonio permansissent, conjugalia obsequia sibi invicem large impendentes, tandem per pacis emulos ad hoc inducta, imo pocius seducta fuit, ut propria temeritate, sine medio ecclesie, ac sine consensu et voluntate dicti domini ducis, ad partes alienas, scilicet Angliam, et a thoro et consorcio ejusdem domini ducis distrahendo et alienando, causam super nullitate predicti matrimonii in curia Romana contra prefatum dominum ducem ex post committi obtinuit, ipsumque dominum ducem ad se deffendendum in curia eadem citari procuravit, et tandem illustri principi Hunfredo duci Glocestrie, fratri regis Anglie, judicio ecclesie non expectato, se copulavit : unde multa scandala et guerrarum discrimina evenerunt, prout fere toti mundo manifestum est. Nam ipse dux Glocestrie, judicio ecclesie in et super predicta matrimoniali causa in prefata curia Romana adhuc indecisa pendente non expectato, sed in litis pendentis jurisdictionisque ecclesiastice, imo verius apostolice sedis et clavium ejusdem vilipendium, dedecus et contemptum, ac post et contra inhibicionem sibi debite insinuatam, prefatique ducis Brabancie prejudicium non modicum, jacturam et gravamen, non contentus de aliis injuriis in sue conjugis privacione et detencione sibi irrogatis, se disposuit cum classe et apparatu bellico, prout communis fama tunc ferebat, manu, vi et potencia armata transfretare, animo et intencione comitatum Hannonie invadendi, et ducem Brabancie sua possessione pacifica ejusdem spoliandi et privandi.

Qualiter dux Johannes ab expedicione sua, quam contra adventum ducis Glocestrie paraverat, suspenditur per certum tractatum concordie inter eosdem duces perillustres Burgundie et Bethfordie duces pro bono pacis conceptum. CAP. CCVI.

Preterea, quia multi multa loquuntur, cumque propter falsam assercionem iniquorum veritas quandoque nequit venire in lucem, ne igitur falsitas veritati prejudicet, sed veritas in eorum lucem veniat que in comitatu Hannonie, cujus possessionem Johannes dux Brabancie per plures annos tenuit et possedit pacifice et quiete, per ducem Glocestrie sunt secuta, ut cunctis pateant, nec valeant per falsitatem quoquomodo obumbrari, idcirco rem gestam omni veritate subnixam narrare curabo, sub correctione cujuslibet melius sencientis.

Est verum, quod Johannes dux Brabancie, qui tamquam catholicus princeps et professor inclitus sancte matris ecclesie et sedis apostolice monitis et mandatis, et signanter in prescripta matrimoniali causa, sentenciam et judicium exspectando, sine ulla discrepacione semper paruit et obedivit, attendens secundum canonicas et legitimas sanxiones, vim vi repellere cum moderamine inculpate tutele, cunctisque sese necnon honorem, res et possessiones uxori sue atque sponse tamquam proprias defensare licere, postquam intencio prelibati ducis Glocestrie ad suam devenit noticiam, paravit se ad arma, unacum fidelibus suis comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus et vasallis Brabancie, causa predictum suum comitatum Hannonie ac civitates, castra et fortalicia ipsius muniendi et ab hostium incursibus deffendendi : qui ea de causa jam cum suis gentibus armorum applicuit apud Nivellam, predicto comitatui Hannonie satis contiguam.

Et eodem duce inibi et aliis sue patrie Brabancie confinibus suo comitatui Hannonie quasi contiguis cum suorum copiis armatorum existente, applicuit magnificus dominus Petrus de Lucemburgo, comes de Conversant et de Brienna, dominus de Engia, consanguineus suus, ex parte predicti ducis Burgundie, qui, inter ceteros principes consanguineos ac de prosapia et affinitate dicti domini ducis Brabancie existentes, ipsius calumpniis, incommoditatibus et injuriis magis condolens, cupiensque sibi super hoc sollicitis studiis de remedio opportuno providere, unacum prefato domino

duce Betfordie, dicti ducis Glocestrie germano, pro guerrarum, bellorum, sedicionum, novitatum aliarumque calamitatum plurimarum turbinibus et dispendiis inconvenienciisque innumeris vitandis et consternendis, quibus terre, subditi et incole prefatorum Brabancie et Glocestrie ducum, eciam cum horrendo ac multiplici personarum christicolarum deletu, necnon bonorum et rerum, tam clericorum personarumque ecclesiasticarum et aliarum, destructione, amissione et dissipacione, luctuosius verisimiliter, nisi Deus averteret, affligerentur in dies longos et continuandos, certum tractatum, nonnullos articulos racioni consonos et a juris tramite non alienos sive discordantes in se continentem, pro concordia inter sepefatos duces consequenda, et presertim ut per partem utramque judicium ecclesie sive sentencia judicum expectaretur, ac a via facti cessaretur, de suorum nobilium, procerum et magnatum sano et maturo super hoc consilio prehabito, conceperunt et ordinaverunt, proponentes et concludentes, pro tanto bono consequendo, et ne alias lugubres succederent et invalescerent eventus, per certos suos ambaxiatores solempnes predictum tractatum concordie per ipsos sic conceptum utrique eorundem Brabancie et Glocestrie ducum insinuare, sub spe firma quod uterque ipsorum hujusmodi tractatum receptare deberet, et se super contentis in eodem submittere ordinacioni dominorum ducum Burgundie et Bethfordie prefatorum. Retulit insuper prelibatus comes de Conversant, dominus de Engia, eidem domino duci Brabancie, quod infra paucos dies ipse dominus dux Burgundie super hoc suos solempnes nuncios indubie ad ipsum destinaret : deprecans propterea instanter et requirens attente, quatenus adventum predictorum nunciorum sub spe pacis et concordie exspectare, expedicionemque suam suspendere vellet, et a quacumque ulteriori execucione cessare. Qui quidem dominus dux, pulsatus et convictus precibus et instanciis nomine prefati domini ducis Burgundie sibi oblatis, suorum hominum armatorum expedicione soluta, ad oppidum suum Lovaniense se retraxit. Qui si cum suis in Nivella mansisset, et aliquos suos capitaneos cum gentibus armorum ad certa loca in Hannonia destinasset, forte dux Glocestrie nunquam advenisset. Nichilominus dominus dux Brabancie, de legalitate domini de Haveretz confidens, ipsum capitaneum generalem comitatus sui Hannonie duxit instituendum : qui fidem et legalitatem promissam minus bene servavit, ut infra patebit.

Qualiter dux Johannes Brabancie acceptavit tractatum prescriptum.
Cap. CCVII.

Subsequenter vero, novem vel decem diebus nondum elapsis, memorato domino duce Brabancie in predicto suo oppido Lovaniensi existente, applicuerunt ibi reverendus pater episcopus Tornacensis ac spectabiles, nobiles et egregii viri, dominus Johannes de Lucemburgo, dominus Rolandus de Vutkerke et Guilbertus de Launoy, milites, ac magister Symon de Formellis, legum doctor, dicti ducis Burgundie consiliarii ac ex parte ipsius ad predictum ducem Brabancie destinati, qui suprascriptum concordie tractatum, modo premisso conceptum et ordinatum, sibi singulatim insinuarunt, deprecantes seriose et requirentes obnixe, quatenus pro bono pacis et pro vitandis guerris ac variis et dubiis litium amfractibus inde, nisi Deus provideret, in foribus consistentibus et verisimiliter affuturis, necnon, nomine et ex parte domini ducis Burgundie, sibi consulentes quatenus hujusmodi tractatum acceptaret, certificantes eundem Brabancie ducem, quod dominus dux Bethfordie suos ambaxiatores ad prefatum Glocestrie ducem, germanum suum, simili modo destinasset. Qui quidem dominus dux Brabancie, non pusillanimitate animi neque suorum adversariorum potenciam verendo, sed suorum cupiens subditorum calamitatibus misericorditer obviare, ut premissum est, sano suorum comitum, baronum, procerum et nobilium ac bonorum oppidorum consilio et deliberacione matura super hoc prehabitis, attento quod ipse dominus dux salvo suo honore et sine jurisdictionis ecclesiastice lesione quacumque hujusmodi tractatum acceptare et servare posset, breviter acquiescendo consilio et instanciis dominorum ducis Burgundie et suorum consiliariorum, in Dei nomine acceptavit eundem, casu quo prelibatus dux Glocestrie similiter ipsum eciam duceret acceptandum.

Qualiter dux Glocestrie, pendente tractatu per nuncios ducis Burgundie cum duce Brabancie habito, Hannoniam intravit, tractatu concordie penitus rejecto et repulso. Cap. CCVIII.

Quibus, sicut premittitur, peractis, antequam memorati nuncii domini ducis Burgundie, post petitam et obtentam ab eodem domino duce Brabancie recedendi licenciam, de Lovanio venirent in Bruxellam, supervenerunt vera nova, quod prefatus dux Glocestrie, rejecto et repulso per eum tractatu concordie supradicto, tempore medio quo prelibati domini ducis Burgundie nuncii cum dicto duce Brabancie in tractatu fuerant, de Calesio, ubi cum classe affluxerat, die noctuque peragrando, cum potencia magna hominum armatorum et sagittariorum ad partes Hannonie jam applicuerat cum domina Jacoba ducissa, animo invadendi sibique subjugandi easdem, et ab obediencia predicti domini ducis Brabancie spoliandi et distrahendi. Que quidem nova idem dominus Brabancie dux illico suprascriptis nunciis mandavit significare per Johannem Blonde, clericum officiorum sive coquine : qui sibi in crastinum per Johannem Camesville suum avisamentum et consilium rescripserunt, et, inter cetera, quod premissa sine mora significaret domino duci Burgundie per aliquem notabilem virum, ejus noticiam habentem singularem, ipsius consilium et auxilium contra predictum ducem Glocestrie implorando: quodque pari modo eciam destinaret ad ducem Johannem in Bavaria pro consilio et auxilio, et ante omnia mandaret pro nobilibus et oppidis Brabancie, requirendo quod pro suorum juris et honoris conservacione sibi servirent contra ducem Glocestrie predictum, et quod eciam mandaret illis de Hannonia quod se firmiter tenerent in sua obediencia, quia in brevi speraret ipsis talem succursum et assistenciam facere, quod merito deberent esse contenti. Scripserunt sibi eciam, consulendo quod se transferret de Lovanio ad aliquem locum propinquum cum nobilibus et consiliariis suis, quodque festinanter mitteret manum ad execucionem, jus et honorem suum deffendendo, cum nonnullis aliis punctis in eorum rescripcione declaratis.

Sed antequam dominus Brabancie dux se ad resistendum parare potuit, ipse dux Glocestrie, auxilio ducisse Bavarie vidue, genitricis domine Jacobe ducisse, etc., ac favore domini de Haveretz, dicti ducis Brabancie in

Hannonia capitanei generalis, nonnullorumque aliorum pacis et concordie emulorum, possessionem oppidorum comitatus Hannonie pro majori parte assecutus fuit et adeptus. De cujus siquidem ducis Glocestrie adventu gestisque ipsius prelibatus dominus dux Brabancie admirari non sufficiens, attentis hiis que supra scripta sunt, significavit premissa domino duci Burgundie predicto, et nichilominus, pro ulciscendis injuriis sibi illatis, necnon pro sui juris conservacione terreque sue clam et dolose spoliate et occupate recuperacione, auxilium ab ipso postulavit et requisivit; similiter petiit auxilium a quondam domino Johanne duce Bavarie dive memorie. Qui quidem duces promiserunt sibi auxilium contra prefatum ducem Glocestrie allaturi: sed idem quondam Johannes Bavarie dux, cui prefatus dux Brabancie regimen et administracionem comitatuum suorum Hollandie, Zelandie et dominii Frisie per aliquot annos commiserat, morte preventus ab hac luce migravit, veneno, ut dicitur, intoxicatus per dominum Johannem Vander Vliet militem, qui propterea fuit quartelatus, sive in quatuor partes divisus, et ad quatuor angulos patrie membratim suspensus.

Qualiter Johannes dux Brabancie post decessum ducis Johannis Bavarie, pro regimine et tuicione patrie sue Brabancie et recuperacione patrie Hannonie certis capitaneis institutis, versus partes Hollandie, Zelandie et Frisie se duxit transferendum. Cap. CCIX.

Johannes autem dux Brabancie, qui ad se ulciscendum contra ducem Glocestrie magnam spem in corde suo gerebat de assistencia per duces Burgundie, patruum, et Bavarie, avunculum suos, sibi pollicita; sed quia propter ejusdem ducis Bavarie decessum non solum ipsius extitit frustratus auxilio, verum eciam verebatur quod idem dux Glocestrie et domina Jacoba terras Hollandie, Zelandie et Frisie eciam invaderet et occuparet, et ut ab ipso, prout in Hannonia fecerant, possent alienare, quod Deus avertat : quibus viam precludere et futuris periculis obviare desiderans, de suorum comitum, baronum, militum, aliorumque nobilium et deputatorum, duos status seculares patrie sue Brabancie representancium, necnon oppidi sui Trajectensis, quos ad dietam in oppido Bruxellensi convocaverat, consilio pariter et assensu, deliberavit, quod ipse propria in persona

ad easdem Hollandie, Zelandie et Frisie partes proficisci deberet. Sed ne suam patriam Brabanciam absque rectore et deffensore demitteret, ac terram suam Honnonie et guerram, quam contra ducem Glocestrie movere intendebat, pro desolatis tenere videretur, primo pro regimine et deffensione predicte sue patrie Brabancie, ac resistencia contra predictum ducem Glocestrie et sibi adherentes facienda ordinavit dominum Petrum de Lucemburgo, comitem de Conversant, dominum de Engia, dominum Thomam dominum de Diest et de Zichen, dominum Engelbertum de Engia, dominum de Rameru, de Tubeke et de la Folie, Johannem dominum de Wesemalia, suos consanguineos; dominum Johannem dominum de Rotselaer, de Vorselaer et de Rethy, Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, dominum de Craendonck et de Diepenbeck, barones: dominum Heinricum Van der Lecka dominum de Hesewyck et de Dynter, dominum Johannem de Wittham, dominum Arnoldum de Crayenhem dominum de Grobbendonck, Wilhelmum de Montenaken dominum de Grasen et de Wylre, Johannem de Wittham dominum de Boutershem, Walterum Van der Noet et Arnoldum Stamelaert de Uden, dans ipsis desuper usque ad suum reditum de Hollandia plenariam potestatem, per literas suas patentes datas in predicto oppido Bruxellensi, mensis januarii die XVIII°, anno Domini M° CCCC° XXIIII°, secundum usum curie Cameracensis.

Et insuper, eisdem anno, mense, die et loco prelibatis, dux Johannes per alias suas patentes literas dominum comitem Sancti Pauli, suum germanum, supremum, et suprascriptos dominos de Conversant et Thomam dominum de Diest generales capitaneos suos instituit et ordinavit, ipsis totum negocium sue expedicionis, quam contra prefatum ducem Glocestrie paraverat, necnon guerrarum, quas eidem duci sibique adherentibus et rebellibus Hannonie movere proposuerat, in omnibus et per omnia committendo fideliter et viriliter dirigendum, prout in predictis literis usque ad reditum suum de Hollandia plenius continetur. Quibus sic peractis, idem dominus dux, assumens secum Wilhelmum comitem de Seyne, dominum de Rode Sancte Agathe, nonnullosque alios nobiles, cum omnibus sui hospicii officiariis et familia, se duxit ad predictas Hollandie, Zelandie et Frisie partes transferendum, in quarum omnium oppidis per burgenses et incolas eorundem ac per nobiles vasallos patriarum hujusmodi

ad plenariam obedienciam cum jocunda solempnitate admissus est et receptus, et laudabiliter intronizatus. Qui omnes et singuli cum unionis perfecte amenitate pariter et dulcore sibi, tamquam vero et legitimo marito prelibate domine Jacobe ducisse, eorumque domino, tutore et deffensore, vita ipsius ducisse durante, fidelitatis et obediencie debita atque solita alias prestita juramenta renovaverunt.

Et est sciendum, quod predicto duci Johanni in Hollandia existenti fuit ex Brabancia significatum, quod dominus de Diest, cadens cum equo, se taliter leserat quod non potuit equitare. Quare idem dux, attendens quod onus ducendi extra patriam suam Brabancie exercitum validum, versus Hannoniam contra ducem Glocestrie et sibi adherentes, prelibato domino de Diest, si convalesceret, et comiti de Conversant, quos in suo recessu capitaneos instituerat generales, esset nimis grave, viso quod ipse nesciret theutonicum loqui, quapropter adjunxit eisdem in capitaneos generales Engelbertum comitem de Nassouw, dominum de Lecka et de Breda, et Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, supranominatum, dans ipsis potestatem omnimodam, cum comite Sancti Pauli, suo germano et capitaneo supremo, omnia et singula faciendi, usque ad reditum suum de Hollandia in Brabanciam, que boni et fideles capitanei generales facere tenentur, et ipsemet faceret et facere posset, si premissis interesset; mandans propterea universis et singulis officiariis et subditis suis Brabancie, quatenus predicto supremo et generalibus capitaneis suis pareant et intendant : prout in literis suis desuper confectis lacius continetur, que fuerunt date in Haga Comitis in Hollandia, mensis februarii die XX^a^, anno M^o^ CCCC^o^ XXIIII° prescripto.

Qualiter Anglici et Hannonienses rebelles partem ducatus Brabancie in confinibus insultarunt; et qualiter capitanei Brabancie supremus et generales capitaneos instituerunt particulares, qui partem Hannonie oppugnabant, et ibi de gestis ante Braniam Comitis habitis. Cap. CCX.

Postquam memoratus Johannes dux Brabancie ad sepefatas suas Hollandie, Zelandie et Frisie partes se duxerat transferendum, dux Glocestrie suique satellites, complices et fautores, existimantes patriam Brabancie

propter absenciam sui domini et ducis strenuo carere deffensore, ausi fuerunt vi armata et manu potenti, vexillis explicatis et erectis, nulla, ut inter principes et nobiles sub imperio Romano constitutos est moris, diffidencia premissa, eundo ex patria Hannonie et redeundo in eandem, confinia Brabancie ingredi, ubi incendio et rapina gravissima dampna intulerunt, edesque sacratas ac religiosas utriusque sexus personas, Dei timore postposito, temere violando, opprimendo atque concuciendo, multa inaudita mala perpetrarunt. Capitanei autem Brabancie, qui se adhuc non moverunt, hoc percipientes, certos capitaneos particulares pro deffensione patrie instituentes, videlicet Johannem dominum de Wesemalia, Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, et dominum Engelbertum de Engia, dominum de Tubeke et de la Folie, cum ceteris armatorum copiis ad Nyvellam, necnon dominum Johannem de Rotselaer et de Vorselaer, Johannem de Glymes, dominum de Bergis supra Zomam, de Grimbergen et de Melino, cum certo numero gentium armatorum ad oppidum de Halle duxerunt transmittendos, in quo oppidum Bruxellense per prius certum numerum suorum arbalistariorum et aliorum armatorum pro custodia ejusdem ad usum patrie Brabancie destinaverant. Ex quibus duobus oppidis predicti capitanei prosilientes, magna dampna in patria Hannonie predicti ducis Brabancie rebellibus intulerunt, incendio, cedibus et rapinis cuncta depopulantes.

Et contigit quadam die, quod capitanei in Nyvella constituti, gentes armorum, quas dux Glocestrie in oppido de Brania Comitis ad garnisonem constituerat, visitare et cum ipsis dimicare atque fortune vices experiri desiderantes, cum magna armatorum copia se prope Braniam in latibulis et insidiis tenentes, circa XXV inter armatos et arbalistarios ante Braniam destinarunt. Quos Anglici percipientes, in magno numero ex Brania exeuntes, cum magno clamore, ordine confuso ipsos sunt insecuti : qui fugam simulantes ad capitaneos Brabancie se diverterunt; Brabantini vero ex insidiis prosilientes, in Anglicos viriliter irruunt, pugna summa virtute conseritur. Tandem Anglici cedentes in Braniam redire compelluntur, quos Brabantini usque ad portam insequentes, multos ex eis occidunt, mutilant atque capiunt, quorum aliquos supra quadrigas vinctos Bruxellam miserunt.

Et est verum, quod ab antiquo magistri venatorum Hannonie cum cani-

bus suis venaticis in Brania Comitis residenciam tenere consueverunt, sicut magister venator Brabancie cum canibus residenciam tenet apud Boutsfort. Accidit autem, quod finito conflictu, canes venatici portam exeuntes, tamquam rabidi, quos ex Anglicis semivivos invenerunt, dentibus suis interfecerunt, quos et alios laceraverunt et devoraverunt, tantumque impetum in ipsis fecerunt, quod nullus ad mortuorum cadavera deffendenda ipsos aggredi auderet.

Qualiter capitanei Brabancie, cum inexpugnabili exercitu Hannoniam intrantes, Braniam Comitis obsederunt et expugnaverunt. Cap. CCXI.

Memoratus comes Sancti Pauli, supremus, et alii capitanei generales Brabancie universique et singuli comites, barones, milites, nobiles et vasalli, necnon civitatum oppidorum et villarum patrie Brabancie et oppidi Trajectensis cives, burgenses, habitatores, subditi et incole, Anglicorum insultus ab insolenciis non desistencium egre ferentes et amplius tolerare non volentes, copiis undique adunatis ad arma et expedicionem se paraverunt, ordinantes quod certis diebus atque locis tunc ad hoc statutis omnes cum apparatu bellico in campis se ponere, et sic coadunati ulterius versus Hannoniam proficisci deberent. Quibus quidem diebus atque locis omnibus supradictis in campis existentibus, exceptis illis de Buscoducis cum villicacione sua, qui remociores sunt situati, et quia, juxta consuetudinem patrie Brabancie hactenus ab antiquis temporibus inconcusse observatam, in expedicionibus generalibus situ remociores in ordine exercitus primi et anteriores sunt progressuri, idcirco reliqui, hujusmodi consuetudinem observare volentes, decreverunt quod non progrederentur ulterius, sed predictos de Buscoducis expectarent, et interim questionem nuper exortam, et nunc renovatam, inter Lovanienses et Antwerpienses, scilicet qui eorumdem oppidum Lyrense cum villicacione de Santhoven in expedicionibus generalibus sequi deberent, alterutro ipsorum pretendente quod ipsum sequi tenerentur, si possent, pacificarent. Et fuit tandem per supradictos capitaneos, ad impediendum majores dissenciones que alias proinde advenisse potuissent, pro bono pacis appunctatum et concordatum, quod in presenti expedicione Lyrenses cum sequacibus suis se collocare deberent

et tentoria sua erigere penes tentoria domini comitis Sancti Pauli, capitanei supremi antedicti, sine prejudicio oppidorum predictorum, jure cujuslibet in presenti et aliis futuris expedicionibus semper salvo. Tandem illi de Buscoducis cum villicacione sua, cum pulcherrima fortium armatorum comitiva, in qua plus quam mille arbalistarii interfuerunt, bene stoffati advenerunt. Applicuerunt eciam, quos dominus dux Burgundie in auxilium domini ducis, sui consanguinei, et patrie sue Brabancie tansmiserat, homines armorum bellicosi, scilicet dominus de Croy, dominus de Lileadam et dominus Andreas de Velly, capitanei famosissimi, cum magna equestrium armatorum copia. Advenit similiter in predictorum et patrie subsidium Johannes bastardus de Sancto Paulo, dominus de Habourdin, predictorum ducis et comitis avunculus, cum certa armatorum et sagittariorum quantitate. Advenerunt eciam multi viri armati et sagittarii, quos civitas Tornacensis prelibato Brabancie duci in auxilium et subsidium destinavit.

Qui omnes sic congregati, et plus quam sexaginta millia tam equitum quam peditum armatorum in ipsorum victorioso exercitu habentes, unanimi voluntate, pro dicti ducis Brabancie juris et honoris conservacione, patrieque Hannonie sibi ablate recuperacione necnon injuriarum sibi illatarum ulcione, hostiumque sibi adversancium expulsione ex Brabancia, versus Hannoniam profecti fuerunt, et oppidum de Brania Comitis, fortissimis portis, turribus atque muris profundisque fossatis circumquaque communitum, in quo multi Anglici, qui premissa dampna in confinibus Brabancie patrie intulerunt, se tenuerunt, obsidione circumvallaverunt intrepide, cunctaque tamquam leones famelici undique vastaverunt. Deinde vero, castris suis metatis atque tentoriis et papillionibus fixis et erectis, die noctuque ipsum oppidum incessanter cum bombardis et aliis diversis tormentorum machinis et ingeniis oppugnando, creberrimis saxorum ictibus antemuralia ac turres et menia quassaverunt, et portarum tecta sagittis ignitis exarserunt. Qua durante obsidione dux Glocestrie, per binas vices exercitum Branbantinorum debellare proponens, ad certos dies ipsis prefixos, ad quos ipsi se in tres partes sive exercitus dividentes, custodibus in castris et tentoriis dimissis, ad campos se posuerunt, eundem ducem expectando ad confligendum secum, qui tamen non advenit. Et sic ad castra sua se retraxerunt, ubi semper ex parte dominorum ducis Brabancie et comi-

tis Sancti Pauli affuerunt, qui eorum vexilla convoluta et tamen non displicata sedentes supra dextrarios tenuerunt, que primitus displicassent. si dux Glocestrie ad ipsos debellandum venisset: vexillum autem ducis tenebat dominus de Spontyn dominus de Wavera, et vexillum comitis Wilhelmus de Montenaken dominus de Grasen et Wylre, qui eciam predictorum ducis et comitis vexilla tenuerunt in illo magno insultu de quo immediate dicetur.

Subsequenter valenciores burgenses et incole exercitus Brabancie ante portas et antemuralia diversis machinis et ingeniis terribiles insultus et oppugnaciones fecerunt, valentesque barones et nobiles, suorum insigniis armorum decorati et vexillis eorum precedentibus. feno et straminibus arborumque ramis colligatis. et aliis instrumentis ligneis in fossatis prius projectis, transvadatis fossatis ipsum oppidum viriliter aggrediendo acriter insultarunt et oppugnarunt. per scalas ad menia scandentes. Anglici et incole se viriliter deffendentes, bombardis, voghelariis et sagittis saxisque ex meniis emissis, per que aliqui eorumdem fuerunt ad fossata projecti. scilicet Johannes de Wesemalia et Johannes de Glimes dominus de Bergis supra Zomam, et aliqui alii, qui si sublevantes non habuissent, suffocati. alii letaliter vulnerati, et aliqui interfecti. Comes Engelbertus de Nassouw fuit in brachio lesus, cujus vexillum Theodericus de Welckenhuysen, et vexillum domicelli de Wesemael dominus Arnoldus de Ordinghen tunc gestabant, prout in talibus consultibus et conflictis assolet fieri.

Et tandem capitanei Anglicorum et incole in dicto oppido existentes. bellicosos victoriososque Brabantinorum insultus amplius sufferre non valentes, in manibus domini comitis Sancti Pauli, capitanei supremi. et aliorum capitaneorum generalium predictorum cum ipso oppido se reddiderunt victos et captivos, certo tractatu previo, scilicet salvis vita et corporibus omnium Anglicorum, nobilium et ignobilium, quodque de ipso oppido et intraneis et bonis ibi reperiendis capitanei suam facerent voluntatem. Quibus peractis. pociores et meliores ex Anglicis, predictum oppidum exeuntes. fuerunt ad tentorium domini comitis Sancti Pauli ducti, reliqui vero fuerunt per alios capti, et quos nobiles salvare seu deffendere non poterant. fuerunt per communitatem interfecti. Deinde qui prius potuerunt, oppidum intraverunt, omnia depopulantes, unde plures ex bonis inibi captis sunt ditati. Aliqui vero ex incolis predicti oppidi, qui principaliores proditores

contra dominum Brabancie ducem extiterant, fuerunt decollati; simplicibus autem, ut mulieribus et parvulis, fuit gracia facta de corporibus suis et vita; bona autem ipsorum erant occupantibus concessa; multi eciam intranei fuerunt in primis caloribus interfecti. Deinde ipsum oppidum, igne imposito, fuit totaliter combustum et destructum, necnon muri et porte in parte demoliti sive fracti, et in fossatis projecti. Quod quidem oppidum fuit expugnatum et destructum die XI^{a} mensis marcii, anno Domini M^{o} CCCC^{o} XXIIII°.

Item est notandum, quod Anglicis in predicti domini comitis tentorio adductis fuit quesitum, cur se et oppidum taliter reddiderunt, quod fuit forte et quasi inexpugnabile reputatum, quamdiu victualia non defuissent: ad quod respondentes dixerunt, quod ipsi, in turrium et portarum meniis ad deffensionem constituti, viderunt quod inter nobiles, qui cum eorum armis et vexillis ad fossata venerunt equestres, eciam venit eorum patronus sanctus Georgius, in albo dextrario sedens, suorum decoratus insigniis armorum, qui a dextrario descendens cum aliis fossata transvadavit et menia scandit : quod ipsi intuentes fuerunt facti quasi exanimes et adeo perterriti, quod omnes vires ad se deffendendum ipsis defuerunt, cogitantes intra se quod hoc erat signum vindicte Dei contra ipsorum dominum ducem, quia malam et injustam causam fovebant. Pro quo est sciendum, quod barones et nobiles, cum ad insultum equitaverunt et ad fossata descenderunt, fuerunt eorum insigniis armorum decorati, facientes ante se vexilla sua deferri : inter quos fuit Daniel de Bouchout super album equum sedens, indutus armorum suorum insigniis, que sunt armis sancti Georgii omnimodo consimilia, quem Anglici intuentes credebant ipsum sanctum Georgium fuisse.

Qualiter ante et post expugnacionem Branie nonnulla oppida ad obedienciam ducis Brabancie venerunt, et qualiter dux Glocestrie comiti Sancti Pauli bellum indixit. Cap. CCXII.

Obsidione ante oppidum Branie Comitis durante, antequam ipsum oppidum victricibus armis caperetur, ac post capcionem, destructionem et depopulacionem ipsius, nonnulla oppida Hannonie, duci Brabancie primo

rebellia, ad obedienciam ipsius redierunt, et precipue insigne oppidum Valenchinense. Et est sciendum, quod, licet aliqui nobiles duci Glocestrie adherentes contra predictum ducem Brabancie rebellarunt, nichilominus major, sanior et potencior pars nobilium semper ipsi domino duci Brabancie fideliter et obedienter adhesit. Et insuper nulla potest tergiversacione celari, quod, licet ipse dux Glocestrie, statim postquam predictum oppidum, sicut premittitur, captum fuerat et destructum, per certos suos heraldos prefato domino comiti Sancti Pauli bellum indici fecerat, de quo ipse et omnes Brabantini gavisi fuerunt, tamen non comparuit, quamvis post indictionem et insinuacionem hujusmodi ipse dominus comes Sancti Pauli cum suo exercitu per quatuor dies continuos adventum ipsius intrepide expectavit : qui tandem propter aëris intemperiem, pluvieque et nivis habundanciam cum suo exercitu ad patriam Brabancie feliciter et victoriose remeavit. Quos in recessu multi Anglici, qui se in Senogia tenebant, fuerunt secuti, sperantes exercitui Brabancie dampnum inferre : contra quos comes Sancti Pauli, qui posteriorem gardiam tenuit, cum certis nobilibus et oppidis Lovaniensi et Bruxellensi se diverterunt, cum ipsis Anglicis viriliter dimicantes, et in ipsis cum bombardis, vogelariis et sagittis intrepide trahentes. Anglici vero, videntes quod predicti comes et sui, animo ipsos Anglicos et alios ipsis adherentes fixis in campis expectandi, propter hoc in ordinem bellicum se posuerant, et ex campis versus Senogiam recesserunt. Comes autem post commodum recessum Anglicorum ad Brabanciam, ut premittitur, victoriose se duxit transferendum, quem si intemperies aëris, nivis atque pluvie non impedivisset, utique Anglicos apud Senogiam visitasset.

De quadam expedicione per nobiles Brabancie in Hannonia facta, et de ducis Glocestrie recessu ex eadem; et ob quam causam dominus dux Burgundie eundem ducem Glocestrie ad duellum evocavit. Cap. CCXIII.

Postquam vero memoratus dominus comes Sancti Pauli cum suo exercitu ad Brabanciam se retraxerat, et antequam dominus dux ex Hollandia ad Brabanciam remeaverat, nonnulli barones Brabancie, scilicet dominus Engelbertus de Engia, dominus de Rameru, de Tubeke et de la Folie,

Johannes dominus de Wesemale et dominus de Fallays, Johannes de Schoenvorst, burchgravius de Monyouw. dominus de Craendonck et de Diepenbeke, apud Nyvellam in unum congregati, manu armata ingredientes. ipsam cum mille et quingentis hominum equestrium pennatorum incendiis, cedibus et rapinis septem dierum spacio continue perlustrantes. nonnulla castra, villas et oppida domino duci Brabancie rebellia, victricibus armis ceperunt, et ad ipsius ducis obedienciam reduxerunt. taliterque se gesserunt quod prelibatus dux Glocestrie, bellicosos atque victoriosos Brabantinorum insultus sufferre non valens, derelicta ducissa et patria, unacum suis superstitibus in Anglicam remeavit.

Demum est sciendum, quod sepefatus dominus dux Burgundie partem sui consanguinei ducis Brabancie contra ducem Glocestrie tenebat. sibi auxilium et subsidium mittendo, signanter ex eo quod contemplacione sui acquievit suo consilio, acceptando supradictum tractatum concordie per eundem ducem Burgundie et ducem Bethfordie ordinatum : quem dux Glocestrie renuit apprehendere, sed, eodem tractatu pendente, clam et dolose Hannoniam intravit et de facto occupavit, de eadem predictum ducem Brabancie temere spoliando, judicio ecclesie non expectato. Et quia dominus dux Burgundie istam racionem scripsit suis capitaneis, quos cum gentibus armorum domino duci Brabancie in auxilium miserat, ipsis preterea districtius precipiendo, quod majori quo possent conamine contra ipsius ducis Brabancie inimicos et rebelles hostiliter insurgere, ipsosque expugnare et expellere studerent. quapropter ipse Glocestrie dux, premissa percipiens, certas literas direxit domino duci Burgundie, tantam et talem denigracionem sue fame et honoris in se continentes, quod eapropter ipse dominus dux Burgundie eundem ducem Glocestrie, in sua pertinaci opinione induratum, pro verificacione eorum que in favorem ducis Brabancie scripsit et mandavit, ad duellum evocavit seu appellavit. Quod duellum ipse dux Glocestrie acceptavit, prout in literis hincinde transmissis plenius dicitur contineri.

De reditu ducis Brabancie ex Hollandia in Brabanciam, et de bulla per papam sibi transmissa, necnon de ambaxiata per ipsum ad papam destinata. Cap. CCXIV.

Denique, postquam memoratus dux Brabancie in predictis suis patriis 1425.
Hollandie, Zelandie et Frisie de novo, post prelibati ducis Johannis in Bavaria decessum, cum magnis reverencia, obediencia et fidelitate receptus fuerat, ut premittitur, et cuncta in justicia et equitate bene disposuerat, ad patriam suam Brabanciam se duxit transferendum. Cui in eadem sua patria Brabancie existenti supervenerunt nova, qualiter nonnulli proscripti, profugi et rebelles in oppido suo de Schoenhoven in Hollandia constituto se retraxerunt, ipsum oppidum occupando. Ante quod idem dux per omnes incolas Hollandie, Zelandie et Frisie obsidionem poni jussit : ubi plus quam quindecim millia pennatorum, in campis ante ipsum oppidum cum apparatu bellico constituti, ipsum armis victricibus, profugis interfectis et expulsis, ad predicti domini ducis obedienciam subjugaverunt.

Et est sciendum, quod, sepefato domino Johanne duce Brabancie ex Hollandia et Zelandia in patriam suam Brabanciam reverso et in Antwerpia in monasterio Sancti Mychaëlis constituto, fuerunt sibi per dominum Everardum de Eyndoven, canonico Hoyensi, certe litere apostolice ex parte sanctissimi domini nostri, domini Martini divina providencia pape quinti, presentate, die penultima mensis aprilis, anno Domini M° CCCC° XXV°, quas idem dominus dux cum ea qua decuit reverencia recipiens, fecit aperiri atque legi : continentes in effectu, inter alia, qualiter ad ejusdem domini nostri pape aliquorum fide dignorum relacione pervenit audienciam, quasdam cedulas in partibus Hannonie et in Trajectensi, Leodiensi et Cameracensi dyocesibus divulgatas et publice lectas, et certas literas sub nomine et bulla suis populo ostensas fuisse, in quibus continebatur, ipsum dominum papam matrimonium per Humfridum ducem Glocestrie contractum cum domina Jacoba ducissa Bavarie confirmasse, et prius contractum matrimonium cum ipsa ducissa per Johannem ducem Brabancie predictum de sua voluntate reprobasse. Et, quia talia que de ipso papa in suum scandalum et calumpniam ac lesionem honoris ducis predicti dicta sunt et in illis partibus publicata, ab ipso domino papa nullatenus processerunt.

qui causam dicti matrimonii juxta disposicionem et formam juris voluit terminari, nobilitati dicti ducis notificari decrevit, ut nullam propterea de premissis molestiam vel rancorem in mente sua reciperet, sed firmiter teneret prefatas literas, et alia que per scandalosos homines in illis partibus dicta sunt et eciam publicata, ab ipso domino papa minime emanasse, sed ab aliis processisse, qui Deum pre oculis non habentes semper querunt novitates, dissensiones et scandala suscitare : prout in predictis literis plenius continetur, quarum tenor sequitur et est talis :

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro Johanni duci Brabancie, salutem et apostolicam benedictionem. Nuper ad audienciam nostram aliquorum fide dignorum relacione pervenit, quod displiciter audivimus, quasdam cedulas in partibus Hannonie et in Trajectensi, Leodiensi et Cameracensi dyocesibus divulgatas et publice lectas, et certas literas sub nomine et bulla nostris populo ostensas fuisse, in quibus inter cetera, sicut nobis asseritur, continebatur, nos matrimonium per dilectum filium, nobilem virum Hunfridum ducem Glocestrie, contractum cum dilecta in Christo filia, nobili muliere ducissa Bavarie, confirmasse, et prius contractum matrimonium cum ipsa ducissa per tuam voluntatem reprobasse seu invalidum censuisse. Et quia talia, que nobis in nostrum scandalum et calumpniam, ac lesionem honoris tui dicta sunt et in illis partibus publicata, a nobis nullatenus processerunt, qui causam dicti matrimonii juxta disposicionem et formam juris communis volumus terminari, nobilitati tue notificare decrevimus per presentes, ut nullam propterea de premissis molestiam vel rancorem in mente sua recipiat, sed firmiter teneat prefatas literas, et alia que per scandalosos homines in illis partibus dicta sunt et eciam publicata, a nobis minime emanasse, sed ab aliis processisse, qui Deum pre oculis non habentes semper querunt novitates, dissenciones et scandala suscitare. Ceterum, cupientes ut inventores talium scandalorum et falsitatum eciam pro honore nostro et sedis apostolice debite puniantur juxta commissi criminis gravitatem, scribimus venerabilibus fratribus nostris, Trajectensi, Leodiensi et Cameracensi episcopis, et eorum cuilibet per apostolica scripta mandamus, quatenus ad tollendum hujusmodi scandalum et calumpniam, ac ut rei veritas illucescat, literas nostras similis continencie et contenta in illis in eorum ecclesiis et publicis sermonibus ad populum faciant publicari, ac, omnibus modis de quibus

eis videbitur, illum qui tales literas confinxit seu publicavit aut legit, in eorum potestate habere procurent, et tamdiu faciant sub fida custodia detineri, donec a nobis aliud habuerit in mandatis. Datum Rome, apud sanctos apostolos Petrum et Paulum, ydibus februarii, pontificatus nostri anno VIII°. Nomen scriptoris Ste Garverii. »

De quibus literis apostolicis prelibatus dux Johannes ad statim fieri fecit transsumptum et instrumentum publicum, sub sigillis abbatis Sancti Mychaëlis Antwerpiensis et Beate Marie Middelburgensis ac capituli Beate Marie Antwerpiensis, signoque et subscripcione domini Johannis Fierkens, presbiteri Cameracensis dyocesis, publici auctoritate imperiali notarii. In quo instrumento tamquam testes sunt signati presentes : domicellus Engelbertus comes de Nassouw, dominus de Lecka et de Breda, domicellus Wilhelmus comes de Seyne, dominus de Rode Sancte Agathe, domicellus Johannes dominus de Wesemale et de Fallays, marescallus hereditarius ducatus Brabancie, dominus Johannes de Rotselaer, de Vorselaer et de Rethy, ac domicellus Johannes de Glimes, dominus de Bergis supra Zomam, de Grymberghe et de Melino, dicti domini ducis consiliarii, ac discreti viri domini Johannes Mychaëlis et Johannes de Sacco, presbiteri capituli Antwerpiensis.

Quod quidem transsumptum sive instrumentum prelibatus dominus dux mandavit publicari et insinuari in principalibus oppidis Hannonie, Hollandie, Zelandie et alibi ubi opus esset, et signanter in oppidis Montensi et Valenchinensi. Et quia nonnulli delatores et emuli dicti domini ducis Brabancie, prout devenit ad ipsius noticiam, missi fuerunt animum dicti domini nostri pape sinistris suggestionibus informare, asserentes dolose, ipsum dominum ducem, tamquam desidem seu de bono suo jure diffidentem, de predicta causa sua matrimoniali non curare, ipsamque tamquam desolatam et derelictam observare, potissime ex eo, quia pro deffensione seu prosecucione ejusdem nullam adhuc ambaxiatam notabilem curaverat destinare; pro tanto ipse dominus dux destinavit ad dictum dominum nostrum papam fratrem Johannem Kuyst, baccalaureum formatum in theologia, ordinis predicatorum, cum litera credencie, ad faciendum ejusdem domini ducis excusacionem de hoc quod in suorum solempnium missione ambaxiatorum tantum distulit et tardavit. Qui in sua credencia diceret et exponeret, quod vicibus diversis prelibatus dominus dux suos

notabiles et solempnes destinare proposuit ambaxiatores, sed propter diversos tractatus, quos illustres principes domini duces Burgundie et Bethfordie, sub spe pacis et concordie cum duce Glocestrie adversario suo formande, sibi proposuerant, dicti sui nuncii et ambaxiatores semper fuerunt prepediti et retardati. Supplicabit pro tanto dicto domino nostro pape, quatenus de tanta mora ipsum dominum ducem velit habere excusatum, talibusque delatoribus nullam deinceps fidem adhibere creditivam. Dicet insuper, quod ambaxiatores dicti domini ducis tempore sui recessus fuerunt parati, quodque ad hoc specialiter est premissus, ut de adventu eorumdem ambaxiatorum dictum dominum nostrum papam certificaret: qui de mente ac voluntate dicti domini ducis ac de singulis predictam causam concernentibus, necnon de hiis que novissimis diebus in comitatu Hannonie per ducem Glocestrie attemptata sunt et innovata, dictum dominum nostrum papam luculencius informabunt, quem ipse frater Johannes Kuyst de hiis que vidit et audivit eciam poterit informare. Supplicabit insuper dicto domino nostro pape, quatenus ipsum dominum ducem velit habere excusatum, pro eo quod religiosam personam tam parvi status juxta tante cause exigenciam transmisit: nam hoc fecit, quia religiosi fratres magis caute et secrete, propter imminencia viarum pericula, hodiernis diebus incedere possunt quam persone seculares vel mundane.

De obsidione per Johannem ducem Branbancie posita ante oppidum Montense in Hannonia, et de pace per ducem Burgundie facta in Duaco. Cap. CCXV.

1425 Anno Domini M° CCCC° XXV°, in mense maio, Johannes dux Brabancie sepe nominatus, convocatis ad se omnibus consiliariis suis, necnon comitibus, baronibus, militibus, et aliis nobilibus et vasallis patriarum suarum Brabancie, Lymburgis et Hannonie predictarum, ipsis proponi fecit quod in mente sua aliquamdiu concipiendo deliberavit, scilicet expedicionem profecturam cum valido exercitu equitum armatorum ingentique apparatu bellico in Hannoniam, ad oppidum Montense, quod sibi adhuc erat rebelle, in quo domina Jacoba ducissa cum nobilibus et adherentibus et sibi rebellibus se tenebat, circumvallandum et armis victricibus expugnandum, et

sic vincendo ad obedienciam suam reducendum. Quibus omnibus beneplacitum domini ducis votiva concordia et unanimi consensu approbantibus, atque, ut ipsa expedicio celerius proficisceretur, arctius insistentibus, dux, missis circumquaque nunciis pro hominibus armorum acquirendis, vinum, frumentum, oves et boves et omnium aliorum victualium genera, bombardas quoque et alia instrumenta bellica, ac omnia alia que tanto exercitui copiose sufficerent, preparari mandavit. Et ut in sua absencia patria sua Brabancia in pace et tranquillitate ac sub justicie regimine manuteneretur, instituit et ordinavit dilectos et fideles consiliarios suos, Wilhelmum comitem de Seyne, dominum de Rode Sancte Agathe, dominum Thomam de Diest et de Sichem, dominum Arnoldum de Crayenhem dominum de Grobbendonck, magistrum Cornelium Proper, prepositum Cameracensem, et Waltherum Van der Noet, ad residendum et tenendum cameram consilii in oppido suo Bruxellensi, intendendumque circa omnes causas ipsum et dictam patriam suam Brabancie quomodolibet concernentes, usque ad reditum suum ex Hannonia in Brabanciam.

Die vero XII[a] mensis maii predicti dux Johannes ex Bruxella recedens equitavit ad Nyvellam, ubi per tres dies mansit gentes suas armorum expectando, quas circumquaque fecit collocari. Deinde se transtulit ad oppidum de Roest, ubi pari modo homines armorum ibi affluentes circumquaque jussit collocari. Et de Roest cum predictis armorum gentibus equitavit ad Sanctum Dyonisium in Broequeroyen, ubi suo exercitu congregato, misit ex eodem aliquos, scilicet comitem de Penthevere, dominum comitem de Conversant et de Bryenna, dominum de Edinghen, dominum Engelbertum de Edinghen, dominum de Rameru, de Tubeka et de la Folie, Johannem de Schoenvorst, burchgravium de Monyouw, dominum de Craendonck et de Diepenbeke, et Johannem de Glimes, dominum de Bergis supra Zomam, de Grymberghe et Melino, cum magna copia bellatorum ad preoccupandum pontes et alios passus, ad transeundum difficiles, ne quis duci ibi venienti obstaret, necnon ad ipsum oppidum bombardas et aliarum machinarum genera adducere, ac oppidum, inimicos et rebelles expugnare possent. Qui illico a Sancto Dyonisio recedentes, ipsi injuncta ad actum producendum compleverunt, totamque regionem duci rebellem circumquaque vastando incendiis, cedibus et rapinis perlustrabant, nec erat qui vastantibus occurrere vel resistere auderet; catharactasque et

cannas plumbeas subterraneas, aquam fontium ad fontem in foro oppidi Montensis ducentes, frangentes et extrahentes totaliter destruxerunt.

Denique dominus dux, quos premiserat sequendo, cum validissimo exercitu profectus est versus oppidum Montense predictum, ante quod castris metatis, bombardis et aliis instrumentis bellicis locis convenientibus positis, ipsum oppidum expugnare et assultare die noctuque non cessarunt. Intranei vero, vicibus diversis ex eodem oppido prosilientes, magnum impetum fecerunt in Brabantinos, qui se viriliter deffendentes mirabiliter cum ipsis dimicarunt. Tandem hujusmodi obsidione durante, dominus dux Burgundie suos notabiles ambaxiatores ad predictum dominum Brabancie ducem destinavit, per quos ipsum instantissime requiri fecit, quatenus, omni excusacione cessante, sua propria in persona ad ipsum in suo oppido Duacensi venire non differret, ubi consiliarii domine Jacobe ducisse adesse deberent pleno mandato fulciti, id est pro pace et concordia per medium ipsius ducis Burgundie inter ipsos pertractanda. Dictus autem Brabancie dux, matura deliberacione prehabita, de sui consilio consilii ejusdem ducis peticioni acquiescens, predicto suo exercitu dimisso, cum capitaneis ac hominibus armorum et cunctis necessariis bene communito, cum aliquibus de suo consilio et gentibus, usque ad numerum quingentorum vel circiter, versus Duacum se duxit transferendum. Interim vero, quando dominus dux fuit in Duaco, capitanei et homines armorum, quos in exercitu suo ante Montes dimiserat, non cessarunt ipsum oppidum crebris incursibus oppugnare, turresque et menia bombardarum ictibus conquassare, et cum intraneis ex eodem prosilientibus diversos militares actus, ut in talibus moris est, viriliter exercere. Deinde vero, multis et diversis consiliis super hujusmodi materia prehabitis, fuit demum die prima mensis junii, anno M° CCCC° XXV° predicto, per et inter memoratos Burgundie et Brabancie duces concordatum et conclusum, prout habetur in cedula desuper confecta et per duos eorumdem dominorum ducum secretarios signata, cujus tenor sequitur in hec verba :

« Pour faire cesser la guerre qui est présentement au pays de Haynault, est avisé ce qui s'en suit :

» Premièrement, que dame Jaque de Bavière, dame héritière dudit pays, estant présentement en la ville de Mons, s'en pourra seurement venir en pays de monseigneur de Bourgogne, et illecques soubz sa main demourra

et se tenra, jusques à ce que en la court de Rome soit sentence donnée sur le procès estant en icelle court entre monseigneur de Brabant et madicte dame, ou que par la mort de l'un d'eulx ledit procès soit terminé. Et, pour soustenir cependant son estat, sera prinse une somme d'argent convenable sur les pays d'Haynault, Hollande et Zélande, tout sans préjudice dudit procès et de la cause pendante à ladicte court de Rome.

» Item, que monseigneur le duc de Brabant sera restitué à la possession dudit pays de Haynault, et en aura l'obéissance ainsi que à seigneur de pays appartient : laquelle possession et obéissance se prendront par mondit seigneur de Brabant, ou aultres que lui plaira à ce commettre, sans ce que par lui eulx soit faicte aucune pugnition, criminèle ou civile. Et icelles possession et obéissance ainsi prinses, mondit seigneur de Brabant commettra un seigneur notable, aggréable à monseigneur de Bourgogne, au gouvernement dudit pays de Haynault, qui aura puissance, de par mondit seigneur de Brabant, de mectre capitaines ès villes et forteresses du seigneur et aultres dudit pays de Haynault, se besoing est : lequel gouverneur promettra de bien et léalement garder ledit pays de Haynault, et les priviléges, franchises et libertés d'icelluy. Et durera ledit gouvernement jusques à ce que ledit procès sera décidé, ou que par la mort de mondict seigneur de Brabant ou de madicte dame icelluy procès sera terminé, pendant leqñel temps maditte dame doibt demourer ès pays de mondit seigneur de Bourgogne et desoubz sa main, comme dessus est dict. Et s'il advenoit que ledit gouverneur allaist de vie à trespas, ou ne fit bien son debvoir, ou qu'il se voulsist descharger dudit gouvernement, mondict seigneur de Brabant commectra ung aultre en son lieu, aggréable à mondict seigneur de Bourgogne.

» Item, que abolicion générale sera faicte audit pays de Haynault de touttes paines, criminèles et corporèles, et de touttes confiscacions des biens; mais, pour faire pugnicions civiles sur ceulx qui ont esté coulpables de nouvellitez, maulx et inconvéniens advenuz oudit pays de Haynault, seront commis de par mondit seigneur de Brabant quatre notables personnes, dont mondit seigneur de Bourgogne nommera les deux : lesquels quatre commis avecque le gouverneur s'infourmeront diligemment desditz coulpables, et seront lesdictes pugnicions civiles selon ce qu'il leur semblera expédient et raisonnable; et s'ilz trouvent que aucuns desditz en soyent à bannir hors le pays, faire le pourront. Et en cas aussi que aucuns

desditz délinquans s'absenteront dudit pays de Haynault, ou ne vouldroyent comparoir pardevant le gouverneur et commis dessusditz pour ester à droict, mondit seigneur de Brabant pourra faire punir et mectre leurs biens en sa main, pour en jouyr jusques à ce qu'ilz viendront ester à droict pardevant iceulx gouverneur et commis. Et est asçavoir que les deux desdictz commis, en l'absence ou pour l'occupatence des aultres deux, pouront besoigner ès choses dessusdictes avecques ledit gouverneur, pourveu touttefois qu'il y eust de ces deux un que mondict seigneur de Bourgogne aura nommé, et un des aultres.

» Faict, passé et accordé en la ville de Douay, le premier jour de juing l'an M CCCC XXV. Par mesdictz seigneurs les ducs de Bourgogne et de Brabant, présents pluseurs des messeigneurs de leur conseil : J. De Gand, J. Le Marchand. »

Deinde vero, die quarta mensis julii, anno Domini M° CCCC° XXV° predicto, memoratus dominus Brabancie dux fecit, commisit, statuit et ordinavit dominum Johannem de Lucemburch dominum de Beaurevour gubernatorem patrie sue Hannonie, juxta formam et continenciam cedule tractatus immediate prescripte, prout in commissione et patentibus desuper confectis literis plenius continetur.

Qualiter Johannes dux Brabancie in oppido Valenchinensi fuit receptus, et qualiter domina Jacoba ducissa fuit ducta ad Gandavum, et qualiter oppidum Montense ad ducis Johannis obedienciam fuit reductum. Cap. CCXVI.

Supradicto autem tractatu facto in Duaco et publicato, dux Johannes proficiscitur cum suis versus oppidum suum Valenchinense, ubi cum magna reverencia et solempnitate fuit receptus. Platee enim fuerunt floribus et herbis odoriferis resperse et cum preciosis pannis laneis desuper cooperte, et domorum parietes cum pannis ramisque et frondibus arborum adornati, et in multis locis domicelle in fenestris jacentes serta ex diversi generis floribus fragantibus per cordarum tractus super caput domini ducis et eciam majorum dominorum juxta ipsum equitantium emiserunt; virgines quoque et puelle serta quasi consimilia brachiis ducis

appenderunt. Et postquam in hospicio suo ab equo descendit, venerunt legislatores sibi preciosa jocalia presentantes; ubi cum suis permansit ad terciam diem. Qua die abinde recedens ante oppidum Montense ad exercitum suum predictum se duxit conferendum, ubi permansit quousque domina Jacoba ducissa ex oppido venit in manus commissariorum domini ducis Burgundie. Dum vero ipsa transivit per exercitum Brabancie, fuit ad ejus peticionem ducta penes domicellum Engelbertum comitem de Nassouw dominum de Lecka et de Breda, et dominum Heinricum de Lecka dominum de Hesewyck et de Dynter, quos obnixe voce lacrimabili deprecabatur, quatenus amore sui apud dominum ducem Brabancie ad hoc vellent instare et laborare, animum ipsius taliter informando, ut in aliquo ejusdem domini ducis oppido vel castro in Brabancie situato, ubi sibi melius placeret, stare posset in manibus suis permansura, ad finem quod non oporteret ipsam in manibus domini ducis Burgundie permanere. Sed non erat aliquis qui contra supradictum tractatum auderet suadere vel attemptare, et sic ipsa fuit per dicti domini ducis commissarios ducta versus Gandavum, ad manendum ibidem et statum suum ducendum juxta continenciam tractatus supradicti, ubi diu permansit: sed postea secrete abcessit et ad Hollandiam se transtulit.

Deinde vero, postquam dicta domina ducissa versus Gandavum fuit ducta, memoratus Johannes dux fecit possessionem dicti oppidi Montensis capi et apprehendi suo nomine per supranominatos dominum Engelbertum de Edinghen et Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, qui ab omnibus subditis, habitatoribus et incolis ejusdem ad opus dicti ducis Brabancie receperunt debita obediencie et fidelitatis juramenta. Quo facto, soluta obsidione, ad Brabanciam dux cum suis remeavit.

Et quia domina Hannonie vidua, genitrix domine Jacobe ducisse, domino duci adhuc permansit rebellis, idcirco idem dominus Brabancie dux fecit omnia bona sua racione dotalicii sive duwarii et alias quoquomodo sibi competencia in Hannonia, Hollandia et Zelandia arrestari et ad mensam suam poni, fecitque dominum Johannem de Lucemburgo in Hannonia suum gubernatorem, ut superius est scriptum. Ordinavit eciam sui ex parte dominum Petrum de Lucemburgo, comitem de Conversant et de Bryenna, dominum de Edinghen et Johannem de Schoenvorst, borchgravium de Monyouw, cum gubernatore et duobus aliis quos dominus dux

Burgundie duxerit deputandos, ad faciendum informaciones contra reos et culpabiles, et correctiones faciendas juxta continenciam tractatus facti in Duaco. Per quorum informaciones culpabiles fuerunt reperti dominus de Haverecht, dominus de Hyngi, dominus Wilhelmus et dominus Pintkardus de Herimez, fratres Lardenoes de Douscene et alii, qui ad statim fuerunt capti, et eorum bona in Hannonia constituta ad usum domini ducis arrestata et ad mensam suam posita. Bona vero, que aliqui habuerunt in Brabancia, erant tamquam confiscata domino duci applicata, quorum aliqua vendidit, et aliqua nobilibus suis in recompensacionem serviciorum dedit.

De ambaxiata per dominum ducem ad dominum nostrum papam transmissa. Cap. CCXVII.

1425 Anno Domini M° CCCC° XXV° prelibato, mensis junii die ultima, supradictus Johannes Brabancie dux, continuando et insequendo id quod sanctissimo domino nostro domino Martino pape quinto per fratrem Johannem Kuyst, baccalaureum in theologia ordinis predicatorum, alias intimaverat, transmisit reverendum in Christo patrem dominum Johannem de Liedekercke, episcopum Cameracensem et comitem Cameracesii, consanguineum suum, necnon nobiles, venerabiles et egregios viros dominos et magistros Johannem Ducis dominum de Morchoven, militem, Johannem Bont, officialem Cameracensem et in utroque jure licenciatum, Godefridum de Zichem, in legibus licenciatum, Beati Petri Bekensis, et Johannem Coreman, Beati Petri Anderlectensis ecclesiarum decanos, consiliarios, et Alardum de Wieringhen, baccalaureum in legibus, secretarium, suos fideles et dilectos, ad supradictum dominum nostrum papam necnon ad reverendissimos in Christo patres et dominos, dominos orthodoxum sacrosancte Romane ecclesie cardinalium collegium, cum literis suis credencialibus ac instructionibus requisitis et opportunis ad prosequendum causam matrimonialem coram reverendissimis in Christo patribus et dominis de Ursinis et Veneciarum cardinalibus inter ipsum, ex una, et predictam Jacobam ipsius uxorem legitimam, ex commissione apostolica indecise pendente, partibus ex altera. Deinde vero, quia ad predicti domini ducis, necnon trium statuum patrie sue Brabancie devenit noticiam, quod, licet predictus domi-

nus noster papa eidem domino duci per suas literas apostolicas, datas Rome apud sanctos apostolos, idibus februarii, pontificatus sui anno octavo, significavit, quod causam matrimonii supradictam secundum formam et disposicionem juris communis voluit terminari, quodque de post judicibus cause ejusdem mandavit, suspenso petitorio in possessorio procedere debere : qui visis et intellectis hujusmodi cause meritis, servatis servandis, declaraverunt secundum formam et disposicionem juris communis, scilicet in possessorio procedendo in eadem, nichilominus pars ipsi domino duci adversa, per fautores inordinatos quos conatur sibi attrahere, necnon per vias obliquas et sinistras ac per diversa et excogitata media, nititur dispensaciones apostolicas, quarum vigore matrimonium inter prefatos dominum ducem et ducissam extitit contractum, infringere et validitatem ipsarum offuscare, ac eciam, quod super possessorio et petitorio similiter procedatur, pertinaciter impetrare contendens, judicium et justiciam evertere, atque juris ordinem immutare.

Quare dominus dux et tres status supradicti predicto domino nostro pape humiliter supplicarunt, quatenus ipse prefate partis adverse suggestionibus, persuasionibus atque instanciis dilatoriis minus debitis sed importunis et injustis rejectis, taliter prospicere dignaretur et ordinare, quod causa ipsa in possessorio sine dilacione ulteriori atque mora diutiva celeriter expediatur, et juris ordo non immutetur in eadem, cum nichil juri consonancius, nichilque racionis equitati conveniencius existat, quam spoliato ante omnia restitucionis beneficio subveniri, ne propter morosum processum graviora scandala et guerrarum discrimina inter partes predictas luctuosius invalescant, quam jam, proch dolor! invaluerunt. Que utique, nisi Deus et sua sanctitas providerit, erunt verisimiliter eventura, et non minora quam, prout in decretis et cronicis legitur, invaluerunt in hiis partibus Lotharingie et Brabrancie propter scelus Lotharii regis, qui, repudiata Thietberga, uxore legitima, supraduxerat Waldradam : quapropter Theutgaudus Trevirensis et Guntharius Coloniensis archiepiscopi, tamquam ejus fautores, necnon violatores et contemptores excommunicacionis sentencie in Engeltrudam uxorem Bosonis prolate, quia proprium deseruerat maritum, et Wangerum suum vassallum[1] in Gallias secuta fuerat.

[1] Lege *amasium*. Vide tom. I part. 2 p. 229.

a dicta sede apostolica fuerunt depositi, degradati et a regimine episcopatuum privati et alienati. Qualem vero exitum hujusmodi pestiferi morbi pernicies attulerit, apostolico renuenti anthidoto mederi, quantaque regni et hujus patrie Lotharingie et Brabancie dispendia ex mortifera contagione illata fuerunt, vix calamus scribere posset : tanta enim strages in prefati regis Lotharii populo facta fuit, ut non peste periisse, sed hostili gladio corruisse virtus et nobilitas tocius regni videretur. Quapropter dominus dux et tres status predicti supradictum dominum nostrum papam obsecrarunt, per viscera misericordie domini nostri Jesu Christi eidem humillime supplicantes, quatenus eundem dominum ducem causamque suam propter patens jus suum in jure suo atque justicia recommissos suscipiens, hujusmodi scandalis et periculis obviare dignaretur, taliterque ordinare, quod causa hujusmodi secundum formam juris communis sentencie calculo canonice terminetur, prefataque ducissa per censuram ecclesiasticam coherceatur ut ad prefatum dominum ducem suum maritum redeat, ipsum tamquam propriam carnem foveat et diligat, et maritali affectione pertractet; fautores ejusdem, ut sibi amplius non adhereant, simili censura ecclesiastica percellantur : prout in dictorum ducis et trium statuum desuper confectis literis plenius continetur.

Qualiter dux Brabancie scribit pape pro celeri expedicione processus.
Cap. CCXVIII.

Subsequenter memoratus dominus dux ex intimacione reverendi in Christo patris domini Cameracensis episcopi et aliorum ambaxiatorum suorum, quos ad predictum dominum nostrum papam novissime destinavit, relatuque nonnullorum ex eisdem, qui ad ipsum redierunt, distinctius intellexit, qualiter idem dominus noster papa, ipsos benigne et hilari vultu recolligens, graciose audivit ea que sibi ex parte ejusdem domini ducis verbotenus explicarunt; quodque idem dominus noster papa, ad justas ipsius domini ducis preces per predictos ambaxiatores expositas favorabiliter inclinatus, diversis ac iteratis vicibus cause predicte precepit et mandavit, quatenus ipsam secundum formam et dispensacionem juris communis sine ulteriori dilacione terminarent. Unde idem dominus dux per

alias suas literas dicto domino pape humiles retulit graciarum actiones, aures ejusdem domini nostri pape consimilibus fatigatas iteratis precibus propulsando, supplicavit eidem humiliter et devote, quatenus favores, quibus intuitu juris et justicie personam atque causam suam predictas prosequeretur, prout constanter confidebat, solita firmitate confirmare dignaretur. Quanta vero scandala et guerrarum discrimina, cum multiplici personarum deletu, dispendiosa mora necnon dilaciones odiose habite super possessorio in prefata causa processus attulerunt, manifesta evidencia declarat; nam non sunt XV dies elapsi, quod plus quam tria millia tam armatorum quam sagittariorum, quos dux Glocestrie ad hostiliter invadendum et expugnandum comitatum Zelandie ex Anglia destinaverat, tam navali quam campestri bello, in ore gladii corruerunt. In quo quidem bello dux Burgundie, qui in hujusmodi bello propria adfuit in persona, victoriam reportavit. Quapropter prelibatus dominus dux Brabancie aures prefati domini nostri pape, consimilibus sepe fatigatas, iteratis precibus propulsando, supplicavit eidem humiliter et devote, quatenus taliter prospicere et ordinare dignaretur, ne graviora contingant inde, causa hujusmodi in possessorio per judices supradictos celeriter terminaretur, prout in predictis literis suis plenius continetur. Qui quidem judices juste et canonice in hujusmodi causa procedentes, servatis servandis, per eorum sentenciam pronunciaverunt, decreverunt et declaraverunt sub verborum tenore sequenti.

Tenor sentencie in causa matrimoniali super possessorio judicio prolate. Cap. CCXIX.

« In nomine Domini, amen. In causa matrimoniali super possessorio judicio coram nobis pendente inter illustres principes dominum Johannem Brabancie, ex una, et dominam Jacobam ducissam Bavarie, Hannonie, etc., comitissam, parte ex altera, auditis per utramque partem propositis et advocatorum allegacionibus, de jurisperitorum consilio, per hanc nostram sentenciam, quam pro tribunali sedentes ferimus in hiis scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus, prefatam dominam Jacobam a dicti domini Johannis ducis Brabancie consorcio et cohabitacione de facto et

indebite recessisse, ipsumque dominum ducem predictis servicio et conjugali debito spoliasse indebite et injuste; spoliacionemque et recessus hujusmodi fuisse indebitos et injustos; dictamque dominam Jacobam, que licet secundum predicta predicto domino duci restituenda foret, certis tamen ex causis racionalibus animum nostrum moventibus, nostra eciam sentencia pronunciamus, dercernimus et ordinamus sequestrandam fore, et sequestramus, ac ipsammet sub sequestro per illustrem principem dominum Amedeum ducem Sabaudie, eidem domine Jacobe secundo affinitatis gradu attinentem, quem sequestratorem quoad hoc constituimus et deputamus, honeste tenendam et conservandam esse, ipsius cum domine Jacobe sumptibus et expensis, usque et donec causa super federe matrimonii, examinato negocio et meritis cause discussis, fuerit per sentenciam determinata, et ejusdem sentencie judicati execucione canonice ordinatum. Lecta, lata et in scriptis promulgata fuit hec suprascripta sentencia in curia Romana per judices cause supradictos, die XXVII^a mensis januarii, anno Domini M° CCCC° XXV° supradicto. »

Dum vero dominus dux scivit sentenciam per suprascriptum modum latam fuisse, videlicet dominam Jacobam ducissam a suo consorcio de facto et indebite recessisse, ipsamque, que licet sibi et non alteri restituenda foret, certis tamen de causis fuisse ordinatum ipsam sequestrandam fore, et ipsammet sub sequestro per ducem Sabaudie tenendam et conservandam, fuit de hujusmodi sentencia in mente sua et consciencia bene pacificatus. Sed domina Jacoba nequaquam voluit venire in manus ducis Sabaudie, maluisset enim libencius in dicti domini ducis Brabancie manibus revenisse; sed dux noluit eam receptare, dicens se dominorum judicum judicato velle parere, et sic ipsa domina Jacoba apud Schoenhoven in Hollandia permansit.

Qualiter Romanorum et Hungarie rex scripsit tribus statibus Hannonie; et de novis qualiter dux Glocestrie proposuit cum potencia in Hannoniam reverti. Cap. CCXX.

Serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum rex semper Augustus, etc., audita morte quondam Johannis in Bavaria ducis, per suas

literas patentes mandavit tribus statibus Hannonie, attento quod per ejusdem Johannis ducis mortem terra Hannonie ad ipsum et sacrum Romanum imperium esset devoluta, quod neminem ad eandem admittant donec nuncii sui solempnes, quos ad ipsos destinare decrevit, ad ipsos venirent, quodque super premissis fidem adhiberent que Johannes de Bonaw servitor suus ipsis enarraret, prout in predictis literis lacius continetur, que fuerunt date in Treva, die jovis ante dominicam *Reminiscere* in quadragesima, regnorum suorum anno XXXVIII°, Romanorum XV°, Bohemie vero V°. Quas quidem literas predictas Johannes de Bonaw, scultetus imperialis civitatis de Geylenhusen, per alium nuncium ex civitate Aquensi transmisit oppido Valenchinensi cum sua litera clausa, in qua ipsum oppidum deprecabatur, quatenus supradicti Romanorum regis literas oppidis Hannonie ostendere vellet, et eidem domino regi desuper responsionem rescribere; prout in ejusdem Johannis litera clarius patet, que fuit data in civitate Aquensi, die veneris ante Penthecosten.

Anno Domini M° CCCC° XXV° supradicto, die vero VII^{a} mensis julii, dominus comes de Conversant et de Brienna, dominus de Edinghen, et Johannes de Schoenvorst, borchgravius de Monyouw, existentes in oppido Montensi, ad faciendum informacionem et correctionem, dicto domino duci literatorie intimaverunt, qualiter ibidem advenit quidam Anglicus, dicens se ex Anglia proscriptum et exbannitum fuisse, qui ipsis reportavit, affirmando sub pena capitis sui detruncacionis, quod regnum Anglie supradicto duci Glocestrie consenciit octingentorum millium solidorum aureorum precariam, et cum hoc, eorum expensis et stipendiis, viginti millia hominum armatorum et sagittariorum, ad vindicandum dedecus sibi per Brabantinos illatum in Hannonia, unde generaliter omnes Anglici majorem habuerunt displicenciam quam a quacunque alia causa que ipsis accidit a centum annis citra; quodque predictus Anglicus ipsis retulit quod rex Scocie affidaverat et in brevi matrimonium contrahere debet cum quadam nepte ducis Glocestrie, in cujus matrimonii tractatu erat conventum, quod ipse rex Scocie eidem duci Glocestrie mitteret in auxilium sue expedicionis in Hannonia fiende octo millia hominum, quodque pari modo haberet ex Irlandia hominum octo millia, necnon quod Anglici in Normannia constituti in ejusdem ducis Glocestrie subsidium venirent, quam cito perciperent ipsum mare transfretasse. Quorum quidem novorum consimilia

ipsi eciam audierant a mercatoribus qui ibidem ex Calesio affluxerant. Qua de causa ipsi predicto duci premissa innotuerunt, ut se desuper pro sui juris et honoris conservacione consultare posset et disponere. Qui incunctanter fecit oppida et castra circa metas patrie sue Hannonie situata gentibus armorum, victualibus et aliis necessariis communiri, misitque nuncios suos circumquaque pro hominibus armorum acquirendis, ad dicti ducis Glocestrie, si veniret ut proposuit, potencie resistendum et ipsum debellandum. Ad quod ipse eciam petiit auxilium et assistenciam a domino duce Burgundie supradicto, quod idem dominus dux sibi tempore opportuno liberaliter obtulit allaturum.

Qualiter Johannes dux Brabancie regimen patriarum Hollandie, Zelandie et Frisie commisit domino duci Burgundie per XII annos duraturum. Cap. CCXXI.

1425 Quia memoratus Johannes dux Brabancie clare perceperat, quod dux Glocestrie proposuit vi armata et manu potenti ex Anglia mare transfretare, ad se ulciscendum contra eundem ducem et patriam suam Brabancie de dedecore, vituperio atque multiplici dampno per eosdem sibi illatis, ipse Johannes dux, considerans multiplicia, quibus divine largitatis effluxu prefuit, principatus et dominia, tam ex hereditarie successionis devolucione quam racione matrimonii sibi pertinencia, commode non posse propria gubernare in persona, et signanter terras Hollandie, Zelandie et Frisie, ad utilitatem et profectum subditorum et incolarum earumdem, cupiens igitur indempnitatibus ipsorum salubriter providere, proposuit, de consilio et assensu domini Philippi comitis Sancti Pauli et de Leyneio, germani sui, necnon illustris principis domini Adolphi ducis Clivensis et spectabilium dominorum comitis de Conversant et de Brienna domini de Angia, domini Johannis de Lucemburgo domini de Beaurevoir et aliorum magnatum, suorum proximorum et consanguineorum, terras suas Hollandie, Zelandie et Frisie cum suis pertinenciis committere domino duci Burgundie supradicto, ad gubernandum, regendum et defendendum easdem, cui eciam jure successionis hereditarie devolvi deberent per obitum domine Jacobe ducisse Brabancie, si ipsam absque herede legitimo contigerit ab hac luce

migrare. Super certo tractatu prehabito fuerunt literarum minute projecte, et ad concludendum in materia hujusmodi fuit certa dieta ordinata in oppido de Denremonde desuper tenenda : ad quam dietam cum dicto domino duce deputati aliquorum oppidorum Brabancie venerunt, qui in dicto tractatu suum noluerunt adhibere consensum, nisi litere desuper conficiende reformarentur, ex eo quod in minuta ipsarum literarum, quam visitaverunt, dicte patrie Brabancie, de suo jure et interesse, quod habent in oppido Montis Sancte Gertrudis et de Hoesden, non esset bene provisum.

Et quidquid eisdem deputatis a predictis dominis dicebatur et consulebatur, ipsi tamen, ut litere secundum minutam quam viderant fierent et sigillarentur, consentire noluerunt, nisi prius copiam dicte minute ad tres status Brabancie reportassent; magister Cornelius Proper, prepositus Cameracensis, pro tunc sigillifer Brabancie, noluit eciam predictas literas sigillare, nisi tres status Brabancie predicti prius ad hoc suum consensum adhibuissent. Et sic causa super regimine predicto in dicta dieta non fuit sortita effectum; quare fuit una alia dieta desuper ordinata, tenenda in oppido Mechliniensi, in qua prepositus Cameracensis predictus noluit prenarratas literas absque speciali scitu et consensu predictorum trium statum Brabancie sigillare. Ob quam causam fuit ibidem de predicti Johannis ducis scitu unum novum sigillum sculptum atque factum, cum quo de ejusdem ducis Johannis voluntate et mandato sigillate et per Petrum de Dumo secretarium suum signo suo manuali signate, anno Domini M° CCCC° XXV° supradicto, mensis julii die XIX[a].

De bello in Brouwershaven in Zelandia inter dominum ducem Burgundie et Anglicos commisso. Cap. CCXXII.

Postquam domina Jacoba ducissa secrete recesserat ex Gandavo versus Hollandiam et se continue tenuerat in Schoenhoven, subtiliter traxit ad se et partem suam nonnullos nobiles et oppida in Hollandia et Zelandia. Dux autem Glocestrie, ex hiis novis cercioratus, proposito suo in Hannoniam proficiscendi mutato, ordinata classe transmisit dominum de Filwater cum magna armatorum et sagittariorum copia ex Anglia versus dictam dominam Jacobam, ut premittitur, in Hollandia existentem, ut cum ejusdem

domine Jacobe adherentibus et amicis domino duci Brabancie guerram moveret, ipsumque et sibi adherentes ex patria expelleret. Contigit autem quod eodem tempore domino duci Burgundie, tamquam regenti in Hollandia constituto, venerunt certa nova de adventu predicti domini de Filwater et de sui causa adventus, qui jam cum suis armatorum et sagittariorum copiis descenderat in Ziericzee. Quare dominus dux Burgundie ex parte predicti domini ducis Brabancie per totam terram Hollandie et Zelandie fecit preconizari et mandare, quod omnes arma ferre valentes ipsum tamquam regentem sequerentur cum apparatu bellico ad supradictos Anglicos debellandum, vires eorum extenuandas, andaciamque refrenandam. Qui incunctanter, valido navali exercitu congregato, versus Zelandiam profectus est contra Anglicos predictos, qui tunc descenderant apud Brouwershaven. Qui mox eidem domino duci per unum heraldum, Glocestrie nominatum, indicaverunt, si vellet cum ipsis in aliquo loco ibidem confligere, dominus de Filwater capitaneus eorum ad hoc concederet sibi locum et terram. Ad quod ipse dominus dux per heraldum Burgundie fecit ipsis responderi, videlicet quod eidem domino de Filwater non competeret eo tunc sibi locum ad debellandum offerre vel signare; quodque per Dei graciam esset satis potens pro sue libitu voluntatis campum sive locum capere, et ipsum, dum placeret, debellare, fecitque repente suos ex classe ad terram descendere. Et antequam due partes sui exercitus erant ad terram constitute, Anglici, qui jam aciem et alas belli ordinaverant, in ordinacione positi, dicto domino duci obviantes, ipsum bello aggrediuntur. Dux vero, suis strenuis exhortacionibus animatis, tamquam leo e contra in hostes viriliter irruit; clamor in celo tollitur, pugna summa virtute conseritur. Dux cum suis consertissimam hostium aciem irrumpit, et, veluti uberrime segetes procella tempestate deseviente posternuntur, ita Anglicorum exercitum cedit atque prosternit. Porro eodem bello adhuc invalescente, dominus Johannes Villyn[1], miles strenuus et robustus hominumque fortissimus, videns eundem dominum ducem agmine hostium circumdatum seque animose defendentem, mox in ipsos irruit intrepide, et sicut herba pratorum recisa ante acumen falcis cadit, ita hostes cedendo et prosternendo dominum ducem a periculo liberavit, qui tandem eadem die vic-

[1] Alias *Vylain.*

toriam reportavit: ubi ex parte sua in bello ceciderunt Jacobus de Borsel, et dominus Andreas de Villyn, miles valens et strenuus, quorum animabus misereatur Omnipotens; ex Anglicis vero plus quam tria millia hominum, tam armatorum quam sagittariorum, in ore gladii interierunt, reliquis captis vel submersis, et paucis fuga dilapsis. Dominus autem de Haemstede cum fere duobus millibus Zelandinis, quos ibi in auxilium Anglicorum contra predictum dominum ducem adduxerat, fuit cum majori parte suorum captus, reliquis occisis vel submersis. Heraldi vero, qui ibi ex parte Anglicorum fuerunt presentes, dixerunt in vera fide, quod Anglici ibidem jacentes interfecti fuerunt electi ex flore et valenciori parte capitaneorum et hominum armorum atque sagittariorum tocius regni Anglie. Quod quidem bellum fuit in Brauwershaven commissum, anno Domini Mº CCCCº XXVº, predicto mensis januarii die XIIIª.

De erectione generalis studii Lovaniensis. Cap. CCXXIII.

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster Martinus papa quintus, 1425.
quinto idus decembris, pontificatus sui anno nono, quod fuit die nona mensis decembris predicti, anno Domini Mº CCCCº XXVº, per suas literas apostolicas more Romane curie bullatas, ut literarum sciencia, Deo auctore, magis magisque et uberius refloreat, mentes, intellectus et corda devotorum irriguo suo fonte madescat, ac per eam morum, virtutum et devocionum copia multiplicentur, et tamquam in tellure compluta seminare fructum germinent speciosum, ad instantes et humillimas preces Sue Sanctitati repetitis vicibus pro parte illustris principis Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis sacrique imperii marchionis, necnon Hannonie, Hollandie, Zelandie comitis et Frisie domini, principis, inquam, catholici et reipublice atque communis boni auctoris incliti, suggestas, in oppido suo Lovaniensi Leodiensis diocesis ac sui ducatus Brabancie, loco, inquam, vinetis, pratis, rivulis, frugibus et fructibus ac aliis circa victualia necessariis referto, in aëris dulci et bona temperie situato, loco quidem spacioso et jucundo, et ubi mores burgensium sunt benigni, studium generale pie et ex sue miseracionis innata clemencia erexit, quod diversis libertatibus, exempcionibus et privilegiis ad aliorum generalium studiorum instar ful-

citum decoravit. Ad cujus quidem studii prosecucionem ac ipsius de cetero continuacionem de spectabilibus et egregiis doctoribus, licenciatis et magistris in omni literarum sciencia, preterquam in sacra theologia eruditis, sufficienter providit et provideri fecit. Qui siquidem doctores et licenciati et magistri lecturas suas, quilibet in sua facultate, et alios consuetos actus scolasticos secunda die mensis octobris proxime futura, que erit anno Domini M° CCCC° XXVI°, ad Dei laudem et honorem inchoabunt, de bono in melius, Deo propicio, prosperantes. Et ut tam pium tamque salubre principium laudabiliter inchoandum, Deo propicio, effectum consequi prosperum laudabilius valeat et votivum, ad quod doctores et magistros quoslibet et scolares hilariter invitavit, ipsos et eorum quemlibet ab omni injuria et violencia, dum opus fuerit, per ipsum et officiatos suos ubique suorum ducatuum, terrarum, dicionum, tam per terram quam per aquam, defensari curabit et tueri, ac ab oppidanis et incolis dicti sui Lovaniensis oppidi dulciter et amorose tractari, bannitis, proscriptis et fugitivis a suis Brabancie ducatu, Lovaniensi oppido, aut qui suis exigentibus demeritis et forefactis in corpore seu membris corrigi demeruerunt, semper exclusis.

Quod quidem generale studium sanctissimus dominus Eugenius papa quartus modernus, ad illustrissimi principis et domini nostri domini Philippi, Dei gracia Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, necnon Flandrie, etc., comitis, humilem precum instanciam, supradicta restrictione sublata, ipsius sacre theologie facultatis adjunctione ad orthodoxe fidei propagacionem, justis, sanctis et racionabilibus causis animum suum ad hoc moventibus, pie et sancte ex benignitate apostolica duxit postea misericorditer ampliandum. Quod siquidem studium, Deo adjuvante et cooperante, de spectabilibus et egregiis doctoribus, magistris, licenciatis, regentibus et stipendiatis, multitudineque scolarum et suppositorum in omni literarum sciencia adeo est radicatum et illustratum, quod nullum, ut fertur, per regna Germanie sibi queat equiparari. Subsequenter vero rector et universitas studii, burgimagistrique, scabini et consules oppidi Lovaniensis predictorum incorporaciones nonnullarum prebendarum et ecclesiarum a sede apostolica obtinuerunt, ad provisionem doctorum et magistrorum in eadem universitate regentium.

Preterea consulo omnibus harum parcium indigenis, doctrinarum jejunis et famelicis, ut ad predictum generale Lovaniense studium se diver-

tant : ibi utique invenient de quibus in facultate quacumque ipsorum aviditatibus satisfiet; ipsisque non erit opus occasione premissorum peregrinas et extraneas expetere naciones, et sic eciam viarum pericula et imminencia guerrarum discrimina poterunt evitare.

De exoneracione domini Johannis de Lucemburgo, et capcione prepositi Cameracensis; atque qualiter dominus dux Burgundie, rector sive gubernator Hollandie et Zelandie, oppidum de Zevenberghe obsedit et subjugavit. CAP. CCXXIV.

Anno Domini M° CCCC° XXVI°, circa principium mensis maii, Johannes dux Brabancie dimisit et exoneravit dominum Johannem de Lucemburgo de officio gubernatoris comitatus Hannonie. Deinde, die XIX^a^ mensis julii, magister Cornelius Proper, prepositus Cameracensis, sigillifer Brabancie, ex Bruxella equitans versus monasterium Viridis Vallis, fuit cum uno famulo captus in nemore Zonie a nonnullis hominibus armorum, propter defectum solucionis certe pecuniarum summe ipsis per ducem Johannem, ut asseruerunt, debite; qui ipsum extra Brabanciam duxerunt, et tandem post multa tormenta sibi illata rancionaverunt ad certam pecuniarum summam, quam dux Johannes fecit tandem per oppidum suum Bruxellense in defalcacionem taxe ejusdem de precaria sibi concessa persolvi. Subsequenter vero, die sexta mensis septembris anni predicti XXVI^i^, prefatus dux Johannes ex Bruxella recedens ivit versus Senogiam, ubi permansit usque ad diem decimam ejusdem mensis, qua die intravit primo oppidum Montense, ubi non fuerat, postquam intromiserunt ducem Glocestrie et contra ipsum rebellaverunt. Abinde idem dominus dux se transtulit versus Sanctum Gislenum, ubi permansit usque ad quintam diem mensis octobris, qua die recedens applicuit in Bruxella. 1426

Circa idem tempus domina Jacoba ducissa supradicta, residens in oppido suo de Schoenhoven, acquisivit pro parte sua oppidum de Gouda; in quibus duobus oppidis tenuit homines armorum stipendiatos, qui cum incolis eorundem duorum oppidorum, per terram et per aquam, alia oppida, villas et subditos patrie Hollandie de obediencia dicti ducis Johannis consistencia quotidie dampnificaverunt. Dominus vero de Sevenberghen, pre-

dicte domine Jacobe partem tenens, ex oppido suo de Sevenberghen aliorum oppidorum mercatores, transeuntes per aquam et negociaciones suas exquirentes, depredabatur, cepit et magnas pecuniarum summas extorsit ab eisdem.

Dominus vero dux Burgundie, cui dominus dux Brabancie patrias Hollandie et Zelandie commisit regendas et defendendas, premissa egre ferens et amplius ferre nolens, valido armatorum sagittariorum navali exercitu congregato, ante predictum oppidum de Sevenberghen obsidionem posuit per aquam, dominum de Sevenberghen et alios in oppido existentes taliter cohercendo et includendo, quod commode et sine magno periculo non poterant exire. Tandem, postquam prelibatus dux cum sua navali expedicione per longa tempora ibi se tenuerat, per medium aliquorum nobilium certis treugis ab utraque parte initis et concessis ad tenendum colloquium cum domino de Sevenberghen predicto, sub spe pacis consequende, dominus dux Burgundie ad tractandum cum eodem transmisit ad ipsum oppidum domicellum Jacobum dominum de Gaesbeke, de Opconde, de Putte et de Scryen et alios magnificos nobiles, qui tandem, post longum tractatum cum ipso habitum, sibi obtulerunt magnas pecuniarum summas, ut se inter dominum ducem et dominam Jacobam neutralem teneret, et se de guerra inter ipsos vigente non intromitteret, salvo si contingeret ipsos confligere publice vel bellare : quod tunc haberet opcionem se divertendi ad unam partem vel alteram, et bellandi cum parte sibi complacente. Qua quidem oblacione per ipsum dominum de Sevenberghen spreta et rejecta, treugisque exspiratis, dominus dux Burgundie fecit predictum oppidum magis ac magis coarctari et diversi generis machinis et bombardis die noctuque oppugnari et insultari. Tandem incole et habitatores predicti oppidi, perceptis oblacionibus predictis eorum domino factis, fuerunt de ipso pessime contenti, et signanter quia victualia ipsis deficere ceperunt, et, licet eidem domino de Sevenberghen de suis victualibus ad suam peticionem largiflue communicabant, nichilominus predictus eorum dominus de victualibus suis in castro suo pro se atque suis habundanter existentibus, ipsis in eorum necessitatibus dividere recusavit. Quare predicti habitatores et incole, certo tractatu prehabito, sese et oppidum predictum in manibus predicti domini Burgundie ducis reddiderunt, predicto eorum domino expulso, qui ex post vitam suam duxit et finivit in magna egestate usque ad mortem.

Et est verum, quod ipse dominus de Sevenberghen, non attendens verbum Psalmiste dicentis : « Nolite confidere in principibus, etc., » tam magnam spem et confidenciam habuit, quod dominus Sigismundus Romanorum et Hungarie rex ipsum, qui sibi vexillum concessit in castro suo erigendum, defendere et liberare deberet; sed spes sua conversa est in desolacionem : nam, licet ipse rex Romanorum per suas literas patentes scripserat et mandaverat nobilibus et oppidis Hollandie et aliarum terrarum vicinarum, ut sibi assisterent, ipsumque ac oppidum suum atque castrum, que ab ipso et imperio in feudum tenebat, defenderent contra dominum ducem Burgundie supradictum, nullam tamen armatorum potenciam, sed solum cartas et literas transmisit sine viribus et virtute, unde dicit versificator :

Imperium cartis, urbs verbis, vulvaque palmis
Si defensantur, sine viribus esse putantur.

De Johanne Chevalier, qualiter fuit captus, vita peremptus et quam ob causam. Cap. CCXXV.

Supra est satis declaratum, qualiter domina Hannonie vidua, genitrix 1426.
domine Jacobe ducisse, etc., ex eo quod post et contra tractatum pacis factum in Duaco inter eandem dominam Jacobam, ex una, et dominum Johannem Brabancie ducem, partibus ex altera, in rebellione permansit, per eundem ducem Johannem omnibus suis dotaliciis sive duwariis atque bonis in Hannonia et Hollandia constitutis fuit privata : unde ipsa domina vidua fuit de dicto duce Johanne pessime contenta.

Post hoc accidit, quod anno Domini M° CCCC° XXVI°, die veneris sexta mensis decembris, prelibatus dux Johannes Brabancie, more solito pergens venatum in nemore Sonie, fecit fodere prope Furam in certa terra speluncosa post dammam, theutonice *das*, gallice *tasson*, ubi ad ipsius ducis presenciam venit quidam nomine Johannes Chevalier, oriundus de Masfels in castellania de Ath, et secum quidam Peterkinus nomine, qui ad statim coram ipso duce Johanne fuerunt capti; sed Peterkinus mox per fugam se salvavit. Deinde fuit idem Johannes Chevalier de Fura ductus ad Bruxellam in curia ejusdem domini ducis apud Coudenbergh, ubi die

lune XVI[a] dicti mensis decembris, de sero inter octavam et nonam horas, idem Johannes Chevalier, existens in penu sive cellario ante puteum, fuit examinatus, et ab eo quesitum ob quam causam predictum dominum ducem secutus fuit in nemore, et a quo fuit ibi destinatus, et quis et unde esset ille socius, qui ibi secum venit et aufugit. Ad quod ipse Johannes respondit, quod fuerat captus in bello de Brouwershaven in Zelandia per dominum Johannem Villyn militem, a quo fuit exactionatus et rancionatus ad summam ducentarum coronarum aurearum, qui sibi dedit dilacionem et salvum conductum ad hujusmodi exactionem acquirendam : quapropter hereditatem suam vendiderat uni vocato Pierart Du Bois, servienti commoranti in Chievre; sed predicta sua pecunia fuit arrestata, ob quam causam ipse fuerat versus baillivum Hannonie et Symonem Nockaert in oppido Montensi, qui predictam suam pecuniam sibi facere deliberari recusavit; et ista de causa fuit dominum ducem prosecutus, sperans penes ipsum reperire dominum Johannem de Mera militem, cui supplicasset quatenus pro ipso apud predictum ducem intercessisset, ut predictam suam pecuniam habere potuisset ad solvendam suam exactionem. Et quantum de alio socio, nomine Peterkin, oriundo de terra Lymburgensi, dixit quod ipsum reperit itinerando, quem deprecabatur quatenus secum iret, pro eo quod scivit linguam et vias patrie.

Item fuit sibi dictum, quod oporteret ipsum dicere veritatem, quod libencius posset velle, quam quod permitteret se poni ad tormentum. Ipse eciam bene scivit, quod fuit inimicus domini ducis predicti, quomodo potuit esse tam audax ad presenciam ejusdem domini ducis predicti veniendi in nemore ubi venabatur, ad habendum graciam de pecunia sua predicta, quia, si adhuc tantum vel plus haberet, omnia essent forefacta et confiscata : utique ipse venit ibi propter alias causas. Deinde fuit ligatus super bancum sive scampnum, fuitque sibi dictum quod diceret veritatem. Ad que ipse respondit, quod dixit veritatem, et quod esset socius pauper, non fur neque latro, et, si nollent sibi credere in hiis que dixit, quod peterent a dicto domino Johanne Villyn, suo magistro, qui fuit penes ipsum apud Furam, et abinde ivit versus dominum ducem Burgundie ad impetrandum literas pro ipso, domino duci Brabancie dirigendas, ad finem quod predicte sue pecunie sibi plenarie deliberarentur ad solvendam exactionem predictam, quodque ipse dominus Johannes hic esset reversurus infra

unum vel duos dies. Dixitque postea, quod ipse neque alter socius non venerunt propter malam causam, quodque nullos cultellos super se habuerunt, rogans quatenus facerent ipsum decollare et expedire de vita, ipse indulgeret hoc domino duci et omnibus ibi astantibus.

Item fuit sibi replicatum, quod oporteret ipsum dicere meram veritatem, qua de causa ipse ibidem venit, et a quo fuit missus, quia de morte ipsius dominus dux nullum haberet profectum. Ad hoc respondit, ut supra immediate est scriptum, quod bonus reperietur, quod ipse neque socius ejus nullum penes se habuerunt cultellum, et istud dixit tribus vel quatuor vicibus, deprecans, sicut ante, quatenus velint sibi facere caput suum detruncari, quia bene scivit quod ipsum mori oporteret.

Item fuit sibi dictum, quod dominus dux voluit quod diceret puram veritatem et non aliud. Demum ipse deprecabatur, quatenus vellent ipsum de banco solvere sive disligare, et ipse diceret veritatem, et de magnis negociis sive causis. Et quando fuit deligatus, rogabat iterum, quatenus vellent ipsum de vita expedire. Dixitque postea, qualiter fuit diu captus sive prisionatus in Sterebeke, ubi fuit data dies sive dilacio eundi ad Cameracum versus fratrem suum, et eciam in Flandriam versus unum suum consanguineum. Et, postquam ipse fuit in Flandria penes dominum Johannem Villyn prelibatum pro diei sui prolongacione, ipse in Quarcino, id est Keynoit, ivit penes dominam viduam, que dixit, in presencia Lamberti de Binchio, quod ipsum oporteret ire in Brabanciam ad inquirendum de statu belli nepotis sui Brabancie; qualiter consuevit ire venatum, ad pedes vel equester, armatus vel non armatus, et cum quanta hominum multitudine: et quidquid inde scire poterit vel percipere, quod illud per predictum Peterkin sibi significaret, et ipse maneret apud Sterebeke penes uxorem domini Johannis Villyn. Ipse enim nunquam negocium sive rem tam invite fecisse se dicebat, ipse enim se excusavit pluribus vicibus; sed domina vidua noluit ipsum desuper supportare, sic quod oportuit ipsum vi compulsum premissa facere.

Item fuit ab ipso petitum, quid domina vidua pretendebat facere, quando sibi significaverit statum domini ducis predicti. Ad quod respondit quod nesciret, sed deprecabatur, propter Deum, quatenus ipsum vellent de vita expedire. Post hoc non fuit ab ipso illo sero plus interrogatum, quia casus erat nimis grandis pro illis qui ipsum examinaverunt.

Die martis XVII[a] predicti mensis decembris, circa decimam horam ante meridiem, fuit ab eodem Johanne Chevalier, tunc non ligato nec punito, quesitum, si maneret penes sua verba que dixit in sero precedenti, fuitque sibi dictum quod diceret veritatem et nichil aliud. Ad quod respondit, rogando propter Deum, quatenus vellent ipsum de vita sua expedire: quod si facere vellent, ipse diceret omnimodam veritatem. Ad quod fuit sibi dictum, quod de morte sua nullum esset domino duci proficuum, sed quod diceret meram veritatem, ad finem quod dominus dux posset scire ubi se haberet custodire. Tunc narravit, qualiter prelibata domina vidua per predictum Lambertum de Binchio pro ipso mandavit, et sibi precepit quod iret in Brabanciam, prout dictum est supra. Et cum hoc dixit sibi predicta vidua, quod predictus Peterkin iret secum: predicta vidua nichil aliud sibi pro tunc dixit, ubi nullus erat presens nisi Lambertus antedictus: qui quidem Lambertus dixit sibi, quod predictum dominum ducem bene caperet, et secum ad Quercinum duceret, si vellet. Ad quod ipse respondit, quomodo posset duci extra patriam; ad hoc oporteret quod essent plus quam de centum hominibus fortes. Ad hoc ipse Lambertus respondit, ipsi bene facerent, si scirent statum domini ducis supradicti.

Item fuit ab ipso quesitum, ubi descendissent in itinere, et si venissent pedestres vel equestres: et si ille tunc quando venit penes predictum dominum ducem, si aliqui homines plus erant supra predictum nemus pedestres vel equestres? Ad quod respondit, quod pro tunc non erant plures homines supra nemus predictum. Dixit insuper, quod supradictus Lambertus dixerat quod veniret pedester vel equester, quodque quatuor et quatuor incederent, unus post alterum, usque ad Namurcum et dehinc usque Wavere, qui se pariter congregarent juxta conceptum quem desuper facerent.

Item dixit ulterius quod Otto de Le Motte habuit unam torquem, id est *carkant*, que facta fuit in Anglia, quodque fuit missum in Angliam ad faciendum fieri adhuc unam aliam torquem, sed cui ipsam torquem imponere vellent, ignoravit.

Item postea dixit, quod infra oppidum Quarcinense essent centum et viginti socii pedestres, et inter XL et L equestres, stipendiarii ad custodiendam villam.

Item fuit sibi dictum, quod diceret veritatem, quia bene sciret aut bene scire posset, si dominus dux, quod Deus avertat, esset captus, quid de ipso

fieret. Ad quod respondit, quod dixerat veritatem. Ad hoc fuit sibi replicatum, quod illud quod dixit, bene posset esse verum, sed quod adhuc diceret illud quod sciret. Respondit, quod nichil aliud sciret, nisi quod dominus dux duceretur ad Quarcinum, rogando quatenus ipsum vellent de vita sua expedire.

Item fuit sibi quesitum de Peterkino; qui respondit quod ipse Peterkinus morabatur penes Ottonem de Le Motte vel cum preposito Quarcinensi.

Eadem die martis post prandium, circa quartam horam, in presencia consiliariorum domini duci Burgundie, scilicet magistri Philippi Mangaert, magistri requestarum curie, et Latini Conglant scutiferi, scutiferorum domini ducis Burgundie prelibati, ac domini de Bossuyt, Arnoldi Stamelaert de Uden, Egidii de Lestlateere et multorum aliorum, fuit a predicto Johanne Chevalier quesitum, ipso non ligato nec punito, per prelibatum magistrum Philippum, si maneret penes verba que dixerat ante prandium, et quod illa repeteret et diceret veritatem.

Item repetiit magis clare omnia negocia supradicta quam ante fecerat, et penes illa manebat. Et dixit ultra, quod predicta domina vidua sibi commisit illa que predixit ipso die Sancti Andree de vespere, quando debebat lavare manus et ire cenatum, ubi nullus erat presens preter Lambertum de Binchio. Dixit postea, quod idem Lambertus dixit sibi, si possent capere dominum ducem predictum, tunc domina bene rehaberet dotalicium sive duarium atque bona que dominus dux Brabancie detinebat, et illi qui sua amiserunt atque perdiderunt bene recuperarent sua, et domina esset eo melius expedita sive liberata a domino duce Burgundie in Hollandia. Item, quod predicta domina vidua miserat ad predictum dominum ducem Burgundie, ut fama currebat in Quarcino, ipsum deprecando, quatenus ipsam juvaret ut suum dotalicium vel duarium rehabere, vel sibi annuere quod se defendere posset. Dixit ulterius, quod ipsa acquisivit erga domicellum Everardum de Mercka, Didier de Scaufour et Wilhelmum de Corsinis, ad serviendum sibi cum quingentis equestribus.

Item fuit sibi quesitum, si illi deberent equitare sive currere contra patriam Hannonie. Ipse respondit, quod devenirent sive efficerentur inimici domini de Edinghen, comitis de Conversant, etc., domini Engelberti de Edinghen, domini de Bossuyt et domini de Vertaing atque domini Everardi de La Haye. Item fuit sibi iterum quesitum, si dominus dux esset captus.

duceretur in Angliam, et si non prediligerent magis ipsum interficere quam vivum dimittere, quia, si esset mortuus, domina vidua cicius vel melius rehaberet suum duarium, et dux Glocestrie dominam Jacobam et patrias Hollandie et Zelandie. Ad quod respondit, se dixisse veritatem et plus nescire, neque aliud quam quod captivus duceretur Quarcinum.

Item fuit sibi quesitum, si ipse et Peterkinus, socius suus, dominum ducem solum repperissent supra nemus predictum extra viam, quid sibi fecissent. Ad hoc respondit, quod sibi nichil aliud fecissent quam fecissent illis qui sibi hoc quesiverunt. Item dixit ulterius, qualiter bastardus de Solbruet, qui est capitaneus in villa de Quarcino super viginti quatuor socios, consuevit, omni sero et nocte, ire extra civitatem magis secrete quam fieri potest, versus Pottellos, ad sciendum si aliquis exiret, ad finem capiendi et eciam ad rehabendum municionem sive castellum de Pottellis, si possent. Dixit ultra, quod predictus bastardus et sui socii faciliter caperentur, si post ipsos insidie ponerentur de XXV vel XXX hominibus armorum, qui desuper essent avisati.

Item requisitus dixit, quod quidquid est suprascriptum, semper vellet dicere et testificari, eciam in Quarcino coram quocumque, si vellent ipsum illuc ducere, deprecans quatenus vellent vitam suam abbreviare. Et fuit ab ipso quesitum, quanta pecuniarum summa sibi fuit oblata, data vel promissa, vel quale officium vel alias pro ista causa. Respondit, quod nichil fuit sibi datum vel promissum. Item dixit postea, quod frater Johannis Granerii venit ex Hollandia, transiens per Mechliniam extra Bruxellam, qui reportavit et dixit predicte domine vidue totum statum de Hollandia.

Item die mercurii XVIII[a] mensis decembris supradicti, post prandium, prelibatus Johannes Chevalier recognovit et confessus fuit, coram tribus statibus Brabancie, quod omnia predicta essent talia sicuti heri ante et post prandium declaravit, et prout supra sunt scripta. Et dixit plus ultra, quando domina vidua sibi precepit quod iret in Brabanciam, de quo ipsum noluit deportare, quod tunc dixit sibi quod ipse, qui sui amore amisit atque perdidit omnia sua bona, adhuc corpus suum poneret in fortuna, quodque predicta domina fecit sibi dari unum equum, et similiter Peterkino unum, super quos equitaverunt usque ad Flerus, et abinde remiserunt equos suos usque ad Quarcinum, et sic iverunt pedestres usque ad Furam. Item quod Otto de Le Motte apportavit ex Hollandia de domina Jacoba ducissa domine

vidue sue genitrici unum annulum et unam petram sive lapidem in quadrato, et, dum ipsa domina vidua annulum vidit, tunc ad statim commisit Johanni Chevalier predicto, ut se se acceleraret versus Brabanciam.

Item et dixit postea, quod predictam torquem, alias *carkant*, libenter ponerent ad collum domini de Bossuyt, et quod ipsum multum odiebant, quodque sibi esset opus quod se bene custodiret, quia ipsum libenter caperent; sed si possent capere dominum de Edingen, ipsum non tenerent captivum. Dixitque ulterius, quod Lambertus de Binchio et alii fecerunt unum conceptum, post festivitatem Omnium Sanctorum, quando dominus de Edinghen erat apud Sanctum Gislenum, capiendi villam et eundem de Edinghen interficiendi. Et ad finem quod non defecissent, fecerunt quatuor magnas particas ferro preacutas ad frangendam cameram dicti domini de Edingen, in qua ipse erat, et si caperetur, exactio sua esset soluta. Item dixit ultra, quod ville de Quarcino et de Ath promiserunt una alteri, et eciam confirmarunt per suas literas patentes, quod invicem manerent, in casu guerre, penes dominam viduam supradictam.

Item die veneris XXX[a] predicti mensis decembris fuit injunctum supradicto Johanni Chevalier, quod diceret omnimodam veritatem, quod si predictus dominus dux fuisset captus, quod Deus avertat, quid fuisset de ipso factum? Respondit, quod scivit pro certo, quod fuit conclusum in consilio, quando ipse esset ductus in Quarcino, quod ab illo loco Brabantini ipsum non venirent quesitum, nec circumvallarent, quodque mandarent pro tabellionibus in Cameraco et aliis locis, coram quibus ipse dominus dux quitaret dominam et renunciaret patriis Hannonie, Hollandie et Zelandie, et quod ex tunc mandassent patrie Brabancie, quod, si ipsa patria voluerit promittere se ob causam prescriptam nunquam facere vindictam, sed ipsam dominam in pace dimitterent, quod tunc predictum dominum ducem sibi restituerent. Item dixit insuper, quod predicta domina Jacoba ducissa preceperat, quod dicto domino duci in sua persona nichil facerent.

Postquam supradictus Johannes Chevalier confessus fuit et recognovit omnia et singula suprascripta, fuit ductus de curia ducis ad portam Captivitatis dictam *de Steenpoorte*. Et licet dominus comes Sancti Pauli, frater ducis, et nonnulli alii nobiles libenter vidissent quod fuisset de corpore justiciatus, tamen pius dominus Johannes id pati noluit, dicens palam et publice, quod teneretur facere justiciam de illis qui aliis personis forefecis-

sent, si fuerit requisitus, sed quod iste Johannes Chevalier in personam suam peccavit, et sibi illud indulgeret propter Deum; speraret quod vice versa Deus eciam sua peccata sibi indulgere deberet, proponens firmiter quod ipsum faceret tenere captivum usque ad diem veneris sanctum tunc proxime venturum, qua die ipse in honorem passionis Domini Nostri Jhesu Christi eundem quitum et liberum dimittere vellet. Sed, heu proch dolor! sua pia intencione fuit frustratus; nam die jovis sancta, dictam diem veneris immediate precedente, ab hac luce migravit ad Dominum, ut infra patebit in proximo capitulo subsequente. Et sic ipse Johannes Chevalier mansit captivatus, donec prelibatus comes Sancti Pauli, predicto domino duci Johanni fratri suo succedens, ducatum Brabancie fuit adeptus: qui eundem Johannem Chevalier ante domum consulum in Bruxella per Walterum Pipenpoy, ammannum Bruxellensem, fecit decollari, et corpus in quatuor partes dividi, et ante quodlibet quatuor principalium oppidorum Brabancie, scilicet Lovaniensis, Bruxellensis, Antwerpiensis et Buscoducensis, unam partem ad furcas suspendi; sed caput ejus fuit, extra portam Bruxellensem qua itur versus Lovanium, penes unam quatuor parcium predictarum supra stipitem positum.

Qualiter dux Johannes Brabancie infirmabatur et obiit. Cap. CCXXVI.

1427. Anno Domini M° CCCC° XXVI°, die mercurii IX^{a} mensis aprilis, secundum stilum curie Cameracensis, dominus Johannes dux Brabancie et dominus comes Sancti Pauli, frater suus, a Bruxella recedentes perrexerunt versus oppidum Lyrense ad dietam trium statuum Brabancie per eundem ducem ibi ordinatam. Qua quidem dieta tenta et finita, dominus dux cum fratre suo, die sabbati XII^{a} aprilis predicti, post prandium versus Bruxellam equitavit: quem inter Vilvordiam et Bruxellam infirmitas magna arripuit, sic quod cum magna pena eadem die de sero Bruxellam intravit. Quem medici sui visitantes assidue penes ipsum manserunt, sibi medicinam necessariam ministrantes: cum qua infirmitate, que de die in diem magis magisque invaluit, mansit in lecto egritudinis usque ad diem jovis sanctam XVII^{am} mensis aprilis supradicti, qua die mane rogabat et hortabatur predictum fratrem suum, quatenus testamentum suum, quod antea cum magna dis-

crecione condiderat, adimplere vellet et execucioni debite demandare: qui eidem fratri suo promisit. Deinde, facta suorum peccatorum confessione, absolucioneque recepta, fecit coram se legi in sua camera tres missas, quibus auditis et finitis cum magna cordis contricione et devocione sacramentum corporis et sanguinis Domini Nostri Jhesu Christi necnon extremam unctionem percepit reverenter. Quibus peractis, mandavit domino Johanni de Rotselaer, de Vorselaer et de Rethi, ut nomine suo faceret mandatum, ut moris est, scilicet lavando pedes et abstergendo tredecim pauperum personarum, ipsisque cibaria ministraret et more solito pecuniam caritative exhiberet. Quo quidem mandato adhuc vix completo, ipse pius Johannes dux, positis brachiis et manibus super pectus suum ad modum crucis, incepit legere psalmum : « Miserere mei Deus, etc., » et antequam primum versum complere potuit, emisit spiritum: cujus anima cum Christo requiescat in pace. Amen. Cujus corpus exanime aromatibus conditum fuit positum in capella in predicta curia apud Coudenberghe existente, et ibi fuit reservatum usque ad diem martis in festis paschalibus, XXII^am^ supradicti mensis aprilis, anno Domini M° CCCC° XXVII°; dies enim Pasche fuit XX^a^ ejusdem mensis aprilis, qua die Pasche annus semper mutatur secundum stilum curie Cameracensis.

De exequiis et sepultura predicti quondam Johannis hujus nominis pii ducis quarti. Cap. CCXXVII.

Anno Domini M° CCCC° XXVII°, die vero martis XXII^a^ mensis aprilis supradicti, circa secundam horam post meridiem ejusdem diei, tribus statibus Brabancie ad hoc congregatis, fuit corpus exanime predicti quondam Johannis pii ducis, cum luctu et mesticia, merore et tristicia, planctuque et lamento tam cleri quam populi, et signanter sue familie, ex predicta sua curia cum debita solempnitate multisque torticiis [1] cereis et candelis, crucibus et vexillis, processionaliter transportatum ad ecclesiam Beate Gudile Bruxellensis, et positum in choro ibidem, ubi cum ceremoniis decentibus, vigiliis mortuorum decantatis, permansit usque ad crastinum.

[1] *Torticius* vel *tortisius*, fax, taeda; vernacule *toorts*.

que fuit dies mercurii XXIII[a] ejusdem mensis aprilis, qua die mane, summa missa et multis aliis bassis missis inter missam devote celebratis, fuit predictum corpus exanime ad ecclesiam Beati Johannis apud Furam transportatum, et ibidem, post vigiliarum mortuorum decantacionem, missarumque celebracionem, in choro ibidem juxta patrem suum atque matrem inhumatum. Cujus exequiis solempniter peractis, sumptaque cibi et potus refectione, dominus Philippus comes Sancti Pauli, germanus suus, dux Brabancie futurus, et plures abbates, comites, barones, milites et nobiles atque deputati bonorum oppidorum patrie Brabancie, qui hujusmodi exequiis interfuerunt, de Fura recedentes versus Bruxellam se transtulerunt, ubi predictus comes Sancti Pauli, dux futurus, permansit in curia sua apud Coudenberghe, mortem fratris sui, ut moris est, debite lacrymando, lugendo atque lamentando [1].

[1] Apud auctorem anonymum *Chronici ducum Brabantiae*, ab Antonio Matthaeo editum, iisdem fere verbis referuntur mors et exequiarum solemnia Joannis IV, ita ut ex hoc aliisque illius chronici locis deducere liceat, scriptorem plura deprompsisse ex Dyntero.

Attamen anonymus addit pag. 180 hocce Joannis IV elogium, quod apud Dynterum desideratur : « Et quia scriptum est : *Ne laudaveris hominem in vita sua*, quasi diceret : *Lauda post mortem, magnifica post consummationem,* illo potissimum tempore, quando nec laudantem notat adulatio, nec laudatum tentat elatio, idcirco laus istius juvenis ducis non est omnino tacenda, quia multas in se conditiones optimas habuit. Unde omnes homines et praecipue nobiles sibi exempla imitationis sumere possent, ut Deo valeant placere et christianissime mori, quemadmodum ipse defunctus est, quia qualis vita praecessit, talis solet communiter sequi finis. Rexit autem hic nobilis dux Brabantiam paulo plus XI annos, in quibus multa adversa pertulit, prout in praecedentibus dictum est, in omnibus tamen illis patiens valde fuit, Deum semper laudando et timendo, eique die ac nocte devote serviendo. Adeo etiam compatiens fuit pauperibus, largas eis eleëmosynas dando, ut eum communiter patrem pauperum vocarent. Etiam valde exstitit affabilis, benignus, mansuetus, et in omnibus valde compositus, dans audientiam et copiam sui tam pauperibus quam divitibus. Idcirco planxerunt eum valde subditi sui, et singulariter sui familiares, et insuper extranei. Cum Deo vivat in aeternum. Amen. »

Editor, plus aequo fortasse confidens iis qui partibus Jacobae de Bavaria addicti erant, notat anonymum Chronici auctorem praeter decorum fuisse nimium in laudando Joanne IV, cujus regimen pessimum, et qui, neglectis provinciis, querelis provincialium spretis, abjectis, rerum administratione commissa ineptis, indignis, venando se oblectabat, et postquam venando fessus in aulam fuisset redux, rebus sordidis se occupabat, et cudendo ferro dabat operam, velut faber ferrarius : unde Brabantiae Ordines velut prodigo, ne rem publicam dissiparet, ut coeperat jam passim, curatorem adjunxerunt et reipublicae protectorem Philippum comitem Sancti Pauli, ipsius fratrem, virum strenuum.

Qualiter Philippus hujus nominis primus dux Brabancie fuit intronizatus, et de ejus consilio et precaria sibi concessa. CAP. CCXXVIII.

Mortuo pio Johanne hujus nominis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis 1427
duce quarto sacrique imperii marchione, necnon Hannonie, Hollandie et Zelandie comite ac domino Frisie, successit sibi in ducatibus et marchionatu predictis germanus suus Philippus de Lyncio, comes Sancti Pauli, castellanus Insulensis et dominus de Fyenes. Qui, antequam fuerat ad dominium ducatus Brabancie tamquam dux et dominus intronizatus et receptus, convocatis tribus statibus Brabancie ad dietam in oppido suo Vilvordiensi, suorum preclare memorie predecessorum Brabancie ducum vestigiis inherendo, de novarum graciarum et privilegiorum concessione, antiquorumque innovacione et confirmacione, quemadmodum predicti sui predecessores in eorum primaria et jucunda receptione facere consueverunt, convenit et concordavit cum eisdem, prout in patentibus desuper confectis literis, communi patrie sue in suo jucundo adventu super hoc concessis, que date fuerunt in predicto suo oppido Vilvordiensi, die XXIII^a^ mensis maii, anno Domini M° CCCC° XXVII° predicto, plenarie continetur.

Deinde vero, die dominica XXV^a^ ejusdem mensis maii, idem Philippus hujus nominis dux Brabancie primus fuit in oppido Lovaniensi cum solempnitate debita et consueta in ducem intronizatus et receptus, et deinde in Bruxella, et consequenter in aliis oppidis Brabancie, in diebus ad hoc ordinatis.

Subsequenter idem dux Philippus notabiles et magnarum discrecionum et probitatum viros ad tenendum in sua curia cameram consilii in factis justicie reddende, necnon alios notabiles et magne auctoritatis viros in suos consiliarios, tam pro sue persone suique status curie quam tocius patrie Brabancie regimine, tuicione et administracione, in suos consiliarios duxit proinde constituendum et ordinandum, committens et injungens eisdem quatenus in omnibus agendis uterentur consilio Johannis de Schoenvorst, borchgravii de Monyouw, domini de Craendonck et Diepenbeke, in quem, prout asseruit, pre aliis spem et fiduciam gerebat pleniorem, ex eo quod inclite memorie quondam duci Anthonio, suo genitori, in omnibus factis et gestis suis, pace belloque, fideliter et constanter servivit. Instituit eciam

et ordinavit spectabilem et egregium utriusque juris doctorem, magistrum Johannem Bont, qui supradictis duci Anthonio, genitori suo, et Johanni duci Brabancie, suo fratri, hactenus laudabiliter servivit, in suum cancellarium Brabancie : prout in sue commissionis desuper confectis literis patentibus plenius dicitur contineri.

Tandem vero idem dux Philippus, de consilio Johannis de Schoenvorst, borchgravii de Monyouw, predicti, tribus statibus sue patrie Brabancie ad certam dietam congregatis, certam precariam sive subsidium de magna pecuniarum summa ab eisdem concedi petiit et requisivit, ob causas et raciones quas declarari fecit et exponi, et signanter pro castrorum, oppidorum, villarum et terrarum impignoratarum tuicione et redempcione atque suorum debitorum persolucione. Que quidem precaria, licet pro tunc in eadem dieta Vilvordiensi non habuit progressum, tamen in alia dieta super hoc in oppido Antwerpiensi tenta, fuit sibi per predictos tres status liberaliter concessa, videlicet usque ad summam trecentarum et viginti quinque millium coronarum Francie ad certos terminos persolvendarum, et juxta ordinacionem desuper factam convertendarum per manus quatuor personarum ex nobilibus et duarum ex oppidis ad hoc per predictos tres status eligendarum sive committendarum. Et fuerunt pro tunc ex nobilibus nominati : dominus Heinricus de Diest, dominus de Riparia et dominus Walterus de Kersbeke, dominus de Stalle et de Goetsenhoven; et ex oppidis Wilhelmus de Hersele in Bruxella, et Wilhelmus Noyts ex Antwerpia, prout in literis desuper confectis plenius continetur.

Qualiter dux Philippus fuit iratus contra quinque barones de suo consilio, et qualiter fuerunt reconciliati, et aliqui delatores ex familia fuerunt correcti. Cap. CCXXIX.

1428. Anno Domini M° CCCC° XXVIII°, immediate post festa paschalia, memoratus dux Philippus mandavit tribus statibus Brabancie, ut penes ipsum venirent ad dietam super certis arduis negociis pertractandis in oppido suo Lyrensi. Qua dieta finita atque tenta, idem dux misit dominum Nicholaum de Sancto Gaugerico, militem, consiliarium et cambellanum suum, et Theodoricum de Meingersreuwt, magistrum curie sue, et dominum comi-

tem de Conversant et de Brienna, dominum de Angia, Engelbertum comitem de Nassouw et de Vianden, dominum de Lecka et de Breda, Johannem dominum de Wesemale et Fallays, dominum Johannem de Rotselaer, de Vorsselaer et de Rethi, Johannem de Schoenvorst, burchgravium de Monyouw, dominum de Craendonck et de Diepenbeke : qui eisdem quinque dominis et baronibus ex parte ejusdem ducis Philippi exposuerunt certa negocia, per que ipsi intellexerunt eundem ducem Philippum eorum dominum erga ipsos magna ira graviter fore commotum, nescientes unde hujusmodi ira potuit habere ortum, atque dicentes ipsos non demeruisse nec ipsum in aliquo offendisse, unde adversus eosdem habere posset justam malignandi causam; nichilominus ipsius iram verentes, quia ipsorum dominus erat et princeps, subito ex oppido Lyrensi et ab oculis suis recedentes, ad lares proprios se duxerunt transferendum. Dux autem, ipsorum subitaneum recessum percipiens, majori ira accendebatur quam ante.

Deinde vero duo status temporales Brabancie humilibus eorum precibus obtinuerunt apud predictum dominum ducem, quod ipsis aperuit ire sue causam contra barones antedictos; qui illico, eorumdem baronum responsione desuper habita et recepta, necnon causis et racionibus utriusque partis hincinde bene intellectis, debita informacione de dicti domini ducis consensu desuper prius prehabita, perceperunt quod aliqui delatores atque detractores ex dicti domini ducis familia, qui ipsum erga eosdem sinistre informaverunt, erant in causa sue ire sive commocionis antedicte. Quapropter iidem duo status viis et mediis eundem dominum ducem taliter informarunt, et precibus eorum humilibus ad hoc induxerunt, quod, prelibatis quinque baronibus in suam graciam et benivolenciam receptis, ipsis regimen et administracionem sui ipsius suique status hospicii, necnon tocius patrie sue Brabancie totaliter commisit fideliter gubernandum, ipsosque deinceps majori quam ante prosecutus est favore et amore.

Quibus peractis, prelibati duo status, vigore commissionis atque potestatis ipsis per predictum dominum ducem super hoc concesse et attribute, in oppido de Herentals ad infrascripta peragenda congregati, sex personas ex familia et servitoribus domini ducis, quas, vocatis vocandis ac auditis audiendis, servatisque servandis, in facto hujusmodi culpabiles repererunt de eorum sinistris informacionibus, detractionibus et delacionibus iniquis et injustis, magnis correctionibus atque penis affecerunt. Hanc

autem correctionem fecerunt, ut ceteris cedat in exemplum se de cetero precavendi, ne tales sinistras informaciones, que in probrum fame et honoris denegacionem cedere possent, eorum principi et domino amplius reportent, per que eciam eundem ipsorum dominum adversus suos fideles et innoxios ad iracundiam provocare possent.

De discordia orta inter dominum Philippum Brabancie ducem predictum et Arnoldum ducem Gelrie et Juliacensem. Cap. CCXXX.

Est verum, quod juxta tractatum pacis, dudum per Philippum regem Francorum pronunciate inter Johannem hujus nominis tercium ducem Brabancie, ex una parte, et Reynaldum ducem Gelrie, ex altera, idem Johannes dux Brabancie dedit filiam suam juniorem, Mariam nomine, Reynaldo, dicti Reynaldi ducis Gelrie filio seniori, legitimam in uxorem, et cum ea summam LXX millium regalium cugni regis Francorum predicti, cum tali condicione quod, si predictos Reynaldum et dominam Mariam nulla relicta prole ex eorum corporibus procreata decedere contingeret, quod tunc ejusdem Reynaldi heredes et successores ipsius domine Marie heredibus et successoribus supradictam pecunie summam solvere et restituere tenerentur, prout in predictorum Francorum regis atque ducis Reynaldi desuper confectis literis plenius dicitur contineri. Et quia predictus dominus Reynaldus et domina decesserunt nulla prole relicta, ideo ipse dominus dux Philippus, tamquam heres legitimus Marie prelibate, petiit a predicto domino Arnoldo duce Gelrie, tamquam prefati domini Reynaldi successore et herede, predictam pecuniarum summam sibi dari et persolvi. Ad quod ipse dux Arnoldus fecit responderi, quod ipsa domina Maria ultra multos annos fuit mortua, presumendo, si heredibus suis aliqua pecunia fuisset debita, utique ipsi illud debitum petendi tamdiu non tacuissent. Ob quam causam multe diete fuerunt inter ipsos tente locis et temporibus diversis. Dux autem Philippus, attendens quod per vias amicabiles jus sibi quesitum acquirere nequivit, proposuit illud prosequi vi et potencia armata. Quapropter requisivit patriam suam Brabancie, quatenus sibi ad hoc assistenciam facerent necessariam.

Circa idem tempus viguit magna guerra inter Rodolphum de Diepholt.

postulatum, et patriam suam Trajectensem, ex una, et ducem Arnoldum et patriam suam Gelric, partibus ex altera : quare idem postulatus instetit habere ligam et confederacionem cum domino duce Philippo et patria sua Brabancie, ad finem ut per hoc Gelrenses terrere posset, noluit enim aliquod servicium vel assistenciam habere a duce et patria Brabancie, dempto quod, si dux esset talis animi, quod obsidionem ponere vellet ante castrum de Oy [1] a parte versus Brabanciam, quod ad ipsum de jure spectare deberet, ipse postulatus obtulit illud cum suis ab alia parte obsidere, et, si illud expugnare posset, dicto domino duci permanere deberet. Obtulit eciam, si dominus dux modo premisso ante Oyen obsidionem poneret, quod tunc vellet cum suis Novimagium ab utraque parte circumvallare.

Dux autem Gelric, premissa percipiens, se transtulit versus dominum Burgundie ducem, cujus neptem, scilicet sororis sue ducisse Clevensis filiam, habet in uxorem, sibi predicta significando. Quare idem dux Burgundie, nolens aliquam guerram moveri inter cognatum suum Brabancie et affinem suum Gelrie duces, tam per literas quam per nuncios tantum fecit, quod inter predictos duces certe treuge fuerunt facte, per certum temporis spacium durature, infra quod ipsi tres duces ad dictam amicabilem convenire deberent in oppido Mechliniensi : ubi predictus dominus Burgundie dux eosdem Brabancie et Gelrie duces auditis racionibus hincinde concordare sperabat, si bono modo posset. Et sic causa hujusmodi indecisa permansit, et adhuc manet in suspenso usque ad diem presentem.

De sentencia pro domino Johanne duce Brabancie, et contra dominam Jacobam ducissam, etc., post ejusdem quondam Johannis obitum in curia Romana promulgata. Cap. CCXXXI.

Item est sciendum, quod, non diu post predicti quondam Johannis ducis Brabancie obitum, dominus Philippus dux Brabancie, germanus suus, pro ejusdem quondam Johannis, fratris sui, juris et honoris conservacione, causam matrimonialem inter ipsum quondam fratrem suum, ex una parte, et dominam Jacobam ducissam, etc., ex altera, in curia Romana ventilatam,

[1] Seu *Oyen.*

adhuc indecise pendentem, ad se assumens, suos certos procuratores constituit in forma debita, cum plenaria potestate causam hujusmodi in dicta curia coram judicibus ad hoc commissis defendendi et usque ad sentenciam inclusive prosequendi, prout in suis procuracionum literis desuper confectis lacius continetur. Qui quidem procuratores negocium procuracionis hujusmodi in se assumentes, taliter fuerunt prosecuti, quod tandem sentencia inter partes predictas fuit per reverendissimos in Christo patres et dominos, dominos cardinales Bononiensem et Sancti Petri ad Vincula Rome, in palacio apostolico apud Sanctos Apostolos, pro predicto quondam domino duce Johanne et contra prefatam dominam ducissam promulgata, die veneris nona mensis januarii, anno Domini M° CCCC° XXVIII°.

Tenor vero predicte sentencie sequitur de verbo in verbum et est talis :

« Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum pre oculis habentes, de jurisperitorum consilio, per hanc nostram diffinitivam sentenciam, quam eciam ex officio ferimus in hiis scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus matrimonium inter prefatos illustres principes, dominum quondam Johannem ducem Brabancie et dominam Jacobam in Bavaria ducissam, mediante sufficienti et solida dispensacione apostolica in actis cause hujusmodi producta et in vim hujusmodi dispensacionis contractum, fuisse legitimum et canonicum ac legitime contractum et solempnizatum, non obstantibus pretensis impedimentis antedictis, ipsamque dominam Jacobam fuisse prefati quondam domini Johannis ducis, dum viveret, usque ad ejus obitum legitimam conjugem et uxorem, ac inter eosdem usque ad obitum predictum verum et legitimum matrimonium fuisse et durasse, dicteque ducisse Jacobe ab eodem domino Johanne marito suo legitimo, dum viveret, ejusque consorcio et cohabitacione recedere, sibique post dictum matrimonium cum eodem domino Johanne duce, ut prefertur, contractum, ipso domino Johanne vivente, cum quocumque alio aliud matrimonium contrahere minime licuisse neque licitum fuisse, recessumque ejusdem domine Jacobe a prefato domino Johanne duce ejusque consorcio et cohabitacione predictis fuisse illicitum et injustum ac de facto presumptum, necnon pretensum matrimonium, si quod ipsa domina Jacoba dicto domino Johanne duce, marito suo, vivente, cum quovis alio contraxerit, fuisse et esse nullum et invalidum, nulliusque roboris vel momenti; opposicionesque, molestaciones, vexaciones, pertur-

baciones et impedimenta eidem quondam domino Johanni duci per dictam dominam Jacobam ducissam super pretensa nullitate et divorcio predictis eorum occasione prestita fuisse et esse illicita et injusta ac de facto presumpta, et super illis ac nullitate et divorcio predictis eidem domine Jacobe perpetuum silencium imponendum fore et imponimus. »

De destitucione et institucione cancellarii Brabancie, et de dissensione exorta inter episcopum Leodiensem et comitem de Vernenborch, qui via pignoris tenuit castrum, oppidum et terram Lymburgensem. Cap. CCXXXII.

Anno Domini M° CCCC° XXIX°, die vero martis XIX^a^ mensis julii, venerabilis magister Johannes Bont, utriusque juris doctor, quem dux Philippus, certis causis et racionibus animum suum ad hoc moventibus, ab officio cancellariatus Brabancie, quod tempore suo laudabiliter rexit, deposuerat, constitutus Lovanii coram tribus statibus ducatus Brabancie in domo consulum congregatis, fuit per eosdem a juramento et promissione in predicti officii institucione et sigilli acceptacione ipsis, ad opus communis patrie Brabancie, factis et prestitis liber, quitus et absolutus. Quo facto, idem magister Johannes Bont, dudum Brabancie cancellarius, magnum sigillum cum parvo ac contra-sigillis exhibuit atque tradidit in manibus trium statuum predictorum ad opus domini ducis supradicti. Que quidem sigilla idem dominus dux die sequenti, scilicet mercurii XX^a^ ejusdem mensis julii, in predictorum trium statuum in dicta domo consulum existencium presencia, tradidit magistro Gilleno de Sarco [1], decano ecclesie Sancti Dyonisii Leodiensis, ex terra gallica Brabancie oriundo, ipsum in suum cancellarium Brabancie instituendo, qui ad statim, facto prius suo juramento debito et requisito, in eorumdem trium statuum presencia, fecit de dicti domini ducis licencia in eisdem sigillis certum signum insculpi et imponi. Iste magister Gillenus, nunc cancellarius Brabancie, qui antea fuit cancellarius Leodiensis, studuit et ad hoc dedit operam sibi possibilem, dominos ducem et episcopum et patrias eorum Brabancie et Leodiensem mutuo tenere in pace, tranquillitate, unione et amore. Per medium eciam 1429

[1] Lege *Joanni Gisleno de Sarto.*

ipsius fuerunt predicti duo domini dux et episcopus specialis dilectionis favore uniti et colligati.

Denique contigit, quod ex patria Lymburgensi sive per ipsam patrie et subditis Leodiensibus multa dampna fuerunt illata, quod factum Leodienses imputaverunt domino comiti de Vernenborch, scilicet quod ipse velatis oculis hujusmodi dampna per terram Lymburgensem ipsis inferri permisisset. Et quia ipse comes predictam terram Lymburgensem pro magna pecunie quantitate via pignoris in manu sua tenebat obligatam, proponebant impignoracionem suam hujusmodi vi et potencia armata ex manibus suis extorquere. Comes autem intrepide Leodiensibus resistere proponens et se deffendere, castro et oppido Lymburgensi hominibus armorum, victualibus et diversorum generum machinis bellicis, ut melius potuit, communitis, predictum dominum Philippum ducem Brabancie, tamquam suum dominum, a quo predicta castrum et oppidum atque terram Lymburgensem tenebat et regebat, via pignoris sibi obligata, adivit, ipsius auxilium et consilium et assistenciam humiliter implorando. Leodienses vero e contra eundem dominum ducem requirebant, exactissime deprecantes ne predicto de Vernenborch aliquam assistenciam adferret, quia ipsi solum et dumtaxat sibi aufferre volebant jus impignoracionis sue, sine aliqua lesione et injuria ipsi domino duci inferenda; super quo se obtulerunt suas literas dare patentes, atque ad beneplacitum domini ducis bonam atque firmam caucionem prestare. Dominus autem dux, auditis et intellectis instanciis et intencionibus utriusque parcium predictarum, cupiens futuris periculis obviare, fecit per religiosum, nobiles et venerabilem viros, fratrem Emondum de Ennichoven, magistrum de Chantrain ordinis Sancti Johannis Jerusalem, dominum Johannem dominum de Dongelberge et magistrum Gillenum, cancellarium suum predictum, ad hoc speciale mandatum ab ipso habentes, prescripta castrum et oppidum Lymburgense in manibus suis poni et recipi, amoto et deposito ab eisdem domino comite supradicto atque domino Andrea de Merode, domino de Vranckenberch, milite ejus locum tenente. Quo facto, idem dominus dux post paucos dies instituit et ordinavit Heinricum de Grousselt [1] et de Ringberghen suum borchgravium et senescallum castri, oppidi atque terre Lymburgensis, prout in sue com-

[1] Seu *Gronsfelt*.

missionis desuper confectis literis patentibus dicitur contineri. Et sic Leodienses non habuerunt predictum comitem a sua impignoracione ammovere.

De guerra inter Leodienses, ex una parte, et Namurcenses, ex altera, ad quam pacificandam dominus dux et patria sua Brabancia suas interposuerunt partes. Cap. CCXXXIII.

Orta est magnarum guerrarum commocio inter episcopum et terram suam Leodiensem, ex una parte, et terram Namurcensem, ex altera, occasione nonnullarum villarum campestrium, quas comites Namurcenses hactenus per plures annos habuerunt et pacifice possederunt : quas quidem villas Leodienses dixerunt ad ecclesiam et patriam Leodiensem spectare debere. Et est sciendum, quod post domini Johannis quondam ultimi Namurcensis comitis obitum terra Namurcensis integre devoluta fuit ad illustrissimum principem et dominum Philippum ducem Burgundie, qui eandem terram erga predictum Johannem quondam ultimum comitem per modum empcionis acquisiverat, salvo suo jure. Quidquid autem predictus quondam dominus Johannes comes et sui predecessores per tot annos in eorum manibus pacifice tenuerunt, et Leodienses ipsis frui et gaudere permiserunt, hoc totum dominus dux Burgundie predictus intendebat retinere et sine diminucione observare. Deinde vero predictus Leodiensis episcopus sueque patrie Leodiensis et Lossensis, validissimo exercitu et magna armorum copia terram Namurcensem intrantes, Polenathe[1] et alia castra et municiones armis et ingeniis bellicis expugnaverunt, destruxerunt et ad solum projecerunt. Interim dominus dux Burgundie, qui propter guerras tunc in Francia inter Francos et Anglicos vigentes ad resistendum Leodiensibus in propria persona vacare nequivit, transmisit in oppidum suum Namurcense dominum de Croy, capitaneum in factis bellicis expertissimum, cum militibus et gentibus armorum : qui ex eodem oppido diversis vicibus prosilientes, patriam Leodiensem in confinibus sine misericordia depopulantes, incendiis, cedibus et rapinis perlustrarunt. Homines eciam armorum arbalistariorum, quos oppidum Trajec-

[1] *Poilevache.*

tense dicto episcopo transmiserat, antequam ad Leodiensium exercitum venirent, in itinere debellarunt et victoriose prostraverunt, ceperunt et occiderunt, quorum pauci evaserunt. Denuo Leodienses et Lossenses oppidum de Bovines circumvallantes, ipsum fortiter expugnaverunt et insultaverunt cum diversis tormentorum ingeniis : nam aliquando creberrimi jactus saxorum quassaverunt turres et menia, necnon aries ferrati frontis impegit portas et antemuralia. Intranei vero, se viriliter deffendentes, tandem aprum et homines infra machinam ipsius existentes igne greco immisso concremaverunt, et Leodienses atque Lossenses ab insultu recedentes, oppidum Bovines inexpugnatum dimiserunt. Tandem memoratus dominus Brabancie dux et tres status patrie sue, attenta proximitate sanguinis inter eundem Brabancie et Burgundie duces, necnon considerata bona vicinitate, amore et dilectione inter predictas Brabancie et Leodiensem patrias existente, ad pacificandum partes predictas suas interposuerunt vices. Quod quia votive adimplere nequiverunt, tractaverunt inter easdem partes certas treugas, sive guerrarum abstinenciam, per certum termini spacium duraturas, quo pendente termino sperabant aliquid boni ad complementum pacis possetenus pertractare.

De tractatu matrimonii habito inter predictum dominum Philippum ducem Brabancie et inclitissimam dominam Yolentam, clare memorie Ludovici Jherusalem et Sicilie regis filiam regineque Francie sororem. Cap. CCXXXIV.

Memoratus dominus Philippus, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux sacrique imperii marchio, necnon de Lyneio et Sancti Pauli comes, cupiens cum inclitissima domicella, preclare memorie domini Ludovici quondam Jherusalem et Sicilie regis filia, serenissimeque principisse domine Francorum regine sorore, matrimonialiter copulari, de suorum dominorum proximorum, consanguineorum et amicorum necnon de suarum patriarum et dicionum consilio et assensu, ex evidentibus et ad id urgentibus causis, et signanter pro pace et tranquillitate in regno Francie, gracia concurrente divina, celerius consequendis, et ut inter parentes et amicos utriusque affectionis mutue vigor per amplius invalescat, nobiles et strenuos viros, dominos Johannem dominum de Rotselaer, de Vorselaer

et Rethy baronem, senescallum Brabancie, et Conradum de Schoenvorst dominum de Elsloet et de Sittaert, militem, consiliarios suos, et Johannem de Eycke scutiferum, suum husserium armorum, ad illustrissimam principissam dominam Yolentam, Jherusalem et Sicilie reginam Andegavensemque ducissam et Provincie comitissam, duxit transmittendum, plenaria potestate fulcitos, cum eadem regina, prelibate domicelle Yolente matre, ac cum cognatis et proximis, aut deputatis earumdem ad hoc potestatem habentibus, ad laudem Dei et honorem super predicto matrimonio feliciter contrahendo, nomine et ex parte dicti domini ducis, tractandi, concordandi et concludendi. Qui post diversos et longos tractatus inter ipsos habitos, tantum procuraverunt, quod predicta domina regina ejusque filia, de consensu et voluntate serenissimorum principum dominorum regis et regine Francorum, in predicto tractatu cum predictis dominis de Rotselaer et de Elsloet super dote et donacione propter nupcias concordarunt et concluserunt : videlicet quod ipsam domicellam Yolentam predicto domino Philippo duci Brabancie traderent in uxorem, salvo quod ipse dominus dux de impedimento consanguinitatis inter ipsos existente a sanctissimo domino nostro Martino papa quinto, suis expensis, dispensacionem literasque apostolicas desuper opportunas deberet impetrare.

Sequitur incidens de puella. Cap. CCXXXV.

Item est verum, quod supradictus dominus de Rotselaer, existens in civitate Lugdunensi super Rhodanum, ex relacione sibi facta per quendam militem, consiliarium et magistrum hospicii domini Karoli de Borbonia, scripsit aliquibus dominis de consilio domini ducis Brabancie prelibati pro novis, quod rex Francorum cum predicto domino Karolo et aliis principibus et amicis fecit magnam congregacionem gentium armorum, qui pariter convenire deberent ultima mensis aprilis presentis anni M° CCCC° XXIX°, animo et intencione proficiscendi versus civitatem Aurelianensem, et ipsam de obsidione Anglicorum liberandi. Scripsit ulterius ex ejusdem militis relacione, quod quedam puella, oriunda ex Lotharingia, nomine Johanna, etatis XVIII vel circiter, est penes predictum regem : que sibi dixit quod Aurelianenses salvabit, et Anglicos ab obsidione effugabit, et quod ipsa

ante Aurelianis in conflictu telo vulnerabitur, sed inde non morietur; quodque ipse rex in ista estate futura coronabitur in civitate Rhemensi, et plura alia que rex penes se tenet secrete. Que quidem puella quotidie equitavit cum lancea in pugna, sicut alii homines armorum juxta regem existentes. In eadem siquidem puella predictus rex et amici sui magnam habuerunt confidenciam, prout in litera dicti domini de Rotselaer plenius continetur, que fuit scripta Lugduni supra Rhodanum, predicti mensis aprilis die XXII^a^. Et quidquid dicitur de predicta puella, et que predixit, ita evenerunt. Nam obsidio ante Aurelianis fuit levata, et Anglici ibidem vel capti vel occisi vel effugati sunt. Rex fuit Rhemis coronatus, et fere omnes civitates, castra, villas et municiones illius regionis, fugatis Anglicis, ad suam obedienciam reduxit in estate supradicta.

Unde de eadem puella habentur versus sequentes :

Virgo, puellares artus induta virili
Veste, Dei motu properat relevare jacentem
Liliferum regem, suosque delere nephandos
Hostes, precipue qui nunc sunt Aurelianis,
Urbe sua, at illam deterrent obsidione.
Et si tanta viris mens est se jungere bello,
Arma sequi sua que nunc parat alma puella,
Credite fallaces Anglicos succumbere morti,
Marte puellari Gallis sternentibus illos:
Tunc finis est pugne, tunc cetera jura redibunt,
Certabunt de pace viri cunctisque favebunt
Sponte sua regi, quia rex liberabit et ipsis
Cunctis justiciam, quos pulchra pace fovebat :
Ammodo nullus erit Anglorum pardiger hostis,
Qui se Francorum presumat dicere regem.

Qualem autem finem predicta puella habuit, poterit lector videre in cedula sequenti, cujus tenor talis est :

« Vray est que une nommée Jehanne, soy disant pucelle, qui depuis II ans en çà estoit venue en la compaignie des Sirmignas (*Armagnacs*) et de ceulx qui tenoyent le party du dolphin : en laquelle ledit dolphin et ceulx de sondit party adjoustoyent grant foy, et faisoient entendre au peuple que Dieu l'avoyt envoyée pardevers eulx pour la recouvrance du royaume de France. Et combien que ladite Jehanne pucelle portast armes et toux harnoiz de guerre, pareillement que les plus hardis et meilleurs chevaliers de

le compaignie, et qu'elle tuast et frappast d'espée gens d'armes et autres, ce non obstant la greigneur partye de peuple de France et autres gens d'estat créoyent et adjoustoient plaine foye et créance en icelle pucelle, cuidans et maintenans fermement que ce feust une chose de per Dieu, et tellement qu'elle estoit cappitaine et chief de guerre de la greigneur partye des plus grans seigneurs et autres chiefz de guerre de la compaignie dudit dolphin, et avec eulx fist plusieurs armes par l'espace d'un an et demi, ou environ. Finablement monseigneur le duc de Bourgongne à toute puissance s'en ala, ou mois de may l'an M CCCC et XXX, asségier la ville de Compiengne, en laquelle ville icelle pucelle estoit avec plusieurs autres cappitaines tenant le party dudit dolphin. En tant que [*estoit*] à mettre et asseoir le siége devant ledit ville de Compiengne, icelle pucelle, montée et armée notablement, et une huque de velours vermeil sur son harnoiz, acompaigniée de plusieurs autres hommes d'armes et gens de trant (*sic*) de son party, sailli hors d'icelle ville de Compiengne, pour escarmoucher alentour de l'avan-garde de mondit seigneur, qui se logoit devant ladite ville, cuidant icelle avan-garde ruer juz; maiz la besoingne se porta tellement que ladite pucelle fut prinse par les gens de mondit seigneur de Bourgongne, qui, après plusieurs interrogations, la bailla en garde à messire Jehan de Luxembourch, seigneur de Beaurevoir. Et peu de temps après le roy de France et d'Angleterre envoya devers mondit seigneur ses ambaxadeurs pour avoir ladite pucelle, afin de l'envoyer à Paris, pour illec faire son procès par l'université de Paris : laquelle chose mondit seigneur de Bourgongne a libéralment fait [1]. »

Item est sciendum, quod circa tempus prescriptum, et ante et post usque ad pacem factam in Atrebato, dominus dux Burgundie, propter necem patris sui preclare memorie, tenuit partem predicti regis Anglie contra

[1] Post illud gallico idiomate fragmentum in MS. Corsendoncano ad marginem additur : *Ponatur hic modus mortis suae;* sed vacuus remansit locus, quem sic complet codex MS. Miraei : « Verum cum » ipsa in Compendiensi civitate se teneret, atque » oppidum egressa in hostes temere erumperet, » capta est, Rothomagumque ad ducem Somer- » seti missa haec puella. Cum ultra feminae vires » sineque ulla fere peritia militaris disciplinae, » quam numquam didicerat, multa facinora et » illa quidem egregia faceret, apud vulgus tan- » dem in suspicionem venit, ut diceretur magicis » artibus ea omnia agere; quam ob rem in vene- » ficii crimen vocata, primo jubente duce Somer- » setensi diligenter examinata est, an bene senti- » ret de religione christiana, deinde, quia virili » usa erat vestitu et omnino venefica habebatur, » severe damnatur atque comburitur. Haec pos- » trema apud Polydorum Virgilium fol. 477 re- » periuntur. »

regem Francie, quem predictus dominus dux hic appellat delphinum, quem post predictam pacem primitus pro rege Francie recognovit : cujus filiam Karolus de Burgundia, comes de Charolois, ipsius domini ducis filius, legitimam duxit in uxorem.

Qualiter dux Philippus Brabancie misit pro sponsa sua, qui non diu post ab hac luce migravit. Cap. CCXXXVI.

1430. Memoratus dominus Philippus dux Brabancie, insequendo supradictum matrimonium inter ipsum et supradictam dominam reginam Jherusalem et Sicilie, ejusque filiam domicellam Yolentam, sponsam suam, habitum atque factum, impetravit a sanctissimo domino nostro domino Martino, divina providencia papa quinto, quod ipse dominus papa, ut impedimentis tercio, ab uno, necnon tercio et quarto consanguinatis gradibus, alio lateribus, quibus ipse dominus Philippus et Yolenta sponsa sua conjuncti fuerunt, non obstantibus, matrimonium inter se libere contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valerent, cum ipsis auctoritate apostolica dispensavit, prout in literis apostolicis desuper confectis, datis Ferentini XVI° kalendas septembris, pontificatus sui anno XII°, plenius continetur. Et quia in supradicto matrimonii tractatu fuit eciam inter cetera consencionatum, quod, obtenta et habita dispensacione predicta, ipsa domina regina deberet predictam sponsam filiam suam prefato duci Philippo, aut suis notabilibus ambaxiatoribus ad hoc plenam potestatem habentibus, tradere et deliberare in civitate Rhemensi ad certam diem ad hoc ordinandam : quapropter idem dux Philippus, appropinquante die ad hoc statuto, transmisit nobiles et strenuos viros, dominos Engelbertum de Angia, dominum de Rameru, de Tubeke et de la Folie, Johannem dominum de Rotselaer, de Vorselaer et de Rethi, barones, dominos Conradum de Schoenvorst dominum de Elsloet et de Sittaert, Heinricum de Wittham dominum de Bersele, milites, Johannem de Wittham dominum de Boutershem, Heinricum de Rotselaer dominum de Roest et plures alios notabiles scutiferos ac militares ex Brabancia, cum sexingentis equis et totidem personis, decenter armatos et ornatos, versus civitatem Rhemensem predictam, cum plenaria potestate prelibatam sponsam petendi et recipiendi ex

manibus predicte domine regine, et dicto domino duci ad partes suas Brabancie ducendi.

Qui quidem ambaxiatores et nuncii se congregantes in Nivella, abinde die dominica XVI^a^ mensis julii, anno M° CCCC° XXX°, applicuerunt Rhemis die martis XXV^a^ ejusdem mensis, ubi fuerunt honorifice recepti per archiepiscopum Rhemensem et alios oratores et nuncios regis Francie et domine regine Jherusalem et Sicilie, qui predictos ambaxiatores et nuncios Brabancie requisiverunt cum magna instancia, quatenus cum ipsis pro dicta sponsa habenda accedere vellent ad civitatem Turonensem : quod ipsi annuere recusantes, obtulerunt quod ad civitatem Trecenensem cum ipsis libenter properarent, et non remocius. Quo quidem tractatu inter ipsos pendente, fuit prelibatis ambaxiatoribus et nunciis Brabancie per aliquos de predicti domini ducis secreto consilio intimatum, predictum dominum ducem gravissimis morbis laborare. Et quia per frequenciam paroxismi et diversimodam accidenciam ejusdem rumor quidam inter populares, causas morborum suorum ignorantes, insurrexit, eundem fore intoxicatum, quod cum ad aures sui consilii necnon trium statuum Brabancie pervenit, statim coadunatis medicis, quoscumque habere poterant, tam de alma universitate studii Lovaniensis quam de civitatibus et oppidis Brabancie, qui unacum medicis domesticis ejusdem domini ducis tunc in oppido suo Bruxellensi constitutis, causis dictorum suorum morborum disputatis et diligenter inquisitis, predictis consilio et tribus statibus prestitis a se propterea juramentis, retulerunt, quod nulla certa signa intoxicacionis invenire seu percipere potuerunt, sed ipsum, proch dolor! gravissimis sibi innatis morbis fore gravatum, et in tantum radicatis quod nullo beneficio medicine humanoque suffragio, sed tantum divino poterat curari adjumento. Dixerunt insuper, quod per saniei evomicionem judicarunt ipsum apostema habere in stomacho : ob quam causam fuit predictis ambaxiatoribus et nunciis Brabancie consultum, quod omnibus causis et tractatibus pretermissis se festinarent ad Brabanciam repatriare. Quapropter iidem ambaxiatores et nuncii premissi, predictis domine regine transcriptis et dicto domino archiepiscopo Rhemensi in secreto communicatis, recepta licencia a Rhemis recedendi, se transtulerunt versus Brabanciam, et venerunt in oppidum Lovaniense, die lune VIII^a^ mensis augusti, ubi eorum dominum mortuum invenerunt.

Deinde vero, postquam predicta informacio per suprascriptos medicos, sicut premittitur, fuit facta, prelibato domino duce per aliquas dies languente, tandem die veneris quarta ejusdem mensis augusti anni M[i] CCCC[i] XXX[i] predicti, circa horam sextam post meridiem, idem dominus dux, suorum sensuum compos, tamquam catholicus princeps in bona contricione confessus, recepta cum reverencia debita sacrosancta eucharistia, ac testamento suo condito, extrema unctione munitus, sicut Deo placuit, debitum carnis persolvit in castro suo Lovaniensi circa horam octavam ejusdem diei. Ubi predicti tres status necnon tota familia sua in transitu suo presentes, cum luctuosis singultibus ac lacrimis, mortem ejus lamentabantur : nimirum quia princeps virtuosus et devotus, juvenis strenuus erat, ac morum honestate decorus; principatus suos ac populos sibi subjectos in pacis et tranquillitatis amenitate et dulcore regens et dirigens; vicinas autem et remotas in amicicia sibi conservavit provincias atque naciones. Hic Philippus rexit Brabanciam per tres annos et tres menses.

Qualiter corpus predicti quondam ducis Philippi fuit anathomisatum et insepultum reservatum; et quid tres status medio tempore fecerunt. Cap. CCXXXVII.

Verum, quia statim post predicti quondam Philippi hujus nominis primi Brabancie ducis decessum rumor iterum invaluit inter populares, quod ipsius mors anticipata fuisset cum toxico, unde incontinenti supradicti tres status Brabancie, volentes de hiis fieri cerciores, fecerunt coram nonnullis deputatis ipsorum in predicto castro Lovaniensi, in multitudine copiosa ad hoc congregata, corpus ipsius anathomizari per medicos et chirurgicos, quos habere potuerunt, numero septem, notabiles et expertos. Cujus corde, hepate, pulmone, splene, stomacho et ceteris intestinis diligenter et fideliter visitatis et examinatis, ut in talibus moris est, non invenerunt aliquam substanciam nec aliquod signum intoxicacionis vel alicujus veneni toxici medici et chirurgici anathomizantes; verum inter duas pelliculas stomachi apostema patuit : judicantes ipsum non accidentali sed causantibus morbis naturali morbo obiisse, prout propriis eorum juramentis propterea a se prestitis affirmaverunt. Que omnia et singula supradicti

tres status per eorum patentes literas universis et singulis Christi fidelibus, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel condicionis existentibus, intimaverunt et significaverunt, ipsos et quemlibet ipsorum exhortando, quatenus, si contraria hiis que suprascripta sunt fortassis ipsis suggesta fuerint atque delata, talibus nullam fidem adhiberent creditivam. Quo quidem corpore, sicut premittitur, anathomizato, cancellarius et consiliarii dicti quondam Philippi ducis atque tres status Brabancie antedicti fecerunt ipsius corpus exanime speciebus aromaticis condiri, et in capella predicti castri Lovaniensis decenter collocari.

Quo facto, fuit per eosdem tres status ordinatum, quod cancellarius et consiliarii antedicti deberent tenere et reservare regimen et administracionem patrie Brabancie et tres status ejusdem, dum opus fuerit, ad dictas convocare, quoadusque dicte patrie de novo principe fuit provisum. Quapropter iidem cancellarius et consiliarii predictis tribus statibus, ad certam dietam in Lovanio congregatis, quatuor puncta proposuerunt : quorum primum fuit, an predicti quondam ducis corpus deberet quanto cicius inhumari vel diucius super terram preservari? Ad quod predicti tres status unanimiter concluserunt, quod ipsum corpus, sicut premittitur, conditum deberet preservari, quousque patria Brabancie novum principem haberet et dominum, nisi principes sibi sanguine proximiores aliter desuper ordinarent. Secundum fuit, an moneta, quam quondam dux usque ad mortem suam fecit cudi, deberet continuari an ne? Tercium fuit de sigillo ipsius: et quartum de officiariis et camera computorum.

Sub tribus ultimis punctis prefati tres status ex majori et saniori parte concluserunt et ordinaverunt, quod quamdiu corpus quondam Philippi ducis exanime maneret super terram insepultum, quod magister monete monetam cudere deberet; quodque pari modo sigillifer sigillum custodiret et more solito sigillaret; et magistri camere computorum audirent et clauderent computa, sicut hactenus facere consueverunt; et quod officiarii simili modo officiis eorum deservirent et unicuique petenti jus ministrarent.

Que omnia sic, prout per tres status ordinata erant, servata et facta fuerunt, excepto quod oppidum Bruxellense portas sive januas camere computorum clauserunt, eorum impresso sigillo communitas, taliter quod de post nulla computa fuerunt audita neque clausa usque ad adventum illustrissimi principis et domini, domini Philippi ducis Burgundie et Brabancie moderni.

Qualiter dominus Philippus dux Burgundie, hujus nominus dux Brabancie secundus, fuit receptus in ducem Brabancie, et de sepultura et exequiis quondam Philippi Brabancie ducis primi. CAP. CCXXXVIII.

Subsequenter vero, supradictis tribus statibus Brabancie unacum statibus terrarum Lymburgis et ultramosane ad tractandum et concordandum de recepcione eorum principis et domini futuri in oppido Lovaniensi ad certam dietam notabiliter congregatis, applicuit ibidem illustris domina Margareta, relicta quondam illustris domini Wilhelmi comitis palatini Reni ducis Bavarie, ac Hannonie, Hollandie et Zelandie comitis, que una dierum coram predictis tribus statibus exponere curavit, qualiter sibi tamquam proximiori heredi viventi quondam Philippi ducis Brabancie, sui nepotis, ducatus Brabancie jure hereditario sibi devolutus fuit, attento, ut asseruit, quod femine, sicut hactenus visum fuit, in eodem successerunt et succedere possent de jure: et quod ipsa fuit prelibati quondam ducis Philippi proximior heres vivens, patuit, ut dixit, quia ipsa fuit soror quondam ducis Anthonii, patris predicti quondam Philippi ducis, sui nepotis, et matertera ipsius, scilicet amita. Quapropter petivit et requisivit, quatenus ipsam in ducissam Brabancie reciperent et admitterent, cum multis aliis verbis et racionibus ad hoc requisitis.

Ex adverso vero comparuerunt coram tribus statibus supradictis reverendi patres domini Tornacensis, Attrebatensis, Amianensis episcopi, ac alii nobiles et magne authoritatis viri, tam spirituales quam seculares, ambaxiatores et oratores domini ducis Burgundie, nomine ipsius et pro ipso allegantes, quod patria Brabancie eidem domino duci tamquam proximiori heredi viventi dicti quondam Philippi Brabancie ducis jure hereditario spectaret et pertineret, tum propter ordinacionem dudum per recolende memorie quondam dominam Johannam ducissam Brabancie desuper factam, videlicet, quod domina Margareta ducissa Burgundie, neptis sua, scilicet filia sororis sue quondam domine Margarete de Brabancia, comitisse Flandrie, racione et jure nature personam ejusdem sue matris representans, tamquam heres sua proximior, filiique heredes et successores sui, sibi succedere debeant immediate post suum decessum in ducatu Brabancie predicto, quem ex tunc ipsis donavit tamquam suum verum allodium.

donacione inter vivos, salvo et reservato sibi usufructu in eodem, prout in literis desuper confectis, quarum originales ostenderunt et copiam dimiserunt, plenius continetur, tum eciam propter partificacionem sive divisionem per dominum Philippum quondam Francorum regis filium, ducem Burgundie, et predictam dominam Margaretam ducissam ejus inter filios suos, scilicet Johannem, Anthonium et Philippum, de supradicte quondam domine Johanne ducisse Brabancie consensu, scitu et voluntate, factam et ordinatam, continentem inter cetera quod Johannes primogenitus cederet juri suo in ducatu Brabancie, prout de facto fecit, ad opus fratris sui Anthonii, qui in eodem post obitum ducisse Johanne et matris sue predictarum succedere deberet, sicut ipse successit effectualiter; Johannes vero primogenitus, post obitum patris et matris, succederet in ducatu Burgundie, comitatibus Flandrie, Arthesie, Burgundie, etc., sub certis modis, formis et condicionibus declaratis in literis desuper confectis, quarum originales ibi eciam ostenderunt et copiam dimiserunt, continentem inter alia, si dictus Anthonius et similiter liberi ejus, si ipsum aliquos habere contigerit, decederet sive decederent sine liberis ab eorum corporibus procreatis, quod tunc memoratus Johannes primogenitus, vel ejus filii et heredes, succederent vel succedere deberent in ducatu Brabancie supradicto. Cujus quidem divisionis et partificacionis vigore prelibatus quondam dux Anthonius, post predicte ducisse Johanne decessum, eundem ducatum Brabancie est adeptus, cui Johannes et Philippus, filii sui successive unus post alium in eodem ducatu succedentes, nulla prole relicta decesserunt : quare memoratus dominus dux Burgundie, filius Johannis ducis Burgundie prescripti, tamquam prelibati quondam ducis Philippi heres proximior, racione ordinacionis et partificacionis predictarum sibi in dicto ducatu succedere deberet. Petentes igitur predictum Burgundie ducem per predictos tres status in eorum principem et dominum recipi et admitti, racionibus per prelibatam dominam Hannonie, materteram suam, in contrarium allegatis non obstantibus quibuscumque.

Ad quod eadem domina Hannonie fecit replicari, ad quod dicti domini ducis Burgundie ambaxiatores et oratores duplicarunt : que causa brevitatis hic inserere omitto.

Predicti vero tres status Brabancie et Lymburgis, supradictis causis et racionibus ab utraque parte hincinde propositis et allegatis bene intellectis

et diligenter examinatis, matura desuper deliberacione prius prehabita, breviter et unanimiter concordarunt et declaraverunt, quod memoratum dominum Philippum Burgundie ducem, filium quondam Johannis Burgundie ducis, in eorum verum ducem et dominum recipere et admittere tenerentur. Qua declaracione sic facta, prelibata domina Hannonie incontinenter ex oppido Lovaniensi recedens ad oppidum suum Quarcinum, dictum *Keynot,* in Hannonia se duxit transferendam.

Deinde vero supradicti status patriarum predictarum super novis privilegiis, per dictum dominum ducem in suo jocundo adventu et primaria recepcione ad dominia et principatus patriarum suarum antedictarum eisdem suis patriis et subditis earumdem, ut moris est, concedendis, et antiquis confirmandis, fuerunt cum prefati domini ducis ambaxiatoribus per multos dies prepediti, desuper tractantes cum eisdem. Et tandem super omnibus ab utraque parte concordes, dicti ambaxiatores reportarunt ea que tractata fuerunt ad predicti domini ducis audienciam, tunc in oppido suo Mechliniensi existentis. Qui omnia, prout tractata et concordata fuerunt, omologavit, consenciens quod litere desuper conficerentur in debita forma pro patriis suis Brabancie et Lymburgis et aliis terris suis inter Mosam et Renum situatis, prout de predictis privilegiis noviter concessis et antiquis confirmatis constat per literas desuper confectas et sigillatas. Quibus siquidem ambaxiatoribus de Mechlinia ad Lovanium reversis, supradicti status concluserunt cum eisdem, quod predictum dominum Burgundie ducem in eorum principem et dominum recipere et intronizare deberent in Lovanio, die jovis quinta mensis octobris tunc proxime futura. Qua die adveniente metuendissimus dominus noster dux modernus, filius quondam Johannis Burgundie ducis suprascripti, tamquam legitimus et proximior heres et successor Philippi quondam ducis ultimate defuncti, filii Anthonii quondam Brabancie ducis suprascripti, fuit Lovanii in ducem Lotharingie, Brabancie, etc., processionaliter cum crucibus et vexillis intronizatus et receptus, cum solempnitatibus solitis et consuetis, et deinde consimiliter in aliis oppidis, diebus ad hoc statutis et ordinatis. Quem Omnipotens ad regimen suarum dicionum feliciter et longeve conservare dignetur, cum incrementis prosperis et votivis, ad honorem Dei et nacionum sibi subditarum. Amen.

Die vero veneris sexta predicti mensis octobris dominus dux per totam

diem mansit in hospicio suo, et non intravit castrum suum in Lovanio. Die vero sequenti, videlicet sabbati VII^a ejusdem mensis, idem dominus dux fecit funus sive corpus predicti quondam ducis Philippi, sui predecessoris, quod a quarta die mensis augusti proxime preteriti usque ad presentem diem aromatibus conditum supra terram steterat in capella castri Lovaniensis antedicti, abinde transferri honorifice, ut decuit, usque ad ecclesiam Beati Johannis in Fura, ubi cum solempnitate requisita, vigiliis mortuorum atque missarum officiis celebratis, exequiisque debite peractis, ecclesiastice tradi sepulture in choro ecclesie predicte, juxta ducem Anthonium suum patrem et dominam Johannam ducissam suam matrem ac ducem Johannem suum fratrem antedictos, quorum anime per piam misericordiam Dei cum Christo requiescant in pace, amen : ipso domino duce Philippo domino nostro moderno per illam totam diem atque noctem in castro suo Furensi permanente.

Die vero dominica VIII^a ejusdem mensis octobris, prelibatus hujus nominis Philippus Brabancie dux secundus a Fura recedens fuit Bruxelle in ducem Lotharingie, Brabancie, etc., intronizatus et receptus cum solempnitatibus consuetis, et deinde consimiliter in aliis oppidis Brabancie, diebus ad hoc statutis et ordinatis.

De obitu Martini. Cap. CCXXXIX.

Hujus Martini pape quinti tempore in Papia civitate inchoatum fuit 1431
concilium generale, prout idem papa in concilio Constanciensi ordinaverat, et propter pestilenciam ipse hoc transtulit Senis, et propter incommoditatem loci fuit dissolutum concilium Senense, et decretatum quod anno a nativitate Domini M° CCCC° XXXI°, quarta mensis marcii, deberet concilium in Basilea inchoari et celebrari, juxta decreta concilii Constanciensis. Et ideo misit dominum cardinalem Sancti Angeli, ut ibidem suo nomine celebraret concilium; sed ante tempus inchoacionis concilii Basileensis ipse Martinus papa quintus obiit, anno Domini M° CCCC° XXXI°, mensis februarii die XX^a. Et sic ipse papa Martinus sedit annis XIII, mensibus tribus et diebus XIX, et vacavit sedes per dies XI.

De creacione Eugenii pape quarti. Cap. CCXL.

Eugenius quartus, nacione Venetus, post obitum Martini quondam pape quinti fuit electus Rome in papam, anno Domini M° CCCC° XXXI°, tercia die mensis marcii, tempore Sigismundi regis Romanorum semper Augusti ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie, etc., regis, et fuit coronatus XI[a] die ejusdem mensis, scilicet in profesto Sancti Gregorii pape, que fuit dominica qua cantabatur *Letare Jherusalem*. Hic ante electionem suam vocabatur Gabriel de Veneciis, et erat cardinalis Senensis vulgariter nuncupatus. Hic sobrius erat, et nunquam bibit vinum. Iste dominus papa octava die sue coronacionis, scilicet dominica in Passione, tenuit suum primum consistorium Rome, in quadam aula cujus pavimentum ruinam paciebatur, ita quod omnes dimiserunt aulam cum magno tremore, unde aliqui prelati erant lesi, et unus episcopus Romanus obiit suffocatus.

Hujus tempore dominus Anthonius de Columpna, princeps Sylerne, acquisivit sibi thezaurum, quem papa Martinus dimiserat, quem thezaurum dominus Eugenius sibi tradi requisivit ab isto Anthonio. Sed quid accidit? Dictus Anthonius dominum papam diffidavit, et ita violavit vias quod nullus secure ad urbem venire potuit. Unde papa tenuit guerras contra istum Anthonium, sed paucum est lucratus, quia per istas guerras totum patrimonium ecclesie dissipavit, et in manus Venetorum posuit. Hic dictum Anthonium excommunicavit, et declaravit eum in crimen lese majestatis incidisse, et ob hoc eum privavit honoribus.

Item tempore hujus guerre quidam prior Sancti Spiritus ordinis Sancti Benedicti, qui vocabatur parvus monachus, fuit amicus istius Anthonii, et sibi imponebatur quod dedit consilium qualiter castrum Sancti Angeli tradi deberet, unde ob hoc fuit captus et degradatus et curie seculari traditus, et sic IX[a] die mensis julii, anno Domini M° CCCC° XXXI°, fuit in campo Florum Rome suspensus, et postea in quatuor partes divisus, et ante portas urbis ille partes erant suspense, propter illam tradicionem. Hic papa intulit semper timorem illis qui erant amici dicti domini Anthonii de Columpna. Item de post, anno Domini M° CCCC° XXXI°, mensis septembris die XXI[a], est pax firmata inter papam et dictum Anthonium.

Hic papa dominum Sigismundum regem Romanorum in die Penthe-

costes coronavit in imperatorem, anno Domini M° CCCC° XXXIII°, et ipse imperator intravit in urbem in die Ascensionis Domini, XXI^a maii ejusdem anni. Romani post recessum domini imperatoris semper male se habuerunt in et contra dominum Eugenium : unde ipse dominus Eugenius fugit ex urbe, anno Domini M° CCCC° XXXV°, et venit ad Bononiam.

De pace in Atrebato facta inter regem Francie et ducem Burgundie. Cap. CCXLI.

Hic Eugenius quartus misit dominum cardinalem Sancte Crucis ad civi- 1435
tatem Atrebatensem, ad tractandum pacem primo inter regem Francie et dominum Philippum ducem Burgundie et Brabancie et inter reges Francie et Anglie. Qui quidem dominus cardinalis cum aliis deputatis venit ad Atrebatum, anno Domini M° CCCC° XXXV°, mensis augusti die octava, et tantum laboravit, quod pax erat facta inter regem Francie et dominum Philippum ducem Burgundie et Brabancie : que discordia fuit orta ob necem Johannis ducis Burgundie, patris sui, in presencia dicti regis perpetratam. Et hec pax fuit publicata in die Beati Matthei apostoli et evangeliste, anno quo supra.

Pro ista pace tractanda, ex parte domini nostri pape fuit presens dominus cardinalis Sancte Crucis, qui fuit Carthusiensium ordinis, homo honeste vite. Item ex parte sacri concilii Basileensis fuerunt presentes dominus cardinalis de Cypro et episcopus Albuganensis et quamplures alii prelati. Item multi principes fuerunt ibidem : ex parte regis Francie dux Borbonie, archiepiscopus Rhemensis et comes de Richemont, et ex parte domini ducis episcopi Cameracensis, Leodiensis et Atrebatensis, dux Gelrie, Johannes primogenitus ducis Clivensis, et comites d'Estampes, Sancti Pauli, de Nassouw et de Moerse, magnaque multitudo dicti domini ducis, baronum, militum, clericorum et ambaxiatorum civitatum, oppidorum, villarum regni Francie, videlicet Parisiensis, Ambianensis, Noviomensis, Sancti Quintini, de Perona, de Roye et de Mondidier, et aliorum plurimorum. Sed Anglici fuerunt ibidem in magna copia; sed non tendebant ad pacem, et sic nichil factum fuit de Anglicis.

Hujus tempore, scilicet anno Domini M° CCCC° XXXVIII°, sexta aprilis,

fuit quidam piscis captus in mari Venetorum, habens faciem quasi hominis, et caput cum multis cornibus ad modum manuum, pedes duos cum squamis, et habuit dactylum; et longitudinis fuit XXII pedum, et latitudinis XIIII pedum.

Qualiter Sigismundus rex Romanorum coronatur in imperatorem.
CAP. CCXLII.

1433. Anno Domini M° CCCC° XXXIII^{a}, mensis maii die XXI^{a}, que fuit dies Ascensionis Domini, Sigismundus Romanorum rex intravit urbem Romanam, qui in die Penthecostes recepit coronam sive infulam imperialem per manus domini Eugenii pape quarti supradicti. Et quia ipse imperator intellexit, quod idem dominus papa Eugenius dissolvit concilium Basileense, et quod ob hoc illi de concilio contra papam procederunt, idcirco ipsum inducere conabatur ut plene adhereret concilio, et quod dictam dissolucionem revocaret. Sed quia dominus papa in aliquibus punctis se fecit gravem, ideo imperator deliberavit ut in persona propria descenderet ad concilium Basileense, ipsum concilium de mente domini pape informaturus. Unde ipse dominus imperator, in ultima die termini domino pape assignati, scilicet XI^{a} die octobris anni XXXIII^{i} predicti, ex improviso circa horam meridiei venit in Basileam, et statim fecit in majori ecclesia fieri congregacionem, ubi petiit illum terminum ad octo dies prorogari. Et illo ac aliis obtentis, multa fecit in concilio ne schisma fieret, et mansit in concilio ab ista die usque ad undecimam mensis maii anni M^{i} CCCC^{i} XXXIIII^{i} tunc proxime subsequentis.

De certis ligis et confederacionibus, quas memoratus dominus Sigismundus imperator pepigit contra supradictum dominum ducem Burgundie cum rege Francorum, adversario suo, seu ejus procuratoribus ipsius nomine, et de diffidacione inde subsecuta. CAP. CCXLIII.

Deinde vero, anno Domini M° CCCC° XXXIIII° supradicto et mense junio, prelibatus dominus Sigismundus, Romanorum imperator ac Hungarie, Bo-

hemie, etc., rex, propria in persona in oppido Ulmensi in Swevia constitutus, cum Francorum rege, adversario suo, quem suprascriptus dux Burgundie in suis literis appellat delphinum, seu ejus ambaxiatoribus sive nunciis ejus nomine, pleno fulcitis mandato, contra eundem dominum ducem certas ligas et confederaciones iniit, literis et juramentis hincinde desuper prestitis et receptis publice roboratis. Tandem idem dominus imperator per suas literas patentes, et ob causas et raciones in iisdem contentas sepefatum dominum ducem diffidavit. Quas quidem causas et raciones idem dominus dux per suas literas, quas super hoc ad nonnullos principes ecclesiasticos et seculares destinavit, tamquam frivolas, indebitas et injustas impugnare curavit, suum bonum et patens jus in iisdem suis literis ipsis significando, prout ex tenore predictarum suarum literarum tenoris infrascripti luculencius poterit apparere.

Tenor vero dictarum literarum diffidatoriarum, de quibus immediate fit mencio, sequitur et est talis. Cap. CCXLIV.

« Nos Sigismundus, etc., tibi Philippo Burgundie duci tenore presencium significamus, quod, licet cunctis pateat evidenter tua temeritas, rebellio et inobediencia, qua per nonnulla annorum curricula superioritatis reverencia aspernata, et Romani imperii, cui subditus et vasallus existis, fastigium dehonorando, nostram majestatem et idem imperium multipliciter contempsisti, et non minus liqueant ipse injurie et contemptus, quibus usque modo nedum voluisti ea a nobis et sacro imperio recognoscere, que pater tuus vita functus debite recognovit. verum eciam notabiles principatus et dominia in inferioribus partibus Allemannie ad sacrum imperium juste et legitime devolutos, ac eciam aliqua nobis hereditario jure pertinencia, sine juris ordine surripuisti, pro te usurpas, et hodie nobis contradicentibus temere detines occupatos; et licet propter ipsius rebellionis tue actionem et elatum inverecundumque facinus nobis licuisset dudum adhibere remedium, et hujusmodi insolencias virtute sacri imperii juxta demerita rigorosius refrenare: attamen nos, qui more Romani principis, qui ad pietatem semper sumus patens habentes gremium, affectantes summopere te obedientem et reverentem suscipere, per multum

jam temporis spacium debitum tuum prestolantes, nichil sentimus penitus recognicionis, quin pocius refutatis penitus nostris justis oblacionibus, non minus gracie quam justicie, prout oratoribus tuis notum esse potest, deterius tua inobediencia excrescente, terras imperii tenes indebite occupatas. Que omnia ex officio Cesarei nostri culminis, cujus et augere imperium, juraque sua tutare et deffendere, amplius tolerare non volentes, intendimus, et Deo propicio volumus, nostrorum et imperii sacri electorum et aliorum principum, nobilium et communitatum, et aliorum amicorum et benivolorum nostrorum accedente subsidio, ad recuperacionem terrarum et jurium sacri imperii, et ad dampnum, molestiam et offensam tuam tuarumque tibi subditarum et omnium tibi adherencium terrarum totis viribus nostris intendere cum effectu : hec omnia tibi pro avisacione debita notorie intimantes, quibus te atque tuos juxta morem imperii solempniter diffidamus, et diffidatos esse volumus, per has nostras apices, honori et dignitati nostris in hoc realiter precaventes presencium sub nostri imperialis sigilli appensione, etc. »

Qualiter dominus dux Burgundie, Brabancie etc., scribit multis principibus de diffidacione domini imperatoris impugnanda, sibi per eundem imperatorem inculpata, etc., prout patet in litera sua, cujus tenor sequitur in hec verba. Cap. CCXLV.

1434 « Promptam et sinceram in singulis complacendi voluntatem. Illustris et magnifice princeps, consanguinee karissime, ad nostrum noviter pervenit auditum, non sine admiracione vehementi, dominum Romanorum imperatorem de mense junii proxime preterito in oppido Ulmensi cum delphino, adversario nostro, seu ejus ambaxiatoribus sive procuratoribus ejus nomine ad hoc potestatem habentibus, certas contra nos ligas et confederaciones iniisse, literis et juramentis hincinde desuper prestitis et receptis publice roboratas, nos nostrasque potestates et dominia ac subditos et incolas earumdem hostiliter diffidare proponens, et in prosecucione diffidacionis hujusmodi dispendium nostrum et gravamen modis omnibus querens, comites et barones, vasallos et subditos nostros, ut nullum nobis prestent auxilium, consilium vel favorem, literatorie nisus est

instigare. Et pari modo nonnullos prelatos, principes, nobiles et oppida Allemannie et Germanie inducere procurat, ne nobis faveant aut succurrant quoquomodo; quin imo ad arma preparent, celsitudinem suam Cesaream contra nos secuturi, dum fuerint vocati, qui sic collectis undique viribus preparare se satagit ad guerram nobis inferendam, et dominia nostra hostiliter invadenda, hac, ut fertur, sue erga nos indignacionis sumpta occasione, quod nos, licet requisiti, fidelitatem et homagium sue majestati facere dedignaremur de terris et dominiis, quas et que inclite memorie quondam genitor noster tenuit et relevavit ab eodem, quasque tenemus de presenti, quodque nonnulla alia principatus et dominia ad ipsum, ut pretendit, tam ex devolucione quam hereditario jure spectancia, contra racionem et justiciam violenter teneremus occupata: refutantes desuper parere juri, licet sufficienter super hoc ex parte sua, ut pretendit, fuerimus requisiti. Quibus attentis, opus erat sibi, prout asserit, ut nos ad suam inflecteret obedienciam cum predicto adversario nostro se confederando, et alios principes quoscumque ad suum presidium invocare.

» Heu, quam exigua est hujusmodi occasio, quam exilis hic color tanti principis, non perpendentis qualiter idem adversarius noster dictum dominum genitorem nostrum, pro bono pacis regni Francie et sub omni federe et securitate in ejus presencia existentem, dira fecit morte consumi et inhumaniter trucidari. Ob quam causam ipse dominus imperator ejusdem domini genitoris nostri, qui cum ipso confederatus ejusque consanguineus fuit et vasallus, mortis reparacionem pocius querere quam dicto nostro adversario assistenciam afferre contra nos debuisset. Nichilominus idem dominus imperator, tali quali palliacione assumpta, eidem adversario nostro confovendo, plus scandala et disturbia quam pacem et unionem, propter favores inordinatos, non solum in odium nostrum sed utique in dispendium domini nostri regis Francie et Anglie suscitare non veritus est et augmentare: unde verisimiliter, cum horrendo et multiplici personarum christicolarum deletu, nisi Deus avertat, lugubres inde succedent et invalescent eventus. Et quidquid ipse dominus imperator in contrarium producere intendit, obtulimus re vera nos semper paratos, ac per dilectos et fideles consiliarios et cambellanos nostros, nobiles viros Johannem comitem Friburgi et Novi Castri, et Wilhelmum marchionem de Hochberch, dominum de Ruthelingen, et alios ambaxiatores et nuncios nostros solemp-

nes offerri fecimus eidem, ipsum pro domino et superiore nostro recognoscere, racione dominiorum nostrorum predictorum, que sub sacro imperio possidemus, facereque omnia et singula que antecessores nostri sibi aut suis predecessoribus Romanorum imperatoribus sive regibus fecerunt de eisdem, quod hucusque recipere distulit et recusavit, de quorum eciam justo titulo et bono jure pragmatica sanctione fulcitis cum possessione pacifica eorumdem, nedum que nobis ex patris sed et aliorum parentum et progenitorum nostrorum successoribus, absque hoc quod aliqualis devolucio aut mortua manus sibi locum vindicare poterit, provenire nullatenus est hesitandum. Quippe excogitare nescimus, quid unquam nostra mansuetudo contra suam majestatem attemptaverit, presertim cum ipse predictum quondam dominum genitorem nostrum, quamdiu vixit, et nos de post similiter karissimum suum consanguineum et principem suis literis nuncupaverit, offerens se pro pace regni prefati reformanda totis viribus laborare : pro qua salubriter consequenda, Dei principaliter, necnon et populi christiani, maxime regni prelibati lamentabiliter desolati intuitu, obtulimus nos semper promptos et paratos, prout sanctissimi domini nostri pape ac sacrosancti generalis Basileensis concilii oratoribus, ex parte eorumdem propter hoc ad nos destinatis, duximus respondendum.

» Cur ergo provenit tam repentina mutacio, quod princeps et dominus, qui pacis et concordie voluit esse reformator, jam parcialitatum et divisionum fit auctor? quique deberet esse deffensor sui vasalli fidelis, ejus, ut premittitur, fit inimicus crudelis? Nonne ex sue erga nos indignacionis sumpta occasione tali quali? Nequaquam, imo verius, ut fertur, propter munus sive premium certe pecuniarum summe, quam memoratus adversarius noster sibi obtulit et pollicitus est, ut eidem contra nos assistat. Queque prima fronte credere poteramus cum difficultate, nichilominus ea ipsa, que fama communi referente didicimus, vestre magnificencie significamus, de cujus legalitate, probitate et industria plenarie confidentes, quod sine medio et consilio vestro sepefatus dominus imperator, in supradicti adversarii nostri favorem inordinatum nostrumque dispendium, guerram predictam ullatenus acceptavit, quin imo vobis et cuilibet sane sapienti luculenter apparere potest, guerram hujusmodi eo casu racionabili fundamento carere, foreque indebitam et injustam. Quapropter predictam magnificenciam vestram ex intimis visceribus cordialiter deprecamur, quatenus, si

forte contingat prenominatum dominum imperatorem a vobis aut vestris armatorum copiam, aut aliud quodcumque suffragium, in nostrum nostrorumque principatuum, dominiorum, mercatorum et subditorum oppressionem et dispendium, guerrando sive arrestando, implorare, illud eidem tamquam irracionabile et injustum nullatenus consentire sive impertiri velitis, quin pocius, eo denegato, a quocumque hostili incursu contra nos atque nostros desistentes, mercatores et subditos nostros, cum eorum mercanciis et rebus omnibus, sub vestro salvo et securo conductu per potestates et diciones vestras libere, pacifice et quiete venire, transire et morari permittatis, eosdem adeo benigne et favorabiliter recolligentes et pertractantes et pertractari facientes, quemadmodum vestrates sub nostris declinantes dominiis velletis pertractari : nobis, si placet, rescribendo per latorem presencium literarum tempus receptionis earundem, et quidquid in premissis, et signanter de mercatorum et subditorum nostrorum recepcione et provisione opportuna, pro communi bono pacis et reipublice, nostri intuitu et favore decreveritis faciendum, unacum vestris beneplacitis atque graciis. Ad que possetenus exequenda promptos nos recipiet et paratos magnificencia vestra antedicta, quam Altissimus conservet prosperam et felicem per tempora longiora. Scriptum Bruxelle, mensis julii die XIIII[a], anno M° CCCC° XXXIIII. »

Sequitur copia litere quam imperator scripsit prelatis, nobilibus, consulibus et communitatibus civitatum et oppidorum terre Leodiensis. Cap. CCXLVI.

« Sigismundus, Dei gracia Romanorum imperator semper Augustus ac Hungarie, Bohemie, etc., rex. Venerabiles, fideles, dilecti, recolimus vestris fidelitatibus pridem limpide scriptis nostris declarasse controversiam inter majestatem nostram et Burgundie ducem, nostrum et imperii sacri vasallum et subditum, vertentem occasione terrarum et principatuum nobis et imperio sacro de jure spectancium, quos ipse violenter surripuit, et hodie contra nos et imperium detinet occupatos, in nostrum et imperii sacri contemptum et jacturam, et non minus ultra oblaciones nostras justicie, quibus nos obtulimus secum super controversiis nostris justiciam experiri, ac

eciam ultra viam gracie, qua contenti eramus eciam cum prefato duce super singulis omni munificencia uti, quemadmodum oratoribus suis tunc nobiscum in Breda constitutis condiciones tales deteximus, que tunc non fuerunt acceptate : sic quod coacti fuimus cum serenissimo rege Francorum pro recuperacione jurium imperii fedus inire, quemadmodum ex litera nostra clarius concipere potuistis, recordamusque vestras fidelitates tunc requisivisse, ut, dum vos amplius requireremus ad servicia imperii, tunc essetis parati. Itaque eisdem vestris fidelitatibus intimamus, quod eundem ducem juxta morem Romani imperii jam diffidavimus, sibi literas nostras desuper transmittentes, intendentes recuperacioni jurium imperialium, que prosequi volumus toto posse. Ob illam rem vestras fidelitates hortamur, easdem seriosius requirentes et admonentes, quatenus prefatum ducem et suos sine dilacione literis vestris diffidetis, ad dampnum et offensam eorum procedentes, et impedimenta eis toto posse inferendo per vestros, que fieri mandantes, quemadmodum pari serie ceteris principibus, nobilibus et communitatibus sacri imperii literas nostras transmisimus, confidentes plenarie in fidelitatibus vestris, quod per hoc debito vestro satisfacere et ad recuperacionem jurium imperii fideles ejusdem imperii curabitis vires vestras extendere, pro quo vobis favores Cesareos liberali animo ad commodum et profectum vestrum generosius impendemus.

» Insuper pridem habuimus certas literas prefati Burgundie ducis, in quibus ipse apud subditos nostros et sacri imperii impudenter diffundit nosque inculpat, qualiter nos fedus cum prefato rege pepigissemus propter precium cujusdam pecunie summe, subjungendo qualiter nos per hoc derogassemus lige quam cum domo Anglie hactenus habuimus et habemus, superaddens eciam alia enormia, que, Deo volente, minime in veritate subsistunt. Avisamus ipsas fidelitates vestras, quod ipse dux nos hujusmodi scriptis suis minus juste inculpat, nec ipsum decet tanta levitate contra dominum suum sine fundamento ponere os in celum, quoniam non occasione pecunie, Deus novit, sed solum ex debito nostri officii, quo jura imperii restaurare et recuperare debemus, hujusmodi liga facta est, et hoc sine hesitacione verissime potest deduci. Sed ex parte lige quam habemus cum domo Anglie, scire velitis, quod id quod inscripciones nostre in se continent, usque in presens semper ad unguem servavimus, et inconcusse semper servaturi sumus, quoniam liga nostra cum rege Karolo non conti-

net aliud nisi ad recuperacionem jurium imperii, cum nos de demanio Francie nos impedire non intendimus in prejudicium cujuscumque, quemadmodum ipse rex eciam facere tenetur de factis imperii, sed de juribus ejusdem minime impediendo, quemadmodum precarissimum fratrem nostrum, Francie et Anglie regem, per oratores nostros atque suos proprios de re illa satis informatum fecimus : confidentes in fidelitatibus vestris quod hujusmodi delatoribus iniquis non adhibebitis credenciam, imo vero, more fidelium subditorum, juxta vestram prudenciam nostram excusabitis innocenciam. Datum Postini Strigoniensis dyocesis, die X[a] decembris, regnorum nostrorum anno Hungarie, etc., XLVIII°, Romanorum vero XXV°, Bohemie XV°, imperii vero II°. Ad mandatum domini imperatoris : Gaspar Slyck, miles, cancellarius. »

Dominus dux Burgundie, Brabancie, etc., iterato scribit multis principibus et eciam communitatibus de diffidacione predicta, petens suis mercatoribus et subditis de salvo conductu provideri, prout patet in suarum literarum copia, quarum tenor sequitur et est talis. Cap. CCXLVII.

« Illustris princeps, consanguinee karissime, oblato per omnia complacendi sincere voluntatis affectu. Illustris princeps, consanguinee karissime, nove nos impellunt insoliteque, et nimis, ut se monstrant, inadvisate factiones, quas erga nos a nuper exercuit, et continuare non desinit Sigismundus, se pro imperatore gerens, justiciam nostram, sicut Deo, cui cor omne patet et nullum latet secretum, in hac parte nota est, ita et hominibus ad fame nostre conservacionem et jurium nostrorum hereditariorum, que nobis nostri reliquere progenitores, quorum adhuc celebris et immaculata gloria perseverat, manifestam faciamus, ut, si quos forsan ad devia rerum gestarum incognite veritatis error abduxerit, ejusdem ipsi certa cognicione rectitudinis ad metam revocemus. Nuper siquidem, illustris princeps, consanguinee karissime, sicut tam per scripta nostra quam facti ipsius evidenciam credimus ad noticiam vestram pervenisse, dictus Sigismundus, cujusdam exquisiti coloris pretextu, cum adversario nostro, se regem Francorum dicente, in Ulmensi civitate ligam inivit et pactum unionis qualiter ignoramus inchoate federacionis non ignarus, cujus inhumane et

nunquam similis audite crudelitatis in defunctum genitorem nostrum, qui pacis amator ad eum pro pace venerat, ipse noster adversarius actor fuerat et patrator. Et cum ingratitudine viciosissima idem Sigismundus, penitus immemor et oblitus illius curialissimi servicii et non parum potentis obsequii, quod dudum ipse genitor noster sibi ministravit, corpus proprium et miliciam suam cum generosa procerum multitudine pro recuperacione Hungarie regni sui peculiaris exponendo, ubi eciam per hostes fidei et dicti Sigismundi captivatus grandem in corpore et bonis suaque milicia pro eo jacturam toleravit. Si vero ligam ipsam mediis honestis contraxerit, veritati relinquimus; sed conciliari nisi turpi racione amor turpium non potest.

» Nec caret evidenti suspicione tam subita mentis sue mutacio, nulla quacumque colorata racione, cum quo nostri recolende memorie progenitores semper in pace vixerunt, et nos, hiis que nostra sunt sufficienter contenti, cum quanto debito Deum testamur nos semper habuerimus erga eundem Sigismundum; et quantum cum justicia debuimus, per nobiles cambellanos et consiliarios nostros, comitem Friburgi et marchionem de Hoghbergis dominum de Ruthelingen, aliosque nostros solempnes ambaxiatores, offerri sibi fecerimus, nos ea exhibituros imperialia jura, que pro dominiis, que sub imperio possidemus, Romanorum imperatoribus nostri suis temporibus exhibuere predecessores. Numquid satis fuit hec nostra dicto Sigismundo facta liberalis oblacio, aut liceat novas excogitatasque a nobis et a dominiis nostris exquirere servitutes? Ait ipse, quedam ex dominiis nostris in inferioribus partibus Allemannie imperio fore devoluta pretendens, ut alias declaravit, ipsa dominia mortue manus affecta servituti, et cum ad ea femine non succedant, ut astruit in masculorum succedencium defectum, devolucionem sibi locum vindicare. Noviter hec excogitate questionis occasio sui notoria nullitate responsum non meretur. Quid enim ejus opposito nocius? Loquantur ab evo de dominiorum predictorum regimine composite descripciones et historie; testentur in seculo viventes, quorum non est numerus, ipsa dominia feminas usque ad nos vidisse possidere, et a tempore, de cujus inicio non existit hominum memoria, imperatoribus qui pro tempore fuerunt scientibus et notorie videntibus, ac ipso eodem Sigismundo usque nunc consencientibus, nec, sicut non poterant ant debebant, obstantibus vel contradicentibus, suis

diebus pacifice et quiete tenuisse. Quod eciam ampliori velle probacione deducere, solem esset facibus illuminare.

» Constat ergo luce clarius, illustris princeps, consanguinee karissime, ejusdem Sigismundi erga nos acceptam questionis occasionem nichil racionis habere et sui ipsius invalitudine confundi. Sed huic nichilominus inherendo, si in predicto pretenso suo principali modicum justicie coloris habuerit, minus habet in modo procedendi. Nostris enim oblacionibus antedictis omnino spretis et ab eo minus deliberate recusatis, nulloque temperato moderamine racionis, in liga forsan predicta confidens, literas diffidacionis nobis fecit intimari. Quarum ex certa causa veram copiam vestre nobilitati cum presentibus duximus transmittendam, ex quarum tumido tenore, cujus sint enormitatis et insolencie, prudenciis vestris statim constare non ambigimus. Longe distant a verbis ejus, qui se preconizavit in desolatissimo Francie regno futurum pacis auctorem hujusmodi repentine sue factionis : quibus qui arbiter aut mediator sperabatur, partem se constituit; et qui credebatur unionis evangelizator, divisionis et guerrarum sese preparat auctorem.

» Licet autem, illustris princeps, consanguinee karissime, in eo, cujus est justiciam tueri, de jure nostro spem nostram reponentes, confidamus jura nostra dominiorumque nostrorum, in quibus quam verus nobis est antiquitusque titulus, nemo sane mentis ignorat, cum racione deffendere; quia tamen ad hos fines devenimus, ut viam guerre et hostilitatis apud nos ipse Sigismundus, ut prediximus, pro sue indebite libito voluntatis attemptaverit, cujus presumptuosis conatibus, de divine gracie suffragio cum instancia nostra confisi, nostrorumque consanguineorum, parentum, amicorum, vasallorum, subditorum benivolorum et confederatorum accedente subsidio, speramus viriliter et animose resistere : reipublice, nostrorum ad instar progenitorum, integritatis tota mente zelatores, ne forte guerrarum et hostilium incursuum exinde secuturorum occasione gravia et lamentabilia paciantur in tempore detrimenta, generositatem vestram per nostras patentes literas de premissis duximus avisandam, eandem per harum latorem sincere requirentes, quatenus premissis omnibus, que in ea qua narrata sunt veritate consistere certificamus, attente consideratis, per vestras patentes et auctenticas literas pro tanta re securam fidem ubique facturas nobis significare velitis, et nos competenti et tali quam firmam

